





CHRISTO ET ECCLESIÆ
SIGILLVM ACADEMIÆ HARVARDIANÆ IN NOV: ANG:



M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
AD
QUINTUM FRATREM
LIBRI TRES,
ET AD
BRUTUM
LIBER UNUS.

Cum notis integris

PETRI VICTORII, PAULLI MANUTII, LEON. MALESPINÆ, D. LAMBINI, F. URSINI, FR. JUNII, J GRUTERI ET JACOBI GRONOVII;

NEC NON

FRANCISCI HOTOMANNI Commentario in Epistolam primam de *Provincia Administranda.*

Adjectus est, Quinti Ciceronis ad M. TULLIUM FRATREM, *de Petitione Consulatus*, Liber cum integro Commentario VALERII PALERMI VERONENSIS.



HAGÆ-COMITUM,
Apud ISAACUM VAILLANT,
M. DCCXXV.

1857, April. 25.
Gift of
Mrs. N. A. Haven jr.
of Portsmouth N. H.



M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD QUINTUM FRATREM

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

MARCUS Q. FRATRI, S.

§. I. ETSI non dubitabam quin hanc epistolam multi nuntii, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura, tuque antè ab aliis auditurus esses, annum tertium accessisse desiderio nostro & labori tuo, tamen existimavi a me quoque tibi hujus molestiæ nuntium perferri oportere. Nam superioribus litteris, non unis sed pluribus, cùm jam ab aliis desperata res esset, tamen ego tibi spem maturæ decessionis afferebam, non solùm ut quàm diutissimè te jucunda opinione oblectarem, sed etiam quia tanta adhibebatur & à nobis & à Prætoribus contentio, ut rem posse confici non diffiderem. Nunc quoniam ita accidit, ut neque prætores suis opibus, neque nos nostro studio quidquam profice-

re possemus, est omnino difficile non graviter id ferre: sed tamen nostros animos maximis in rebus & gerendis & sustinendis exercitatos frangi & debilitari molestia non oportet. Et quoniam ea molestissimè ferre homines debent, quæ ipsorum culpa contracta sunt, est quiddam in hac re mihi molestiùs ferendum quàm tibi: factum est enim mea culpa, contrà quàm tu mecum & proficiscens & per litteras egeras, ut priore anno non succederetur. Quod ego, dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non sapienter: præsertim cùm id commiserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor, est sapientiæ atque humanitatis tuæ curare & perficere, ut hoc minùs sapienter à me provisum diligentia tua corrigatur. Ac si te ipse vehementiùs ad omnes partes bene audiendi excitaris, non ut cum aliis sed ut tecum jam ipse certes; si omnem tuam mentem, curam, cogitationem [1] ad excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatem incitaris: mihi crede, unus annus additus labori tuo [2] multorum annorum lætitiam nobis, gloriam verò etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primum rogo, ne [3] contrahas aut demittas animum, neve te obrui tamquam fluctu sic magnitudine negotii sinas, contraque erigas,

1 *Ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem.*] Ita legendum opinor ex antiquo libro, in quo tamen *& excellentem* mendose pro *ad excellentem* scriptum est. *Fulvius Ursinus.*

2 *Multorum annorum lætitiam nobis,* IMMO GLORIAM ETIAM *posteris nostris.*] Sic optime duo MSS. quorum fides certa. *Franciscus Junius.*

3 *Ne contrahas aut demittas.*] Nostri *ac demittas.* Quod rectum esse puto, cum utrique verbo sua contraria, *Erigas ac Resistas*, copulate reddantur. Sane contractio animi ac demissio, diversæ affectiones sunt, quamvis posterior ex priore nascatur, utraque ex timore aut diffidentia. Tum enim manus damus, cum diffidimus. Itaque Cicero, fratrem forti animo vult esse: nec modo non succumbere negotiorum magnitudini, sed etiam resistere atque ultro occurrere negotiis. *Malaspina.*

gas, ac resistas sive etiam ultro occurras negotiis. Neque enim ejusmodi partem reipublicæ geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit & diligentia. Quòd si tibi bellum aliquod magnum & periculosum administranti prorogatum imperium viderem, tremerem animo, quòd eodem tempore esse intelligerem etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam. Nunc verò ea pars tibi reipublicæ commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet, & quæ mihi tota in tua virtute ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas (ut opinor) insidias hostium, nullam prælii dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendii aut rei frumentariæ, nullam seditionem exercitus pertimescimus; quæ persæpe sapientissimis viris acciderunt: ut quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunæ impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas: ita tamen ut ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea provincia primùm ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum: deinde ex eo genere civium, qui aut quòd publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut quòd ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur.

§. 2. At enim inter hos ipsos existunt graves controversiæ, multæ nascuntur injuriæ, magnæ contentiones consequuntur. Quasi verò ego id putem, non te aliquantum negotii sustinere. Intelligo permagnum esse negotium & maximi consilii. Sed memento consilii me hoc negotium esse magis aliquanto quàm fortunæ putare. Quid est enim negotii continere eos quibus præsis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum & difficile ceteris, sicut est difficillimum: tibi & fuit

 hoc

hoc semper facillimum, & verò esse debuit: cujus natura talis est, ut etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam [4] naturam excolere possit. Tu cùm pecuniæ, cùm voluptati, cùm omnium rerum cupiditati resistes, ut facis: erit, credo, periculum ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis. Nam Græci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent. Atque hæc nunc non ut facias, sed ut te facere & fecisse gaudeas, scribo. Præclarum est enim summo cum imperio [5] fuisse in Asia biennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, [6] nulla forma cujusquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat ista provincia) ab summa integritate continentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium aut tam expetendum potest, quàm istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris neque esse abditam, sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ provinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines? non sumptu exhauriri? non adventu commoveri? esse quocumque veneris & publicè & privatim maximam lætitiam: cùm urbs custodem, non tyrannum; domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur?

§. 3. His autem in rebus jam te usus ipse profectò erudivit, nequaquam satis esse, ipsum hasce habere virtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut in hac

4. *Naturam excolere.*] Reposui vulgatum, *excolere*, quod ejecerat *Gruterus*, recepto *attollere*.

5. *Fuisse in Asia biennium.*] Ita omnino legendum, cum male in omnibus vulgatis codicibus sit *triennium*. Paulo post pro *perterreri homines* non dubito quin legendum sit, *proteri homines*. *Ursinus*.

6. *Nulla forma cujusquam.*] Palatinus unus, *fortuna*, quod esset dignitas, potentia, atque honor, cogitandum. *Gruter*.

hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis & civibus & reipublicæ præstare videare. Quamquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ; de quibus honore & dignitate & ætate præstat Tubero, quem ego arbitror, præsertim cùm scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit & possit imitari: [7] Alienus autem noster cùm animo & benevolentia, tum vero etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certò scio ita laborare de existimatione sua, [8] ut propter amorem in nos fraternum etiam de nostra laboret. Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum quem sors dedit. hunc oportet & sua sponte esse moderatum, & tuis institutis ac præceptis obtemperare. Quorum si quis fortè esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus [9] est adstrictus: non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, [10] ad quæstum uteretur. Neque enim mihi sanè placet, præsertim cùm ii mores [11] tantùm jam [12] ad nimiam lenitatem & ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere unumquemque eorum:

7. *Halienus autem.*] Pall. duo *Alienus*, duo *Avienus*. si quid mutandum, secunda lectio resumenda veniret. ita enim idem vocatur & Cæsari, de bello civili. *Gruter.*

Alienus autem noster.] Lambinus edidit *Hallienus*, sed male: *Allienus* enim est in vetere denario, quem cusit, ut opinor, hic idem *Allienus*. in manuscripto est, *Allienus autem noster est cum* &c. *Ursinus.*

8. *Ut propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laboret.*] Melius istud, quàm veteris editionis scriptura, *ut propterea am. &c. etiam demonstrare laboret*; quomodo tamen Pall. & liber Pavilionis, quo usus Janus Gulielmius. *Gruter.* Balliol. *demonstrare lab.* An significat *de nostra elaboret*? Gronov.

9. *Est adstrictus.*] Edit. 1470. & Victorii, *esset*; quod melius & paulo post, *nimiam lenitatem*, alii, *levitatem*. Lambinus etiam mallet, *ad dignitatem ei permisisses, ad quæstum* abuteretur.

10. *Ad quæstum uteretur.*] Recentiores *abuteretur*, sed contra antiquitus cusos & mss. Pall. *Gruter.*

11. *Tantum jam ad nimiam l. & ambitionem incubuerint.*] Pater meus præclare adjuvabat manum animumque Ciceronis, emendando *tantum non ad nimiam*. Scripsi autem *& ad ambitionem*, ut aperte habebat Balliol. ex more scriptoris nostri. *Gronov.*

12. *Ad nimiam lenitatem.*] Manutius maluit *levitatem*. utrumque tuetur se libris manuscriptis. *Gruter.*

rum: sed, quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos, quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica, duntaxat finibus his præstabis, quos ante præscripsi.

§. 4. Quos verò aut [13] ex domesticis convictionibus, aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis rectè facientes facilè diligere: minùs consulentes existimationi tuæ facillimè coercere: à quibus, rudis cùm esses, videtur potuisse [14] tua liberalitas decipi (nam ut quisque est vir optimus, ita difficillimè esse alios improbos suspicatur) nunc verò tertius hic annus habeat integritatem eandem quam superiores, [15] cautiorem etiam ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ

13. *Ex domesticis convictionibus.*] Victorii editio, *conjunctionibus*, quomodo aliquot item Pall. nam ceteri *convictoribus*; Pavilionis *convictioribus*. Gruter. Sane & Balliol. *conjunctionibus* vel *convinctionibus*, ut in eo manus Grutero sit danda. Sed cur tacet de sequentibus? Certe idem MS. pro vulgato *ex necessariis apparitoribus* habet *apparationibus*, pro *apparitionibus*, quod verissimum existimo, & Tullio restitui, ut lib. XIII. ad Thermum epist. 54. *in longa apparitione.* Gronov.

Aut ex domesticis conjunctionibus] Diligenter considerandum an potius *convictionibus* legendum sit: quo nomine utitur M. Cicero filius in epist. ad Tironem: *tum etiam jucundissima convictio*: etsi eo etiam loco in pluribus codicibus depravate *conjunctio* legebatur. quod autem hic paulo post legimus, *apparitionibus*, vetus ille codex, *apparationibus* habet; quemadmodum in epistola, qua Q. Thermo commendat M. Marcilium, scriptum habet Mediceus codex, *ego cum antea studiose commendabam Marcilium, tum multo nunc studiosius, quod in longa* apparatione *singularem* &c. quam tamen orthographiam neutro loco nos secuti sumus. *Victorius.* Ed. 1479. habet, *conjunctionibus* & *apparitionibus*. Edit. Lambini, *convictoribus*, *apparitoribus*.

Aut ex domesticis conjunctionibus.] Sic iidem MSS. & probo. & paulo post, *videtur potius potuisse tua liberalitas decipi*. Fran. Junius.

14. *Tua liberalitas decipi.*] Quidam libri MSS. habent, *tua libertas*, quos non sequor. *Lambinus.*

15. *Cautiorem etiam ac diligentiorem.*] Equidem malim, *Cautionem etiam diligentiorem*, deleta copula. Nam cum quædam in fratre non satis probaret, præsertim quod Statio nimium indulgeret, hominem tamen natura iracundum irritare nollet: culpam confert in ruditatem illius, propter quam decipi potuerit ab iis, qui dignitati illius minus consuluissent. Itaque mira quadam arte integritatem in eo, id quod est maximum, laudat: cautionem non adimit, quam fatetur fuisse diligentem, sed hanc vult esse, etiam quam fuerit, diligentiorem. Vulgata non undiquaque mihi probatur. *Malasp.*

Cautiorem etiam ac diligentiorem.] Feliciter hunc locum restituit Faernus, qui *cautionem etiam diligentiorem* legendum indicavit, *Ursinus.*

quæ id quod audiunt, existimentur audire, non in quas [16] fictè & simulatê quæstus causa insusurretur. Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Accensus sit eo numero, quo eum majores nostri esse voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temerè nisi libertis suis deferebant: quibus illi quidem non multò secus ac servis imperabant. Sit [17] lictor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor: majoraque præferant fasces illi ac secures dignitatis insignia quàm potestatis. Toti denique sit provinciæ cognitum, tibi omnium quibus præsis salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique hæc opinio sit, non modò iis, qui aliquid acceperint, sed iis etiam qui dederint, te inimicum (si id cognoveris) futurum. Neque verò quisquam dabit, cùm erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea hujusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimiùm aut suspiciosum velim. Nam si quis est eorum qui tibi biennii spatio numquam in suspicionem avaritiæ venerit, (ut ego Cæsium & Chærippum & Labeonem & audio, &, quia cognovi, existimo) nihil est quod non & iis, & si quis est alius ejusdemmodi, & committi & credi rectissimè putem. Sed siquis est in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris, huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.

§. 5. In provincia verò ipsa, si quem es nactus qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit igno-

16. *Ficte aut simulate.*] Antonianus & plerique alii, *Et simulate.* Malasp.

17. *Sit lictor non sua* sævitiæ, *sed tua lenitatis apparitor.*] Ita legendum, cum in aliis desit *sævitia.* Ursinus.

Non sua sed tua lenitatis.] Lipsius lib. primo Elect. cap. 23. ausit rescribere, *lictor mansues, & tua lenitatis*, sed inclinat tamen magis in id quod Ursinus depromit e libro, *lictor non sua sævitia, sed tua* &c. neutrum placet, rationes reddidi in *suspicionibus. Gruterus.* Locus corruptus, quem haud facile emendes aut intelligas sine ope meliorum codicum.

ignotus, huic quantum credendum sit vide: non quin possint multi esse provinciales viri boni; sed hoc sperare licet, judicare periculosum est. Multis enim simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissime. [18] Quamobrem quî potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, à quibus nos divulsi esse non possumus? te autem alienum hominem ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent? mihi quidem permagnum videtur, præsertim si iidem homines privatum non ferè quemquam, prætores semper omnes amant. Quo ex genere si quem fortè tui cognosti amantiorem (fieri enim potuit) quàm temporis, [19] hunc verò [20] ad tuum numerum libenter adscribito. Sin autem id non perspicies; nullum erit genus in familiaritate cavendum magis, propterea quòd & omnes vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ causa faciunt, & quicum victuri non sunt, ejus existimationi consulere non curant. Atque etiam è Græcis ipsis diligenter cavendæ sunt quædam familiaritates, præter ho-

18. *Quamobrem quî potes reperire*] Vide num rectius sit in MS. *quamobrem si potest reperiri* &c. *Ursinus.*

Quamobrem si potes reperire] Hæc optime Ursinus, a quo non procul abscedunt libri nostri. *F. Junius.*

Quamobrem qui potes reperire ex eo genere &c.] Hunc locum sic restitui, partim conjectura ductus, partim vestigia scripturæ veteris secutus. Nam ut vulgo legitur, explicari non potest. Sic autem emendavi. *Quamobrem quî potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant iis rebus omnibus, a quibus nos divulsi esse non possumus*, quemquam, qui te *alienum hominem amet ex animo, ac non sui commodi causa simulet*? Ordo autem hic est; *qui potes reperire quemquam, qui te alienum hominem amet* &c. *ex eo genere hominum* &c. *Lambinus.* præterea Lambinus sic mallet, *præsertim* cum *iidem homines* ——— ament. & pro, *penitus intrarit*, alii, *penetrarit. Manutius* aliter totam disponit sententiam, quem vide.

19. *Hunc ad tuum*] Antonianus & item aliquot alii *hunc vero ad tuum.* asseverantius. Vim enim habet assentientis ea particula, & actione adjuvanda est. Tale est illud pro Quinctio. *Gratia Sex. Nevii, ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimesco.* Et ad Servium Sulpicium. *Ego vero Servi vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses.* Malasp.

20. *Ad tuum numerum*] *ad tuorum numerum* liber Longolii, rectius. *Ursinus.*

hominum perpaucorum, si qui sunt vetere Græcia digni. [21] Sic verò fallaces sunt permulti & leves, & diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque [22] conjungi dico oportere: nimiæ familiaritates eorum, neque tam fideles sunt (non enim audent adversari nostris voluntatibus) & verò invident non nostris solùm, verùm etiam suis.

§. 6. Jam qui in ejusmodi rebus, in quibus vereor etiam ne durior sim, cautus esse velim ac diligens: [23] quo me animo in servos esses censes? quos quidem cùm omnibus in locis, tum præcipuè in provinciis regere debemus: quo de genere multa præcipi possunt. sed hoc & brevissimum est & facillimè teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, [24] ut si iter Appia via faceres, neve interesse quidquam putent, utrùm Tralles an Formias venerint. At si quis est ex servis egregiè fidelis, sit in domesticis rebus & privatis: quæ res ad officium imperii tui atque ad aliquam partem reipublicæ pertinebunt, de his rebus nequid attingat. Multa enim quæ rectè committi servis fidelibus possunt, tamen sermonis & vituperationis vitandæ causa, committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, cùm id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc præsertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem quàm me, usu verò etiam superiorem? Sed tamen si ad ea quæ faceres, auctoritas accederet mea, [25] tibi ipsi illa putavi fore

21. *Sic vero fallaces.*] Lambinus, *sin vero fallaces* ——— eruditi: eos *ego universos.* & jam supra, præter quam *hominum perpaucorum.*

22. *Conjungi dico oportere.*] Melius forsan, *duco.* moneo tamen in uno Pal. non comparere dictionem *duco.* Grut.

23. *Quo me animo in servos esse.*] Editi ab Victorio *servis*, & id ipsum mihi occurrit in MS. Balliol. nec ausim rejicere. *Gronov.*

24. *Ut si iter Appia via faceres.*] Pavilonii MS. non agnoscit *via*, & poteramus ea carere. *Grut.*

25. *Tibi ipsi illa.*] Videtur legendum, *tibi* ipsa *illa.* Ursinus.

fore jucundiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua primùm integritas & continentia: deinde omnium qui tecum sunt pudor: delectus in familiaritatibus & provincialium hominum & Græcorum percautus & diligens: familiæ gravis & constans disciplina. Quæ cùm honesta sint in his privatis nostris quotidianisque rationibus, in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia, divina videantur necesse est.

§. 7. Hæc institutio atque hæc disciplina potest sustinere in rebus statuendis & decernendis eam severitatem, [26] qua tu in iis rebus usus es, ex quibus nonnullas simultates cum magna mea lætitia susceptas habemus. nisi fortè me Paconii nescio cujus, hominis ne Græci quidem, at Mysii, aut Phrygis potiùs, querelis moveri putas; aut Tuscenii hominis furiosi ac sordidi vocibus, cujus tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate. Hæc & cetera plena severitatis, quæ statuisti in ista provincia, non facilè sine summa integritate sustineremus. quare sit summa in jure dicendo severitas, dummodò ea ne varietur gratia, sed conservetur æquabilis. Sed tamen parvi refert abs teipso jus dici [27] æquabiliter & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur non sanè magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota jurisdictione maximè sustineri. In qua scientiæ præsertim provincialis ratio ipsa expedita est. Constantia est adhibenda & gravitas; quæ resistat non solùm gratiæ verùm etiam suspicioni. Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, [28] lenitas in de-

26. *Qua tu in his rebus usus es.*] Pall. duo, *quam*, antiquo fortè scribendi modo. *Grut.*

27. *Æquabiliter & diligenter.*] Ed. 1470. & Victor. & Lamb. habet *æqualiter*. Jam dixit, *conservetur* æquabilis. *Lamb.* paulo supra, *hominis ne Græci quidem*, sed Mysi *aut* Phrygis *potius*. sequitur, *jurisdictione maxime* sustineri, forte, *contineri*.

28. *Lenitas in discernendo.*] Lenitas in discernendo cur requiratur, ac non po-

decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper [29] Cn. Octavius jucundissimus fuit: apud quem [30] primus lictor quievit, tacuit accensus: quoties quisque voluit, dixit, & quàm voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi hæc lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim & metum abstulerant, reddere. qui in magistratibus injuriosè decreverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum. hæc illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quòd si hæc lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta vis, tanta senatus auctoritas, quàm jucunda tandem prætoris comitas in Asia

potius judicium, non satis perspicio. Sane mihi probatior ea scriptura videtur, quæ est in meis omnibus, Antoniano, Faerni, Romano, reliquis, nempe *Decernendo*. Qua in re *lenitas* laudatur. Adde quod *discernendi* ratio, in audiendo posita est. Tres ergo gradus facit Cicero, primum audiendi: proximum decernendi: tertium satisfaciendi, si requiratur. Et primo quidem facilitatem attribuit: alteri, lenitatem: tertio diligentiam. Vocat autem hic in decernendo lenitatem ἐπιείκειαν, hoc est æquitatem, quæ de summo jure multum remittit: quam usque eo probarunt ut jus esse nihil aliud voluerint, quam æquum bonum. *Malasp.*

29. *Cn. Octavius jucundissimus fuit.*] Legendum, *C. Octavius*, non, *Cn. Octavius.* fuit autem hic Augusti Pater *Lambinus.* etiam Lamb. *apud quem* primum *lictor quievit.* pro *quievit*, vetus Edit. *qui fuit.* Manutius restituit primum, *quievit.* eum vide. equidem non bene intelligo.

Nuper Cn. Octavius.] *C. Octavius* scribendum esse docent libri veteres, & lapis antiquus Colotianus, in quo incisum est;

C. Octavius. C. F. C. N. C. P.
Pater Augusti
Tr. Mil. Bis. Q. Æd. Pl. cum
C. Toranio. Index. Quæstionum
Pr. Pro. Cos. Imperator Appellatus
Ex Provincia Macedonia. *Ursinus.*

30. *Primus lictor quievit: tacuit accensus &c.*] Ita de conjectura Octavius Pantagathus, cui hactenus omnes meritò acquieverunt; utique cùm nihil esset inficetius vulgato, *qui fuit.* quod tamen in omnibus MS. præterquam Halberstadiensi, qui nostrum illud firmat, ut prodit Pighius noster libro XVI. Annal. Roman. *Grut.*

Apud quem primus lictor.] Malim *Primum.* ut primum instituti hujus auctorem Octavium faciat: qui tanta facilitate fuerit, ut ne lictoris quidem atque accensi opera uti voluerit. Ii enim in judiciis præsto erant Prætori, nutum illius expectantes. Et cum lictoris quidem munus esset, ut turbam a tribunali summoveret: Accensi, ut vel juberet dicere vel silentium imperaret: Octavius tamen nec quenquam voluit prohiberi per lictorem, nec ulli finiendæ orationis necessitatem per accensum imponi. *Malasp.*

Apud quem primus lictor quievit.] Hæc justa ex MSS. lectio. mentem vero doctissime Lipsius noster libro I. Electorum aperit. *F. Junius.*

sia potest esse, in qua tanta multitudo civium, tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur? ubi [31] nullum auxilium est, [32] nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio? Quare cùm permagni hominis est, & cùm ipsa natura moderati, tum verò etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis quibus ipse præsit desideretur.

§. 8. [33] Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii: cujus summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim prætermissum in eis officium diligentis & moderati imperii. eaque si sic coluit ille qui privatus futurus numquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, & ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est? Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis qui præsunt aliis, ut ii qui erunt eorum in imperio sint quàm beatissimi: quod tibi & esse antiquissimum & ab initio fuisse, ut primùm Asiam attigisti, constante fama atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modò ejus qui sociis & civibus, sed etiam ejus qui servis qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis utilitatique servire. Cujus quidem generis constare inter omnes video, abs te summam adhiberi diligentiam: nullum æs

31. *Nullum auxilium est, nulla conquestio.*] Sic omnes libri nostri. itaque id retinebimus, non admisso P. Manutii *quæstio*: intelligemusque de collegis, ut volebat Gulielmius. *Grut.*

32. *Nulla conquestio, nullus senatus*] Manutio magis placet ut ita legatur, *nulla quæstio*, id est, *nullum judicium adversus magistratum.* Lambinus.

33. *Si Cyrus ille.*] Sic esse legendum & ratio & scripturæ veteris vestigia pervincunt. Est autem hic hyperbaton. Idcirco infra, succurrendi memoriæ lectoris gratia, quasi novo orationis initio facto, subjungitur quod illi superiori respondeat, *ea* igitur *si sic* &c. Quatenus & a viris doctis observatum est, & nos alibi notavimus. *Lambinus.*

Cyrus ille a Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus est, *sed*] Ita scriptum est in antiquo libro. *Ursinus.*

æs alienum novum contrahi civitatibus, vetere autem magno & gravi multas abs te esse [34] esse liberatas urbes: [35] complures dirutas ac pænè desertas, (in quibus unam Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum & Halicarnassum) per te esse recreatas: nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias: provideri abs te, ut civitates optimatium consiliis administrentur: sublata Mysiæ latrocinia: cædes multis locis repressas: pacem tota provincia constitutam: neque solùm illa itinerum atque agrorum, sed multò etiam plura & majora oppidorum & fanorum furta & latrocinia esse depulsa. Remotam à fama & à fortunis & ab otio locupletium, illam acerbissimam ministram prætorum avaritiæ calumniam: sumptus & tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari æquabiliter: facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem, [36] non modò illo populari accessu ac tribunali, [37] sed ne domo quidem & cubiculo esse exclusam: tuo toto denique imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis.

§. 9. Quantum verò illud est beneficium tuum, quòd iniquo & gravi vectigali Aediliciorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti? Enimverò si unus homo nobilis queritur palàm, te, quòd edixeris, NE AD LUDOS PECUNIÆ DECERNERENTUR, H-S cc sibi eripuisse, quanta tan-

34. *Esse liberatas urbes: complures dirutas.*] Recte hic *Manutius*, cujus distinctionem non esse secutum *Gruterum*, nec *Lambinum* quidem, miror. *nullum*, inquit, *as alienum novum contrahi* civitatibus, *vetere autem magno & gravi multas abs te esse* liberatas: nempe, *civitates.* urbes *complures dirutas & pene desertas per te esse recreatas.*

35. *Complureis dirutas.*] Pall. duo *diruptas*, quod examinabunt otiosiores. certè non statim quod *diruptum* est, etiam *dirutum* dici potest. *Grut.*

36. *Non modo illo populari.*] Lamb. *non modo* ullo *populari* &c. & quod sequitur sic: *sed e domo quidem* tua, *& cubiculo esse exclusam* tuo: toto *denique* in *imperio &c.*

37. *Sed ne domo quidem & cubiculo esse exclusam: tuo toto denique imperio, &c.*] Et distinctio & lectio est à quinque Pall. quibus proximè accedebat editio Victorii, *Grut.*

tandem pecunia penderetur, si omnium nomine quicumque Romæ ludos facerent, quod erat jam institutum, erogaretur? Quamquam has querelas hominum nostrorum illo consilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quód cùm ad templum monumentumque nostrum civitates pecunias decrevissent, cumque id & pro meis magnis meritis & pro tuis maximis beneficiis summa sua voluntate fecissent: nominatimque lex exciperet, UT AD TEMPLUM MONUMENTUMQUE CAPERE LICERET: cumque id quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potiùs, quàm populo Romano ac diis immortalibus datum videretur, tamen id in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant voluntas, accipiendum non putavi; cùm aliis de causis, tum etiam ut animo æquiore ferrent ii, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incumbe toto animo & studio omni in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuæ fidei potestatique senatus populusque Romanus commisit & credidit, diligas & omni ratione tueare, ut esse quàm beatissimos velis. Quòd si te sors Afris aut Hispanis aut Gallis præfecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuæ, consulere eorum commodis & utilitati salutique servire. Cùm verò ei generi hominum præsimus, non modò in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios pervenisse putetur humanitas, certè iis eam potissimùm tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præsertim in ea vita atque iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiæ aut levitatis ulla suspicio, nos ea, quæ consecuti sumus, his studiis & artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monumentis disciplinisque tradita. Quare præter communem fidem quæ omnibus debetur, престереà

nos

nos isti hominum generi præcipuè debere videmur, ut quorum præceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere.

10. §. Atque ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato tum denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti ac sapientes homines eas regere cœpissent,[38] aut ii qui regerent omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc conjunctionem videlicet potestatis ac sapientiæ, saluti censuit civitatibus esse posse: quod fortasse aliquando universæ reipublicæ nostræ, nunc quidem profectò isti provinciæ contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in [39] virtute atque humanitate percipienda plurimum à pueritia [40] studii fuisset & temporis. Quare cura ut hic annus qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur; [41] quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quàm nos in deducendo, perfice ut lætitia provinciæ desiderium nostrum leniatur. Etenim si in promerendo ut tibi tanti honores haberentur [42] quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus, multò majorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante. semper eos putavi, si vulgares essent, viles: si temporis causa constituerentur, leves: si verò (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam [43] multam tibi in his honoribus tuendis ope-

38. *Aut qui regerent.*] Nostri *Aut ii qui.* Malasp.

39. *Virtute percipienda.*] Pal. unus è quatuor *præcipienda.* Grut.

40. *Studii fuisset & temporis.*] forte, inquit Lambinus in margine suæ editionis, *studii* positum *fuisset & temporis.* aliter, *studii fuisset & temporis* collocatum. & mox, *quoniamque in te retinendo* —— *quam nos in reducendo.*

41. *Quoniam in te retinendo.*] Mallem *quoniamque*, Malasp.

Quoniamque in te retinendo fuit Asia felicior.] Ita legebat Faernus. & infra, *suos coercere, juris æquabilem tenere rationem*, sine copula *&*. Ursinus.

42. *Quanti haud scio an nemini.*] Similiter Papirio Pæto, lib. epist. ad Varronem. *Contingit enim tibi quod haud scio an nemini.* Malasp.

43. *Multam tibi in his* honoribus *tuendis.*] Dele, *honoribus.* jam dixit, *in iis honoribus tuendis*, &, *de isto genere honorum.*

operam esse ponendam. Quare quoniam in istis urbibus cum summo imperio & potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas & [44] in deorum numero collocatas vides: in omnibus rebus quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de re judiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit ejusmodi, ut consulas omnibus, [45] ut medeare incommodis hominum, provideas saluti, ut te parentem Asiæ & dici & haberi velis.

§. 11. Atque huic tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si adversamur, ordinem de nobis optimè meritum, & per nos cum republica conjunctum, & à nobis & à republica [46] dijungemus: sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modò saluti sed [47] etiam commodis consulere debemus. Hæc est una (si verè cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coercere, juris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque præbere, præclarum magis est quàm difficile. non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio quàm de nonnullis injuriis portitorum querebantur. [48] Quare non ignoro quid sociis accidat in ultimis terris, cùm audierim in Italia querelas Ci-

44. *In deorum numero collocatas vides.*] Egregiè explicat Lipsius noster libro 1. Electorum cap. 14. *Grut.*

45. *Ut medeare incommodis hominum.*] Placet *omnium* pro *hominum.* Ursinus.

46. *Dijungemus.*] Sic reposui ex Victorianis, a quibus ut abirent posteriores, nullam habuerunt causam, præsertim quum in aliis operum Tullii partibus ita fuerint accurati in hoc ipso verbo. *Gronov.*

47. *Etiam commodis consulere debemus.*] Pal. pr. *cons. tenemur.* sec. *commodis consulemus.* prætulerim utrumque vulgato. *Grut.*

48. *Quare non ignoro, quid sociis &c.*] Toll. *non ignoro*, & anima clausulam interrogatione, si cupis dignam Tullio sententiam. *Idem.*

civium. Hîc te ita versari, ut & publicanis satisfacias (praesertim publicis malè redemptis) & socios perire non sinas; divinae cujusdam virtutis esse videtur; id est tuae. Ac primùm Graecis, id quod acerbissimum est, quòd sunt vectigales, non ita acerbum videri debet; propterea quòd sine imperio populi Romani, suis institutis, per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt, quod iis aequaliter Sulla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Graecos quàm nostros publicanos, hinc intelligi potest; quòd [49] Caunii nuper omnesque ex insulis, quae erant a Sylla Rhodiis attributae, confugerunt ad senatum; nobis ut potiùs vectigal quàm Rhodiis penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere, qui semper vectigales fuerunt, neque ii aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt, neque ii recusare, qui postulaverunt. Simul & illud Asia cogitet; nullam à se neque belli externi neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. id autem imperium cùm retineri sine vectigalibus nullo modo possit, aequo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium.

§. 12. Quòd si genus ipsum & nomen publicani non iniquo animo sustinebunt; poterunt iis consilio & prudentia tua reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare Censoriam, sed potiùs commoditatem conficiendi negotii & liberationem molestiae. Potes etiam tu id facere, quod & fecisti egregiè

49. *Caunii nuper omnes, ex insulis.*] Victoriani libri *omnesque ex insulis*, & eodem alludit Balliol. in quo legitur *omnes qui ex insulis.* Et quaeso an Caunii ex insulis confugerunt, quum nec ipsi habuerint insulam, sed sint in continente? Vix reor hanc lectionem sponte Gruteri vel Gothofredi, in cujus editionibus quoque exstare sic video, ut & in Hervagiana, exstitisse, (adeo insulsa est) sed omissam copulam ab operis typorum, quam restitui. Adde Polybii Legationum eclogam IIII. *Graev.*

giè & facis, ut commemores quanta ſit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio ac vi poteſtatis & faſcium, publicanos cum Græcis gratia atque auctoritate conjungas. Sed & ab iis, de quibus optimè tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, ut facilitate ſua nos eam neceſſitudinem, quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere & conſervare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modò facere potes tua ſponte ſine cujuſquam præceptis, ſed etiam magna jam ex parte perfeciſti? non enim deſiſtunt nobis agere quotidie gratias honeſtiſſimæ & maximæ ſocietates: quod quidem mihi idcirco jucundius eſt, quòd idem faciunt Græci. Difficile eſt autem ea, quæ commodis, utilitate, & propè natura diverſa ſunt, voluntate conjungere. At ea quidem, quæ ſuprà ſcripta ſunt, non ut te inſtituerem ſcripſi (neque enim prudentia tua cujuſquam præcepta deſiderat) ſed me in ſcribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit: quamquam in his litteris longior fui, quàm aut vellem aut quàm me putavi fore.

§. 13. Unum eſt, quod tibi ego præcipere non deſinam, neque te patiar (quantum in me erit) cum exceptione laudari. omnes enim qui iſtinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis ſummis laudibus excipiant unam iracundiam. quod vitium, cùm in hac privata quotidianaque vita levis eſſe animi atque infirmi videtur, tum verò nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere. Quare illud non ſuſcipiam, ut quæ de iracundia dici ſolent à doctiſſimis hominibus, ea tibi nunc exponam, cùm & nimis longus eſſe nolim, & ex multorum ſcriptis ea facilè poſſis cognoſcere. illud, quod eſt epiſtolæ proprium, ut is ad quem ſcribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, prætermittendum eſſe non puto. Sic ad
nos

nos omnes ferè deserunt, nihil, cùm absit iracundia, te fieri posse jucundius. sed cùm te alicujus improbitas perversitasque commoverit, sic te animo incitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit, caveamus, quantum efficere & consequi possumus, ut ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque ego nunc hoc contendo, quod fortasse cùm in omni natura tum jam in nostra ætate difficile est, mutare animum, & si quid est penitus insitum moribus, id subitò evellere: sed te illud admoneo, ut si hoc plenè vitare non potes, quòd antè occupatur animus ab iracundia quàm providere ratio potuit ne occuparetur, ut te antè compares, quotidieque meditere, resistendum esse iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tum tibi esse diligentissimè linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omnino non irasci. Nam illud non solùm est gravitatis, sed nonnumquam etiam lenitudinis: moderari verò & animo & orationi, cùm sis iratus, aut etiam tacere & tenere in sua potestate motum animi & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multò te esse jam commodiorem mitioremque nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ cùm abhorrent à litteris, ab humanitate, tum verò contraria sunt imperio ac dignitati. nam

50. *Ut ne quod.*] Sic habet Balliol. ut extulerunt quoque Victorianæ editiones, nec scio cur insequuti delerint voculam primam, quam millies ita ex abundanti apponit Tullius, ut in hac ipsa parte III, 2. Iisdem omnibus auctoribus eandem voculam mox restitui, *ut te ante compares*, ex solenni elegantia in ea duplicanda post interpositionem: idque observatum jam fuit etiam Manutio, a quo cur discesserunt posteri? *Gronovius.*

nam si implacabiles iracundiæ sint, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa levitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda est.

§. 14. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea quòd tibi hominum injuriæ, quòd avaritiæ, quòd insolentia præter opinionem accidebat & intolerabilis videbatur: secundus autem multo lenior, quòd & consuetudo & ratio & (ut ego arbitror) meæ quoque litteræ te patientiorem lenioremque fecerunt: tertius annus ita esse debet emendatus, ut ne minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Ac jam hoc loco non hortatione, neque præceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum, curam, cogitationemque tuam ponas in omnium laude undique colligenda. Quòd si in mediocri statu sermonis ac prædicationis nostræ res essent, nihil abs te eximium, nihil præter aliorum consuetudinem postularetur. nunc verò propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem & magnitudinem, nisi summam laudem ex ista provincia assequimur, vix videmur summam vituperationem posse vitare. Ea nostra ratio est, ut omnes boni cùm faveant, tum etiam à nobis omnem diligentiam virtutemque & postulent & exspectent: omnes autem improbi, quòd cum iis bellum suscepimus sempiternum, vel minima re ad reprehendendum contenti esse videantur. [51] Quare quoniam ejusmodi theatrum to-

51. *Quare quoniam ejusmodi theatrum totius Asiæ virtutibus est datum.*] Lectio minus sana, licet sic quoque Victorius, nam retro cusi; *ejusmodi theatrum est totius Asiæ, celebritate &c.* quod & Manutiani retinuere. quippe Lambinus, *theatrum tuis virtutibus est datum.* sed præter MSS. nostros, quorum aliqui; *theatrum totius celebritate &c.* aliqui admittunt præterea vocem *Asiæ*, exclusis tamen ceteris. *Gruter.* Etiam Balliol. *ejusmodi theatrum totius celebr.* Gronov.

Quare quoniam ejusmodi theatrum TOTIUS ASIÆ *virtutibus est datum*] sic Gruterus, Victorius etiam, sensu nullo. Manutius & Lambinus tollunt dictiones, *totius Asiæ*, & interponunt, *tuis*; ut sic legatur, *quoniam ejusmodi theatrum* tuis *virtutibus est datum.* recte illi quidem; sed aliud est; nempe voces illas, *totius Asiæ*, reponendas conjicio ante vocem, *celebritate. Quare quoniam ejusmodi theatrum tuis*

totius Asiæ virtutibus est datum, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, judicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur: contende quæso atque elabora, non modò ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse videare.

§. 15. Et quoniam mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reipublicæ, tibi provincialem dedit; [52] etsi mea pars nemini cedit, fac ut tua ceteros vincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua & sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare. quæ quidem non tam [53] expetenda nobis fuit, quàm tuenda est. Ac si mihi quidquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi jam partus est. nunc verò res sic sese habet, ut, nisi omnia tua facta atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me meis tantis laboribus, tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. Quòd si ut amplissimum nomen consequeremur, unus præter ceteros adjuvisti, certè idem, ut id retineamus, præter ceteros elaborabis. Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis qui nunc sunt hominum, sed iis etiam qui futuri sunt: quamquam illorum erit verius judicium obtrectatione & malevolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quærere: quod si esset, tamen non negligeres, præsertim cùm amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam

tuis virtutibus est datum, totius Asiæ celebritate *refertissimum.*

Quoniam ejusmodi theatrum est totius Asia, celebritate refertissimum] sic MS. quorum lectio mihi probatur maxime. cetera enim huc aliunde videntur translata. *F. Junius.*

52. *Et si mea pars.*] Otiosa est copula, vel potius sensum corrumpit. *Malasp.*

Et si mea pars.] *Faernus* jure delebat hic quoque conjunctionis notam *&*. Ursinus.

53. *Expetenda fuit, quam tuenda nobis est.*] *Nobis*, in meis est, post *Expetenda*, hoc ordine. *Non tam expetenda nobis fuit, quam tuenda est.* Et cadit lepidius & numerosius. *Malasp.*

memoriam nominis tui: sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris. In qua cavendum est, ne, si negligentior fueris, [54] non solùm tibi parum consuluisse, sed etiam tuis invidisse videaris.

§. 16. Atque hæc non eò dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potiùs ut currentem incitasse videatur. Facies enim perpetuò, quæ fecisti, ut omnes æquitatem tuam, temperantiam, severitatem, integritatemque laudent. Sed me quædam tenet, [55] propter singularem amorem, infinita in te aviditas gloriæ: quamquam illud existimo, cùm jam tibi Asia, sicut unicuique sua domus, nota esse debeat, cùm ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse quod ad laudem attineat, quod non tu optimè perspicias, & tibi non sine cujusquam hortatione in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui cùm tua lego, te audire, & qui cùm ad te scribo, tecum loqui videor: idcirco & tua longissima quaque epistola maximè delector, & ipse in scribendo sæpe sum longior. Illud te ad extremum & oro & hortor, ut tamquam poetæ boni & actores industrii solent, sic tu in extrema parte & conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, [56] tamquam tertius actus, perfectissimus atque

54. *Non solum tibi parum consuluisse &c.*] Illud *non solum* exclusit editione sua Victorius, neque reperi in duobus Palatinis, & poterat abesse. *Gruter.*

Non solum tibi parum consulueris.] In nullo meorum invenitur *non solum.* Quia non raró a Cicerone, ut nos antea admonuimus & alii animadverterunt, omitti solet: tot veterum librorum consensum non arbitror negligendum. Sed & peritæ aures sentiunt, quàm absit sine desiderio. Valet autem, *sed etiam* in hoc loco, *imo, quin etiam, imo vero.* aut certe defectus est negationis, *non solum.* Malasp.

Non solum tibi parum consuluisse.] Edit. 1470. & Vict. non habent, *non solum. cavendum est ne tibi parum consuluisse, sed & tuis invidisse videaris.*

55. *Propter singularem amorem, infinita in te aviditas gloriæ.*] Legendum opinor, *propter singularem in te amorem, infinita* aviditas gloriæ. *Ursinus.*

56. *Tanquam tertius actus.*] Cum extremus annus provincialis negotii a M. Tullio talis in fratre postuletur, qualis extrema pars & conclusio poëtarum solet esse: nimirum perfectissima & ornatissima, quo modo tamen tertio actui comparatur, qui medius est? An per actus Cicero, tres illas partes fabularum intelligit, quarum a poetis in primis ratio habetur, πρότασιν, ἐπίτασιν, καταστροφὴν? qua-

atque ornatissimus fuisse videatur. Id facillimè facies, si me (cui semper uni magis quàm universis placere voluisti) tecum semper esse putabis, & omnibus iis rebus, quas dices ac facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut valetudini tuæ, si me & tuos omnes valere vis, diligentissimè servias.

EPISTOLA II.

MARCUS Q. FRATRI, S.

§. I. STatius ad me venit a. d. VIII. Kal. Novemb. ejus adventus, quòd ita scripsisti direptum iri te à tuis, dum is abesset, molestus mihi fuit. Quòd autem exspectationem tui concursumque eum, qui erat futurus, si unà tecum decederet, neque anteà visus esset, sustulit, id mihi non incommodè visum est accidisse. Exhaustus enim est sermo hominum, [1] & multis emissæ jam ejusmodi voces, [2] ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν. quæ

quarum in extrema, quæ fabula eluditur, plurimum artificii atque industriæ, quo plausus excipiant, ponunt poetæ? Hac eadem similitudine usus est in Catone, iisdem pene verbis. Hoc si docti probant, non est, quod vel *extremus* actus, vel *ultimus* legamus, contra veterum librorum scripturam. *Malasp.*

Tanquam tertius actus] sit, inquit, tertius hic annus, qui & ultimus, in provincia perfectissimus atque ornatissimus, sicut est ultimus actus, *quintus* non *tertius* in fabula. displicent illa, *tanquam tertius actus.* malim legere cum doctis quibusdam, haud ita magna mutatione, *extremus* pro *tertius. ut Poetæ boni & actores industrii solent, sic tu in* extrema parte & conclusione *muneris* &c. *ut hic* tertius annus *imperii tui tanquam* extremus actus, *perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.*

1. *Et multis emissæ.*] Edit. 1470. & Lamb. *multa emissa.*

2. Ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν.] Hemistichium est Homeri ex libro 10. Odysseæ, pronuntiatum a Polyphemo, cum, vero nomine Ulyssis audito, recordatus est, sibi olim a Telemo vate hanc calamitatem præsignificatam esse, quod tamen eum decepit, insidiisque expositum reddidit, fuisse dicit, quod nunquam putasset illum Ulyssem esse tam parvo corpore & tam nullis viribus præditum, sed semper se existimasse, magnum quempiam virum & formosum illuc venturum, a quo sibi timendum esset: quod Stathio pulchre convenit; cum enim Romæ multus sermo fuisset Stathium quendam esse, qui tantum apud Quintum posset, ut ejus voluntate omnia in provincia gereret, existimassentque omnes hunc prudentem quempiam virum esse & magni consilii; cum postea speciosum puerum vidissent, eumque esse cognovissent Stathium illum, cujus nutum cuncta provincia observabat, se

quæ te absente confecta esse lætor. [3] Quòd autem idcirco à te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minimè fuit. Primùm enim numquam ille mihi fuit suspectus: neque ego, quæ ad te de illo scripsi, scripsi meo judicio: sed cùm ratio salusque omnium nostrûm, qui ad rempublicam accedimus, non veritate solùm, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, non mea judicia perscripsi. qui quidem quàm frequentes essent & quàm graves, adventu suo Statius ipse cognovit. Etenim intervenit nonnullorum querelis, quæ apud me de illo ipso habebantur, & sentire potuit sermones iniquorum in suum potissimùm nomen erumpere. Quod autem me maximè movere solebat, cùm audiebam illum plus apud te posse, quàm [4] gravitas illius ætatis, & imperii prudentia postularet (quam multos enim mecum egisse putas, ut se Statio commendarem? [5] quàm multa autem ipsum ἀφελῶς mecum in sermone ita protulisse?) id mihi non placuit: monui, suasi, deterrui. Quibus in rebus etiam si fidelitas summa est (quod prorsus credo, quoniam tu ita judicas) tamen species ipsa tam gratiosi liberti aut servi dignitatem habere nul-

se tantæ stultitiæ damnantes in sententiam verborum Polyphemi cadebant, pariter ut ille, decepti. Quas omnes voces Quinto absente emissas esse, omniaque ea confecta ante adventum ejus lætatur Cicero, magis enim timendas fuisse malevolorum linguas, si una secum illum duxisset, nec antea Romæ puer ille visus esset; quicquid enim dici poterat quod Quinto pudorem adferret, jam exhaustum erat. Scimus Erasmum aliter de hoc loco sensisse in Proverbiis, nec tamen veriti sumus nostram sententiam libere contra tanti viri judicium exponere, quia veriorem eam putamus. tam autem veritatis amici sumus quam qui maxime. *Victorius.* videndus ad hunc locum *Manutius.*

3. *Quod autem idcirco.*] MS. Balliol. non male *quod si autem idcirco.* Gronov.

Quod autem] *quod item* Faernus. *Ursinus.*

4. *Gravitas illius ætatis & imperii prudentia.*] Vetus Edit. *gravitas illius ætatis*, imperii, prudentiæ *postularet.* & paulo post sic habet, *quam multa autem ipsum ἀσφαλῶς mecum in sermone? ita* potuisse &c.

5. *Quam multa autem ipsum* (*ἀσφαλῶς enim mecum*) in sermone ita protulisse?] sic MS. quam lectionem probo; etsi non improbanda altera, ἀφελῶς. Distinctiones autem mutavimus, quia sic postulare visa est contextus ratio. *F. Junius.*

nullam potest. Atque hoc sic habeto, (nihil enim nec temerè dicere nec astutè reticere debeo) [6] materiam omnem sermonum eorum, qui de te detrahere velint, Statium dedisse: & anteà tantùm intelligi potuisse, iratos tuæ severitati esse nonnullos: hoc manumisso, iratis, quod loquerentur, non defuisse.

§. 2. [7] Nunc respondebo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Cæsius (cui, quoniam ita te velle intelligo, nullo loco deero) quarum altera est [8] de Blaudenio Zeuxide, quem scribis certissimum matricidam tibi à me intimè commendari. Qua de re, & de hoc genere toto, ne fortè me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. Ego cùm Græcorum querelas nimium valere sentirem, propter hominum ingenia ad fallendum parata, quoscumque de te queri audivi, quacumque potui ratione placavi. Primùm [9] Dionysipolitas, qui erant inimicissimi mei, lenivi: quorum principem Hermippum non solùm sermone meo, sed etiam familiaritate devinxi. Ego Apamensem Hephæstum, ego levissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnæum, ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus, Nymphontem etiam Colophonium; quæ feci omnia, non quò me aut ii homines, aut tota natio delectaret: pertæsum est levitatis, assentationis, animorum non officiis sed temporibus servientium. Sed ut ad Zeuxim revertar: cùm is de M. Cascellii sermone secum habito, quæ tu scribis, ea ipsa loqueretur, obstiti ejus sermoni, & hominem in familiaritatem

6. *Materiam omnem sermonum eorum*] Velim legi, *materiam omnem sermonum iis*, qui &c. *Lambinus.*

7. *Nunc respondebo &c.*] Nihil variant Pall. Paulus tamen Manutius maluit, *Non respond.* Gruter.

8. *De Blaudenio Zeuxide.*] Vulgò, *Blandenio.* nam Victorius *Blandenio Teuxide.* Pall. mirè discrepant. pr. *Blainde Teuxide.* sec. *Blainde Zeuxide.* tert. *Blaide. Teuxide.* quart. *Blaindeno Zeuxide.* Gruter. Ball. *Blinde Zeux.* Gronov.

9. *Dionysipolitas.*] Opinor scribendum, *Dionysopolitas.* in veteribus enim numismatibus video incisum, ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ. Ursinus.

tem recepi. Tua autem quæ fuerit cupiditas tanta nescio, quòd scribis cupiisse te, quoniam Smyrnæ [10] duos Mysios insuisses in culeum, simile in superiore parte provinciæ edere exemplum severitatis tuæ, & idcirco Zeuxim elicere omni ratione voluisse: quem adductum in judicium fortasse dimitti non oportuerit; conquiri verò & elici blanditiis (ut tu scribis) ad judicium necesse non fuit; eum præsertim hominem, quem ego & ex suis civibus & ex multis aliis quotidie magis cognosco nobiliorem esse propè, quàm civitatem suam. At enim Græcis solis indulgeo. Quid? L. Cæcilium nonne omni ratione placavi? quem hominem? qua ira? quo spiritu? quem denique præter Tuscenium, cujus causa sanari non potest, non mitigavi? Ecce supra caput homo levis ac sordidus, sed tamen [11] equestri censu, Catienus: etiam is lenietur. cujus tu in patrem quòd fuisti asperior, non reprehendo: certò enim scio te fecisse cum causa. sed quid opus fuit ejusmodi litteris, quas ad ipsum misisti? [12] illum crucem sibi ipsum constituere, ex qua tu eum antè detraxisses: te curaturum [13] fumo ut combureretur, plaudente tota provincia. Quid verò ad C. Fabium nescio quem? (nam eam quoque epistolam

10. *Duos Mysios.*] Cur Grutero placuerit relinquere Manutium. qui unus diserte ostendit a se acrius hunc locum in MS. spectatum, in Bessarionis libro esse *duo* testans, & alios sequi, qui ad alia festinantes forsan noluerunt ad hoc attendere, non intelligo; quum toties alibi ex optimis libris ita Ciceronem restituerit, & sufficiat in hac parte vel unius veteris monumenti fides. Præterea Balliol. *duos smirsos* tanquam Hervagianam *Mysios* confirmaret, pro quo Victoriani aliique *Mysos*, quum utique superius etiam trisyllabum amaverit. Scripsi etiam *Apamensem* ex vetustioribus, non invidens Grutero *Apameensem*, cuius nullam partem meam esse volo. *Gronov.*

11. *Equestri in censu.*] MS. *in cessu.* id autem est, *censu*; ut ad librum 2. epist. ad Attic. epist. 1. ante adnotavimus. *F. Junius.*

12. *Illum crucem sibi ipsi constituere.*] In meis omnibus, *sibi ipsum.* quæ dicendi forma Ciceroni est etiam usitatior. Infra ad eundem lib. III. *O Dii, quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali.* Sed res est pervulgata. Nec illud obstat, quod *illum* antea dixerit, cum *illum ipsum* dicamus, pro *illummet.* Et hercule acrius in hominem invehitur, cum dicit *illum ipsum* sibi mali caussam fuisse. *Malasp.*

13. *Fumo ut combureretur.*] Pro *fumo* placeret si legeretur, *furno.* Ursinus.

lam T. Catienus circumgestat) renuntiari tibi, Licinium plagiarium cum suo pullo milvino tributa exigere? Deinde rogas Fabium, ut & patrem & filium vivos comburat, si possit: sin minùs, ad te mittat, uti judicio comburantur. Hæ litteræ abs te per jocum missæ ad C. Fabium, si modò sunt tuæ, cùm leguntur, invidiosam atrocitatem verborum habent. Ac si omnium mearum litterarum præcepta repetes, intelliges nihil esse à me, nisi orationis acerbitatem & iracundiam, &, si fortè, raro litterarum missarum indiligentiam reprehensam. Quibus quidem in rebus si apud te plus auctoritas mea, quàm tua, sive natura paullo acrior, sive quædam dulcedo iracundiæ, sive dicendi sal facetiæque valuissent, nihil sanè esset, quòd nos pœniteret. Et mediocri me dolore putas affici, cùm audiam, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octavius? Nam si te interioribus vicinis tuis, Ciliciensi, & Syriaco anteponis, valde magnum facis. Atque is dolor est, quòd cùm ii, quos nominavi, te innocentia non vincant, vincunt tamen artificio benivolentiæ colligendæ, qui neque Cyrum Xenophontis, neque Agesilaum noverint: quorum regum summo in imperio nemo umquam verbum ullum asperius audivit.

§. 3. Sed hæc à principio tibi præcipiens, quantum profecerim, non ignoro. Nunc tamen decedens (id quod mihi jam facere videris) relinque, quæso, quàm jucundissimam memoriam tui. Successorem habes perblandum: cetera valde [14] illius adventu tua requirentur. In litteris mittendis (ut sæpe ad te scripsi) [15] nimiùm te exorabilem præbuisti. tolle omnes, si potes, iniquas, tolle inusitatas, tolle contrarias. Statius mihi narravit

14. *Illius adventu tua requirentur.*] Absurde Manutius & Lambinus, *tuo*, contra MS. olimque editos. *Gruterus.* *Illius adventu tua requirentur.*] Sic MS. venustius & verius. *F. Junius.*

15. *Nimium te exorabilem.*] Edit. vetus, *inexorabilem.* sed alterum placuit Manutio atque *Lambino.*

vit ſcriptas ad te ſolere afferri, ab ſe legi, & ſi iniquæ ſint, fieri te certiorem. antequàm vero ipſe ad te veniſſet, nullum delectum litterarum fuiſſe: ex eo eſſe volumina ſelectarum epiſtolarum, quæ reprehendi ſolerent. Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo, ſerò eſt enim, ac ſcire potes multa me variè diligenterque monuiſſe. Illud tamen quod Theopompo mandavi, cùm eſſem admonitus ab ipſo, vide per homines amantes tui, quod eſt facile, ut hæc genera tollantur epiſtolarum, primùm iniquarum, deinde contrariarum, tum abſurdè & inuſitatè ſcriptarum, poſtremò in aliquem contumelioſarum. Atque ego hæc tam eſſe, quàm audio, non puto: & ſi ſunt occupationibus tuis minùs animadverſa, nunc perſpice & purga. Legi epiſtolam, quam ipſe ſcripſiſſe Sulla nomenclator dictus eſt, non probandam: legi nonnullas iracundas. [16] ſed tempore ipſo de epiſtolis. Nam cùm hanc paginam tenerem, L. Flavius prætor deſignatus ad me venit, homo mihi valde familiaris. Is mihi, te ad procuratores ſuos litteras miſiſſe, quæ mihi viſæ ſunt iniquiſſimæ: ne quid de bonis, quæ L. Octavii Naſonis fuiſſent, cui L. Flavius heres eſt, deminuerent antè, quàm C. Fundanio pecuniam ſolviſſent. Itémque miſiſſe ad [17] Apollonidienſes, ne de bonis, quæ Octavii fuiſſent, deminui paterentur, priusquàm Fundanio debitum ſolutum eſſet. Hæc mihi veriſimilia non videntur. ſunt enim à prudentia tua remotiſſima. Ne deminuat heres? Quid ſi infitiatur? Quid ſi omnino non debetur? Quid? prætor ſolet judicare deberi? Quid? ego Fundanio non cupio? non amicus ſum? non miſericordia moveor? nemo magis: ſed via juris ejuſmodi eſt quibuſdam in re-

16. *Sed tempore ipſo* furor dabit. Hæc *de epiſtolis.*] Sic MS. quorum auctoritatem confirmat ratio. *F. Junius.*

17. *Apollonidienſes.*] Ita Lambinus. nam Pall. *Apollonidenſes.* vulgata, *Apolonienſes.* Gruter.

rebus; ut nihil sit loci gratiæ. Atque ita mihi dicebat Flavius, scriptum in ea epistola, quam tuam esse dicebat, te aut quasi amicis tuis gratias acturum, aut quasi [18] inimicis incommoda laturum. Quid multa? ferebat graviter, id vehementer mecum querebatur, orabatque ut ad te quàm diligentissimè scriberem: quod facio, & te prorsus vehementer etiam atque etiam rogo, ut & procuratoribus Flavii [19] remittas de diminuendo, & de Apollonidiensibus nequid perscribas, quod contra Flavium sit: ampliùs, & Flavii causa, & scilicet Pompeji, facias omnia. Nolo medius fidius ex tua injuria in illum tibi liberalem me videri. [20] sed & te oro, ut tu ipse auctoritatem & monumentum aliquod decreti, aut litterarum tuarum relinquas, quod sit ad Flavii rem & ad causam accommodatum. Fert enim graviter homo & mei observantissimus, & sui juris dignitatisque retinens, se apud te neque amicitia neque jure valuisse: &, ut opinor, Flavii aliquando rem & Pompejus & Cæsar tibi commendarunt: & ipse ad te scripserat Flavius, & ego certè. Quare si ulla res est, quam tibi me faciendam petente putes, hæc ea sit. Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flavius & tibi & mihi quàm maximas gratias agat. hoc te ita rogo, ut majore studio rogare non possim.

§. 4. Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule valde molestum fuit. Litteras ad te parum fraternè scripseram, quas oratione Diodoti, Luculli liberti, commotus, de pactione statim quòd audieram, iracundiùs scripseram, & revocare cupiebam. huic tu epistolæ non fraternè scriptæ, fraternè debes ignoscere. De Censorino, An-

18. *Inimicis incommoda laturum.*] Sic tres Pall. at quart. *incommodaturum.* quidam mallent *incommoda allaturum*, quare? *Gruter.*

19. *Remittas de diminuendo.*] Reposui veterem lectionem, ex editis & Balliol. MS. quum Gruterina editio habeat *remittas deminuendo*, ut opinor, typorum vitio: quod sequuntur tamen recentes. *Gronov.*

20. *Sed & te oro*] *Sed te oro* Faernus sine copula &. Ursinus.

Antonio, Cassio, Scævola, te ab iis diligi (ut scribis) vehementer gaudeo. cetera fuerunt in eadem epistola [21] graviora quam vellem, [22] ὀρθὰν τὰν ναῦν, & ἅπαξ θανεῖν. majora ista erunt. Meæ objurgationes fuerunt amoris plenissimæ, quæ sunt nonnullæ, sed tamen mediocres, & parvæ potiùs. Ego te numquam ulla in re dignum minima reprehensione putassem, cùm te sanctissimè gereres, nisi inimicos multos haberemus. Quæ ad te aliqua admonitione, aut objurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meæ, in qua & maneo & manebo, & idem ut facias, non desistam rogare. Attalus Iphemenus mecum egit, ut se ne impedires, quo minùs, quod ad [23] Q. Publiceni statuam decretum est, erogaretur: quod ego te & rogo & admoneo, ne talis viri, tamque nostri necessarii, honorem minui per te aut impediri velis. Præterea Æsopi tragœdi, nostri familiaris, Licinius servus, tibi notus, aufugit. Is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit. inde in Asiam venit. Postea Plato quidam Sardianus, Epicureus, qui Athenis solet esse multùm, & qui tum Athenis fuerat, cùm Licinius eò venisset, cùm eum fugitivum posteà esse [24] ex Æsopi litteris cognosset, hominem comprehendit,

21. *Graviora: quam vellem*, ὀρθὰν τὰν ναῦν & ἅπαξ θανεῖν. *Majora ista erunt.*] Hæc verba ex litteris. Q Fratris. Ideoque & alias visum est distinctiones adhibere, & characterem alium. *F. Junius.*

22. ὀρθὰν τὰν ναῦν.] Videtur alludere ad sententiam illam vulgatam, εὖ ἴσθι, Ποσειδᾶν, ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω; quam Seneca libro 12. Epistolarum (ep. 85.) Latine pronuntiat in illo loco, *Gubernator tibi non felicitatem promisit, sed fidelem operam & navis regendæ scientiam; hæc eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit; qui hoc potuit dicere*, Neptune, nunquam hanc navem, nisi rectam; *arti satisfecit; tempestas non opus gubernatoris impedit sed successum* &c. Ad eandem puto spectare Quintilianum, cum dicit, *Nam & gubernator vult salva nave in portum pervenire, si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator; dicet notum illud;* dum clavum rectum teneam. *Victorius.* Vide ad hunc locum satis obscurum quidem explanationes P. Manutii. non video quo pertineant illa, *ἅπαξ θανεῖν*, aut illa, *Majora ista erunt.* paulo post lege, *Quæ ad te* cum *aliqua admonitione* &c.

23. *Q. Publiceni statuam.*] Pal. sec. *publicam statuam.* tert. *publicani statuam.* quart. *publicè in statuam*, Gronov.

24. *Ex Æsopi litteris cognosceret.*] Ita Gruterus & alii, quum Michaël Brutus

dit, & in custodiam Ephesi tradidit: [25] sed in publicam, vel in pistrinum, non satis ex litteris ejus intelligere potuimus. Tu quoquo modo, quoniam Ephesi est, hominem investiges velim, summaque diligentia vel tecum deducas. Noli spectare quanti homo sit: parvi enim pretii est, qui jam nihili sit: sed tanto dolore Æsopus est affectus propter servi scelus & audaciam, ut nihil ei gratius facere possis, quàm si illum per te recuperarit.

§. 5. Nunc ea cognosce, quæ maximè exoptas. Rempublicam funditus amisimus: adeò ut Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen civis Romanus & Cato, vix vivus effugeret; quòd, cùm Gabinium de ambitu vellet postulare, neque prætores diebus aliquot adiri possent, vel potestatem sui facerent, in con-

tus apud Gryphium *cognosset*, MS. Balliol. *cognovisset*. Elegi, quod negari vix poterat ab manu Tullii venisse. An autem hic Licinius non vere sit *Licinus*, quæ nomina propinqua & in Augusti liberto novimus quosdam turbasse, viderint alii. *Gronov.*

25. *Sed in publicam, vel in pistrinum.*] Romanus, contra quam reliqui mei, *an* loco *vel* habet. Ego, quanquam scio vulgatam lectionem & grammaticorum præceptis & scriptorum exemplis repugnare, tamen ejus unius libri auctoritatem tot aliorum testimoniis præferre non audeo: sed censeo cogitandum, num ne afferri alius possit ex Cicerone locus, unde intelligamus *vel* non nunquam *an* valere: nisi est ille forte ad Pætum, *Amo verecundiam, vel potius libertatem loquendi*. Quem locum, siquis attentius epistolæ finem inspiciat, sane intelliget, ne ipse sibi Cicero adversetur, ἀποφηματικῶς cum nota interrogationis esse enunciandum: atque ob eam causam *vel* eo in loco *an* significare. Finis est autem hic. *Ego servo & servabo (sic enim assuevi) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici.* Quem quis non videt ex adverso cum initio pugnare? Interrogative legatur ergo: qua loquendi forma, non semel ad Atticum scribens & alibi usus est, cum de duobus utrum affirmaret non haberet. Nam libro primo, *nos hic te* (inquit) *ad mensem Januarium expectamus: ex quodam rumore, an ex litteris ad alios missis?* Quo modo, si, *Amo verecundiam*, pronuntietur, videbimur posse affirmare, *vel* pro *an* usurpatum non nunquam a Cicerone fuisse: & in hoc ipso loco, quo de agitur, nihil esse movendum, præsertim in ea lectione consentientibus libris. Neque tamen oblitus sum, quid Fabius Quinctilianus de his ipsis conjunctionibus scriptum reliquerit: nimirum esse quædam cognata, ut dicunt, id est, ejusdem generis; in quibus qui alia specie quam oporteat utatur; non minus quam ipso genere permutato, delinquat. *An*, & *Aut*, conjunctiones esse quidem, male tamen (inquit) interroges, *Hic aut ille sit*. Sed nos existimamus Quinctilianum, de rectissima dicendi ratione esse locutum; a qua non nunquam magni nominis scriptores paululum declinant, jure quodam suo. Verum opponat aliquis; Fabium ibi de *An* & *Aut*, non *An* & *Vel*, esse locutum. Cui nos; Nihil referre: *Vel* enim

concionem adſcendit, & [26] Pompejum privatus dictatorem appellavit. propius nihil eſt factum, quàm ut occideretur. Ex hoc, qui ſit ſtatus totius reipublicæ, videre potes. Noſtræ tamen cauſæ non videntur homines defuturi. mirandum in modum profitentur, offerunt ſe, pollicentur: [27] & quidem cùm ſpe ſum maxima, tum majore etiam animo. ſpero ſuperiores fore nos: confido animo, ut in [28] hac republica ne caſum quidem ullum pertimeſcam: ſed tamen res ſic ſe habet. Si diem nobis Clodius dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria diſcedamus; ſin autem vi agere conabitur, ſpero fore ſtudiis non ſolùm amicorum, ſed etiam alienorum, ut

nim & *Aut*, ἰσοδύναμα eſſe, ubi præſertim nullæ res hujuſmodi conjunguntur, quæ natura disjunctæ ſint. In hoc enim genere indifferenter utrovis uti licere. Sic enim de his Feſtus. *Vel*, colligatio quædam eſt disjunctiva; ſed non earum rerum quæ natura disjunctæ ſunt: in quibus *Aut* disjunctione rectius utimur: ut *Aut dies eſt, aut nox*. Sed earum quæ non ſunt contrariæ quæ eligatur nihil intereſt: Ennius. *Vel tu dictator, vel equorum equitumque magiſter eſto, vel Conſul.* &c. *Malaſp.*

26. *Pompejum privatus dictatorem appellavit.*] MS. quem Wouwerius notavit litera T. præferebat *privatum Dictatorem*, cui & ſua argutia, ſed neſcio an huic loco conveniens. *Gruter.*

27. *Et quidem cùm ſpe ſum maxima, tum majore etiam animo. ſpero &c.*] Sic Aldini. at Victorius, *& quidem ut cum ſpe ſumma, maxima, tum majore etiam animo ſperent ſuperiores fore nos, confidant animo &c. pertimeſcat.* nec multum abeunt ab tali lectione Pall. aut alii ſcripti: ex quibus liquet locum miſerè corruptum. *Gruter.* Non ita, Grutere, nec Victorius is fuit, qui tam ridicule iteraret τὸ *ſumma*, quod vocabulum prima vice nec in Juntina nec in Stephanina apparet; lapſus calami opinor decepit induſtriam Gruteri. Ut autem legit Victorius, eodem inclinat Balliolenſis, idemque de codice Beſſarionis teſtatur Manutius. Mox etiam τὸ *Clodius* ignorat MS. Balliol. ut & Victorius, & videri poteſt Cicero de ea cauſa antehac ſæpius egiſſe, ut nunc ſiluerit nomen, aut noluerit nimis apertus eſſe, ut ſæpe. *Gronov.*

Et quidem cum ſpe &c. pertimeſcam.] Locus miſere depravatus. videtur Manutius ad veritatem proxime accedere. ex iis quæ habet Edit. 1470. Victorius, Lambinus, & cujus editionem nos ſequimur, Gruterus, nullus ſenſus elici poteſt. Cæterum ad hunc modum Manutius partim ex conjectura, partim ex vetuſtiſſimo illo atque optimo Beſſarionis codice: *Ut quidam, cum ſpe ſumma, tum majore etiam animo, ſperent ſuperiores fore nos; confidant adeo, ut in hac re ne caſum quidem ullum* &c.

Equidem cum ſpe ſum maxima, tum majore etiam animo, ut in hac re ne caſum quidem ullum pertimeſcam.] Ita puto legendum hunc locum, comprobante etiam aliqua in parte vetere ſcriptura. *Urſinus.*

28. *Ut in hac republica.*] Aſſentior Manutio, qui legendum cenſet, *in hac re* &c. non ut vulgo, *ut in hac republica. Lambinus.* paulo ſupra lege, *ſed in publicam*, an *in piſtrinum*; ut habet Vetus Editio.

ut vi resistamus. Omnes & se & suos liberos, amicos, clientes, libertos, servos, pecunias denique suas pollicentur. Nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri atque amore. Siqui anteà aut alieniores fuerant aut languidiores, nunc horum regum odio se cum bonis conjungunt. Pompejus omnia pollicetur & Cæsar: quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam. Tribuni plebis designati sunt nobis amici. Consules se optimè ostendunt. Prætores habemus amicissimos & acerrimos cives, Domitium, Nigidium, Memmium, Lentulum: bonos etiam alios: sed hos singulares. Quare magnum fac animum habeas & spem bonam. De singulis tamen rebus, quæ quotidie gerantur, faciam te crebrò certiorem.

EPISTOLA III.

MARCUS Q. FRATRI, S.

MI frater, mi frater, mi frater, tune id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine litteris miserim? [1] aut etiam ne te videre noluerim? Ego tibi irascerer? [2] tibi ego possem irasci? scilicet: tu enim me afflixisti: tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te miserè perdidi. Meus ille laudatus consulatus, mihi te, liberos, patriam, fortunas; tibi velim nequid eripuerit, præter unum me. Sed certè à te mihi omnia semper honesta & jucunda ciciderunt; à me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuæ, desiderium, mæror, soli-

1. *Aut etiam ne te videre noluerim.*] *Voluerim* est in vetere libro, pro noluerim. *Ursinus.*

2. *Tibi ego possem irasci? scilicet: tu enim*] sic distinguendum puto, *tibi ego possem irasci scilicet? tu enim* &c. ut habebat antiquus ille liber Manutii. ipsi Manutio magis placet, *irasci? scilicet tu enim* &c. *ne te videre noluerim*] reposui *noluerim*, cum esset antea & hic & in Edit. Lambini, *voluerim*, contra sensum.

ſolitudo. Ego te videre noluerim? Immò verò me à te videri nolui. Non enim vidiſſes fratrem tuum: non eum, quem reliqueras: non eum, quem noras: non eum, quem flens flentem, proſequentem proficiſcens dimiſeras: ne veſtigium quidem ejus, nec ſimulachrum; ſed quandam effigiem ſpirantis mortui. Atque utinam me mortuum priùs vidiſſes aut audiſſes! Utinam te non ſolùm vitæ, ſed etiam dignitatis meæ ſuperſtitem reliquiſſem! Sed teſtor omnes deos, me hac una voce à morte eſſe revocatum, quòd omnes in mea vita partem aliquam tuæ vitæ repoſitam eſſe dicebant. Quare peccavi, ſcelerateque feci. nam ſi cecidiſſem, mors ipſa meam pietatem, amoremque in te facilè defenderet. nunc commiſi, ut vivo me careres, vivo me aliis indigeres: mea vox in domeſticis periculis potiſſimùm occideret, quæ ſæpe alieniſſimis præſidio fuiſſet. Nam quòd ad te pueri ſine litteris venerunt, quoniam vides [3] non fuiſſe iracundiæ cauſa, certè pigritia fuit, & quædam infinita vis lacrimarum, & dolorum. Hæc ipſa me quo fletu putas ſcripſiſſe? eodem quo te legere certò ſcio. An ego poſſum aut non cogitare aliquando de te; aut umquam ſine lacrimis cogitare? Cùm enim te deſidero, fratrem ſolum deſidero? Ego verò [4] ſuavitate propè fra-

3. *Non fuiſſe iracundiæ cauſa.*] Sic Pall. niſi quod quartus, *cauſam*. Lambinus edidit *iracundiam*, *cauſam*. mallem *iracundia*, omiſſo illo *cauſa*. Gruter.

Non fuiſſe iracundiæ cauſa] Lambinus, *iracundiam*, *cauſam*, potius, *non fuiſſe iracundiam in cauſa*. vet. Ed. *iracundiæ cauſam*.

4. *Suavitate prope fratrem, propè æqualem.*] Nihil variant libri, quare malim cum Manutio ac Malaſpina abjicere *prope fratrem*; quàm reſcribere fide Lambini, *ſuavitate fratrem, ætate prope æqualem &c.* qua emendatione nihil frigidius. *Gruter.*

Suavitate prope fratrem.] Non ſecus mei omnes. Et mihi rectè Manutius emendaſſe videtur. Quanquam, ſi *Fratrem* ſervare libet, liceat in hunc modum legere, *ego vero fratrem, ſuavitate prope æqualem.* Et tamen ſic minus placet, quam ſi fratrem deleatur. Dixit autem, *ſuavitate æqualem*, quod *amor*, ut alibi idem ait, *inter fratres ſit*, *ſuavitas non ſit.* Ea eſt enim inter æquales, hoc eſt, inter amicos. Itaque infra, cum fratri ſuavitatem, quæ ei non conveniret, tribueret, hoc temperavit, addita parti-

cula

fratrem, propè æqualem, obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi sine te umquam, aut tibi sine me jucundum fuit? Quid quòd eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio? effigiem oris, sermonis, animi mei? Quid filium venustissimum, mihique dulcissimum? quem ego ferus ac ferreus è complexu dimisi meo, sapientiorem puerum quàm vellem. sentiebat enim miser jam, quid ageretur. Quid verò tuum filium? quid [5] imaginem meam, quam meus Cicero & amabat ut fratrem, & jam ut majorem fratrem verebatur? Quid quòd mulierem miserrimam, fidelissimam conjugem, me prosequi non sum passus, ut esset quæ reliquias communis calamitatis communes liberos tueretur? Sed tamen, quoquo modo potui, scripsi, & dedi litteras ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi posteà redditas esse: in quibus idem te hortor & rogo, quod pueri tibi verbis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas & properes. Primùm enim te præsidio esse volui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata. Deinde congressus nostri lamentationem pertimui: digressum verò non tulissem: atque etiam idipsum, quod tu scribis, metuebam, ne à me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malum, quòd te non vidi, quo nihil amantissimis & conjunctissimis fratribus acerbius ac miserius videtur accidere potuisse, minùs acerbum,

cula *etiam*, quæ ibi valet, *ut hoc etiam addam: ut ita dicam.* Locus est lib. II. epist. III, hic: *Quæ quidem, tua mi frater prudentia, patientia, virtute, pietate, suavitate etiam, tibi mihique sunt restituta.* Malasp.

Suavitate prope fratrem, prope æqualem.] Sic omnes quas vidi Editiones, nullo sensu. Lambinus ex conjectura, *suavitate fratrem*, ætate *prope æqualem*, videndus *Manutius.*

Suavitate fratrem, ætate prope æqualem] sic esse legendum veritas & ratio probant. si quis tamen assentiens Manutio & Malæspinæ malet ita legi, voce *fratrem* deleta, *suavitate prope æqualem*, non pugnabo. *Lambinus.*

5. *Imaginem meam.*] Legendum fortasse est, *imaginem tuam.* quod videtur & Manutio. *Lambinus.*

bum, minùs miserum fuit, quàm fuisset cùm congressio tum verò digressio nostra. Nunc, si potes, id quod ego, qui fortis tibi semper videbar, non possum, erige te & confirma, siqua subeunda dimicatio erit. Spero, siquid mea spes habet auctoritatis, tibi & integritatem tuam, & amorem in te civitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturam. sin eris ab isto periculo vacuus: ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis; de quo scribunt ad me quidem multi multa, & se sperare demonstrant: sed ego quid sperem non dispicio, cùm inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me partim etiam prodiderint: qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed ista qualia sint, tu velim perspicias, mihique declares. Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, siquid periculi subeundum videbis, vivam. diutiùs in hac vita esse non possum. Neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere. Scio fuisse & honestius moriendi tempus & utilius: sed non hoc solùm: multa alia prætermisi: quæ si queri velim præterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. Illud quidem nec faciendum est, nec fieri potest, me diutiùs, quàm aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in tam misera tamque turpi vita commorari: ut qui modò fratre fuerim, liberis, [6] conjuge, copiis, genere ipso pecuniæ beatissimus: dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior quàm qui umquam fuerunt amplissimi: is nunc in hac tam afflicta perditaque fortuna [7] neque me neque meos lugere diu-

6. *Conjuge, copiis, genere ipso pecunia beatissimus.*] P. Manutius conjiciebat, *genero ipso, pecunia* quem vide. & verò Wouverius annotavit legi in P. *genero, pecunia.* Pall. nostri nihil abeunt à vulgato. *Gruter.*

7. *Neque me neque meos.*] *Neque* hoc loco pro *vel* positum esse videtur. Id magis extabit, si verba, ad naturalem dicendi rationem, coaptentur. Illud inquit, fieri non potest, me diutius in tam misera vita commorari, ut diutius

diutiùs possim. Quare quid ad me scripsisti de permutatione? quasi verò nunc me non tuæ facultates sustineant. qua in re ipsa video miser & sentio quid sceleris admiserim, cùm de visceribus tuis & filii tui satisfacturus sis, quibus debes: ego acceptam ex ærario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. Sed tamen & M. Antonio, quantum tu scripseras, & Cæpioni tantumdem solutum est: mihi ad id quod cogito, hoc quod habeo satis est. sive enim restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus est. Tu si fortè quid erit molestiæ, te ad Crassum & ad Calidium conferas, censeo. Quantum Hortensio credendum sit, nescio. me summa simulatione amoris, summaque assiduitate quotidiana sceleratissimè insidiosissimeque tractavit, adjuncto quoque Arrio: quorum ego consiliis, promissis, [8] præceptis destitutus, in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis, ne quid obsint. Illud caveto: & eò puto per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium, ne ille versus, qui in te erat collatus, cùm ædilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur. Nihil enim tam timeo, quàm ne, cùm intelligant homines quantum misericordiæ nobis tuæ preces & tua salus allatura sit, oppugnent te vehementiùs. Messalam tui studiosum esse arbitror: Pompejum etiam simulatorem puto. Sed hæc utinam non experiare! quod precarer deos, nisi meas preces audire desiissent. Verumtamen precor ut his infinitis nostris malis contenti sint: in quibus non modò tamen nullius inest peccati infamia, sed omnis dolor est quòd optimè factis pœna est maxima constituta. Filiam meam, & tuam, Ci-

tius possim vel me vel meos lugere, qui modo fuerim fratre &c. beatissimus. Sed tamen est in sententia nescio quid, quod negationem habeat implicitam. hoc modo: ut diutius lugere possim ne me quidem nec meos. *Malasp.*

8. *Præceptis destitutus.*] Lambin. forte, *inductus & destitutus.*

Ciceronemque nostrum, quid ego, mi frater, tibi commendem? quin illud mæreo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas affert, quàm mihi. Sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi salus aliqua detur, potestasque in patria moriendi, ut me lacrimæ non sinunt scribere. Etiam Terentiam velim tueare, mihique de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patiatur. Idibus Juniis, Thessalonicæ.

EPISTOLA IV.

MARCUS Q. FRATRI, S.

AMabo te, mi frater, [1] ne, si uno meo facto & tu & omnes mei corruistis, improbitati & sceleri meo potius, [2] quam imprudentiæ [3] miseriæque assignes. nullum est meum peccatum, nisi quòd iis credidi, à quibus nefas putaram esse me decipi; aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar. intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit, aut mihi invidit. [4] ita mihi nihil misero præter

1. *Ne si uno meo facto.*] Vetustius cusi *fato*, quod item in Pal. pr. & quarto; neque ita erat absurdum. *Grut.*

2. *Quam imprudentiæ miseriæque assignes.*] *Pauli Manutii* fidem testimoniumque secutus, qui in libro illo Bessarionis sic esse scriptum testatur, hoc modo edendum curavi. nam *misericordiæ* quod est in vulgatis, locum hic habere non potest. *Lambinus.* vetus edit. habet, *nisi si uno meo fato & tu & omnes mei* &c

3. *Miseriaquè assignes.*] Est à Bessarionis membrana. ceteræ enim adhærent publicato, *misericordiaque.* Grut.

Miserecordiaque assignes.] *Miseriaque* est in libro Faerni. *Ursinus.*

4. *Ita mihi nihil misero præter fidem amicorum,* &c.] Vel subintelligendum verbum, *obfuit*, seu *defuit*, seu quid aliud simile, ut Manutio videtur: vel ita legendum, *ita mihi nihil misero præter fidem amicorum* non cautum: *cautum meum consilium fuit.* Sed ego Manutio assentior potius. Nam quod Malaspina verbum *defuit* in extremo ponit, ut utrique membro respondeat, quod olim operæ me imprudente secutæ sunt, nam *fuit* jusseram imprimi, ut habent omnes libri, non placet. *Lambinus.*

Ita mihi nihil misero præter fidem amicorum cautum; meum consilium fuit.] Id est, incautus fui a rebus omnibus stolida præfidentia mea; contra quam certi amici nostri a me putabant provideri. Sic lego sine vocum mutatione ulla, trajectis distinctionibus. *Meum consilium fuit*, ac non amicorum,

ter fidem amicorum, [5] cautum meum consilium fuit. Quòd si te satis innocentia tua, & misericordia hominum vindicat hoc tempore à molestia: perspicis profectò ecquaenam nobis spes salutis relinquatur. Nam me Pomponius, & Sextius, & Piso noster adhuc Thessalonicæ retinuerunt, cùm longiùs discedere propter nescio quos motus vetarent. verùm ego magis exitum, illorum litteris, quàm spe certa exspectabam. Nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione obtrectatorum, infidelibus amicis, pluribus invidis? [6] De novis autem tribunis plebis est ille quidem in me officiosissimus Sextius, &, spero, [7] Curtius, Milo, [8] Fadius, Gratidius; sed valde adversante Clodio: qui etiam privatus eadem manu poterit conciones concitare: deinde etiam intercessor parabitur. Hæc mihi proficiscenti non proponebantur: sed sæpe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus. Quid tu igitur? inquies. quid? multa convenerunt, quæ men-

rum, a quibus id non desideravi: adeo circumspecta, provisa & explorata putabam omnia. *F. Junius.*

5. *Cautum meum consilium fuit.*] Hoc veritati repugnat. Ubique enim Cicero suum consilium execratur. Quare placet hic legi *defuit.* qua ratione, ex eadem fidelia, duos parietes dealbamus. Nam & superiori sententiæ suam formam damus, quæ sic inchoata aut potius decurtata est: & historiæ servimus: ut perfidiam amicorum accuset, a quibus proditus sit, & suam imprudentiam aut potius stultitiam damnet, quod iis crediderit, a quibus nunquam putaverit se deceptum iri. Utrumque illis verbis complexus est. *Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi.* Usus est autem hic Cicero ἀσυνδέτῳ. Hanc dicendi formam & alibi adhibuit, & lib. ad Att. III epist. XV, ut quidem habent manuscripti omnes, Antonianus, Faerni, Bononiensis, Maffei tres, reliqui: *Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit.* Malasp.

6. *De novis autem tribunis pl.*] Haud aliter conjecerat P. Manutius, adprobatque Pal. quart. nam sec. *Devotius.* pr. & tert. *Denotius*, ut prius vulgati. *Grut.*

De novis autem Tribunis pl.] Hunc locum primus restituit Petrus Victorius, in castigationibus posterioribus, in libros epistolarum ad familiares: cum antea & manuscripti omnes & impressi, *Denocius autem* haberent. *Malasp.*

7. *Curtius.*] Rescripserim cum Pighio *Curius.* rationes ejus videantur, in laborioso illo opere Fastor. Romanorum, ad annum urb. cond. DCXCVI. *Grut.*

8. *Fadius Gratidius.*] Idem Manutius rescribendum putabat *Fabricius*, obsecutusque est Lambinus. sed omnibus libris abnuentibus. & certè æque juvit Ciceronem Fadius, quam Fabricius. *Grut.*

brio prætores. ſanè frequentes fuimus, omnino ad ducentos. Commorat exſpectationem Lupus. egit cauſam agri Campani ſanè accuratè. auditus eſt magno ſilentio. materiam rei non ignoras. nihil ex noſtris actionibus prætermiſit. Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæſarem, contumeliæ in Gellium, expoſtulationes cum abſente Pompejo. Cauſa ſerò perorata, ſententias ſe rogaturum negavit, ne quod onus ſimultatis nobis imponeret. Ex ſuperiorum temporum conviciis, & ex præſenti ſilentio, quid ſenatus ſentiret, ſe intelligere dixit. Milo cœpit dimittere. Tum Marcellinus, Noli, inquit, ex taciturnitate noſtra, Lupe, quid aut probemus hoc tempore aut improbemus judicare. Ego, quod ad me attinet, idemque arbitror ceteros, idcirco taceo, quòd non exiſtimo, cùm Pompejus abſit, cauſam agri Campani agi convenire. Tum ille ſe ſenatum negavit tenere. Racilius ſurrexit, & de judiciis referre cœpit. Marcellinum quidem primum rogavit. Is cùm graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus queſtus eſſet, ſententiam dixit, [2] ut ipſe judices per prætorem urbanum ſortiretur; judicum ſortitione facta, comitia haberentur: qui judicia impediviſſet, eum contra rempublicam eſſe facturum. Approbata valde ſententia, C. Cato contrà dixit & Caſſius, maxima acclamatione ſenatus, cùm comitia judiciis anteferret. Philippus aſſenſit Lentulo. Poſtea Racilius de privatis me primum ſententiam rogavit. Multa feci verba de toto furore latrocinioque P. Clodii: eum, tamquam reum, accuſavi [3] multis & ſecundis admurmurationibus cuncti ſenatus. Orationem meam collaudavit ſatis

tis

2. *Ut ipſe judices per prætorem &c.*] Racilius ſcilicet. malè enim hæc interpolanda cenſuit Lambinus. *Grut.*

Ut ipſe judices per prætorem urbanum.] Manutio placet ſic legi, *ut ipſe judices prætor urbanus*, Lambino approbante.

3. *Multis & ſecundis.*] Vetus Edit. habet, *multis & ſecundis* admirationibus *admurmurationibusque cuncti ſenatus.*

tis multis verbis, non mehercule indiserte [4] Severus Antistius; isque judiciorum causam suscepit, antiquissimamque se habiturum dixit. Ibatur in eam sententiam. Tum Clodius rogatus [5] diem dicendo eximere cœpit. furebat à Racilio se [6] contumaciter [7] urbaneque vexatum. Deinde ejus [8] operæ repentè à Græcostasi [9] & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sextilium & amicos Milonis incitatæ. Eo metu injecto repentè magna querimonia omnium discessimus. Habes acta unius diei. reliqua, ut arbitror, in mensem Januarium rejicientur. De stri-

4. *Severus Antistius.*] Lambiniana, *Sex. Vetus Antistius*, quod conjecerat P. Manutius. nos nihil varietatis offendimus in exemplaribus Pall. ideoque noluimus uti licentia nimia. *Grut.* Novissime hæc verba arripuit auctor dissertationis sextæ de præstantia numism. pag. 514, ubi tamen nihil ab eo adferri videas, cujus non lineas ductas & petitas dixeris ex P. Manutio: qui tamen cur hîc disputat de hominibus ad nonnulla mutanda proclivibus, quum ipse sciat in aliis locis ab talibus hominibus servatum esse Veterem Antistium? *severus* vidi etiam exstare in MS. Balliol. & sane vel ob sensum tam in republica, quam in hac causa, vel ob ipsius orationis statum potuit eum severum appellavisse. Itaque sic expressi. *Gron.*

Severus Antistius.] Manutius Lambinusque legunt, *Sex. Vetus Antistius*, vel, *Vetus Antistius.*

Severus Antistius.] Anton. Augustinus emendavit, *Vetus Antistius*: est enim *Vetus* Antistiæ familiæ cognomen, frequens cum apud veteres scriptores, tum in ejus familiæ denariis. Sed potest *Severus* etiam retineri, quod est ejusdem gentis cognomen, ut ex inscriptione, cujus exemplum subjiciam, intelligere possumus,

Soli invicto
Mithræ
T. Antistius T. F.
Stellatina
Severianus
Dedicavit. *Ursinus.*

5. *Diem dicendo eximere cœpit.*] Nos ut in manuscriptis libris invenimus *dicendi* scripsimus: quod etiam Germani adnotarunt in marginibus sui codicis. *diem* autem *dicendi*, id est, *tempus.* ad Attic. lib. 4. Metellus calumnia dicendi tempus exemit. *Victorius.*

Diem dicendo.] Secutus sum editionem Manutianam. Victorius tamen legit ex antiquis codicibus, *diem dicendi eximere. Lambinus.* Edit. 1470. habet, *de die dicendo eximere cæpit.* sequitur, *contumaciter urbaneque vexatum*; an legendum cum Manutio Lambinoque, *inurbane*? est, *inurbane* in Ed. 1470.

6. *Contumaciter, urbaneque vexatum.*] Faerni liber, *Inurbaneque*, quod & Manutio placet. Et sane licet convicium urbanitas ipsa sit, facetum tamen est: ut, cum *contumaciter* dixerit, *inurbane* magis conveniat. *Malasp.*

7. *Urbaneque vexatum.*] Lambinus idem, *inurbaneque*, quod laudat ex Magnuli cujusdam codice P. Manutius, neque aliter visitur in Pal. tertio inter lineas. sed malim tamen retrò vulgatum, quod restat in Pall. ceteris. *Gruter.*

8. *Operæ à Græcostasi &c.*] Explicat Cælius Rhodiginus libro x. Antiq. lectionum cap. 5. *Idem.*

9. *Et gradibus.*] Pal. tertius habebat à manu emendatrice, *ex gradibus.* *Idem.*

tribunis plebis longè optimum Racilium habemus. videtur etiam Antistius amicus nobis fore. [10] nam Plancius totus noster est. Fac, si me amas, ut considerate diligenterque naviges de mense Decembri.

EPISTOLA II.

MARCUS Q. FRATRI, S.

[1] NOn occupatione, qua eram sanè impeditus, sed parvula lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistolam: [2] & non, ut ad te soleo, ipse scriberem. Et primùm me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso. me enim adhuc nemo rogavit, num quid in Sardiniam vellem: [3] te puto sæpe habere, etsi non semper, qui, num quid Romam velis, quærant. Quod ad me [4] de Lentuli & Sexti nomine scripsisti, locutus sum cum Cincio. quoquo modo res se habet, non est facillima, sed habet profectò quiddam Sardinia appositum ad recordationem præteritæ memoriæ. Nam ut ille Gracchus augur, posteaquàm in istam provinciam venit, recordatus est quid sibi in cam-

10. *Nam Plantius.*] Antonianus *Plancius*, ut Manutio placet legi. quanquam & Victoriana editio, eodem modo. *Malasp.*

1. *Non occupatione, qua eram sanè impeditus.*] Non ineptè Gulielmius, *quamquam eram sanè.* Gruter.

2. *Non ut soleo ad te ipse scriberem.*] Nostri paulum commutato ordine, *Non, ut ad te soleo, ipse scriberem*, sane lenius, & qua de sententia fortasse etiam verius. Interest enim non nihil, utrum *ad te*, cum verbo *Soleo*, an cum *scriberem* jungatur. Sed & sic est in Editione Victorii. *Malasp.*

3. *Te puto sæpe habere, & si non semper.*] Paulus Manutius, secutus fidem codicis Bessarionis, delevit *etsi non semper.* & verò vocum illa trias etiam abest tribus Palatinis. habet tamen numero primus, *te puto semper*, omissis intermediis. videturque vel ultimum istud sequendum, vel alterum, plurium manu scriptorum auctoritate firmatum. *Grut.* Bessarionis librum liquide sequitur & firmat MS. Balliol. *Gronov.*

Te puto sæpe habere, & si non semper &c.] Hæc verba *& si non semper*: præter Romanum in nullo meorum leguntur. sed & in eo, inverso ordine, & certe adverbio addito, in hunc modum. *Te puto, etsi non semper, sæpe certe habere &c.* Minus inepte. Ego tamen tot librorum consensum libenter amplector. *Malasp.*

4. *De Lentuli & Sexti nomine.*] Vox *de* non est in olim editis, neque agnoscit ullus Palatinorum. *Grut.* Etiam ignorat Balliolensis. *Gronov.*

campo Martio comitia consulum habenti, contra auspicia accidisset, sic tu mihi videris in Sardinia [5] de forma Minuciana, & de nominibus Pomponianis in otio recogitasse. Sed ego adhuc emi nihil. Culleonis auctio facta est. Tusculano emptor nemo fuit. si conditio valde bona fuerit, fortasse non omittam. De ædificatione tua Cyrum urgere non cesso. spero eum in officio fore; sed omnia sunt tardiora propter furiosæ ædilitatis exspectationem. Nam comitia sine mora futura videntur. edicta sunt a. d. XI. kal. Febr. Te tamen sollicitum esse nolo. omne genus à nobis cautionis adhibebitur. De rege Alexandrino factum est senatus consultum, cum multitudine eum reduci, periculosum reipublicæ videri. Reliqua cùm esset in senatu contentio, Lentulusne an Pompejus reduceret, obtinere causam Lentulus videbatur. In ea re nos & officio erga Lentulum mirificè & voluntati Pompeji præclarè satisfecimus. sed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Quid futurum sit latrocinio tribunorum, non divino: sed tamen suspicor per vim rogationem Caninium perlaturum. In ea re Pompejus quid velit, non dispicio. Familiares ejus quid cupiant, omnes vident. Creditores verò regis apertè pecunias suppeditant contra Lentulum. Sine dubio res à Lentulo remota videtur esse, cum magno meo dolore: quamquam multa fecit, quare, si fas esset, jure ei succensere possemus. [6] Tu, si ita expedit, velim quàm primùm bona & cer-

5. *De forma Minuciana.*] Pall. nostri omnes, *Numissiana*, vel *Numisiana*; ut forte fuerit *Numiciana*. Grut. Sed & Balliol. *Numisiana*, in quo miror judicium & peritiam Gruteri in nominibus Romanis, quasi non & plurimi Numisii ex eis forent noti vel ex ipso Livio & Tacito. Sed etiam codex idem *Pompejanis*, ut est quoque in Victorianis. *Gronov.*

6. *Tu si ita expedit.*] Lambinus, *Tu si ista expedisti*, ut erat in MS. Faerni & Malaspinæ, reperique in Pal. quarto, sed prætulerim vulgatam. *Gruter.*

Tu si ita expedit.] Faerni liber, *tu si ista expedisti*. Cujus etiam lectionis & Pog-

certa tempestate conscendas, ad meque venias. innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. Tui nostrique valent. XIV. kal. Febr.

EPISTOLA III.

MARCUS Q. FRATRI, S.

SCripsi ad te anteà superiora: nunc cognosce posteà quæ sint acta. A kal. Feb. legationes in idus Febr. rejiciebantur. eo die res confecta non est. a. d. IIII. non. Febr. Milo affuit. ei Pompejus advocatus venit. Dixit Marcellus à me rogatus. honestè discessimus. [1] producta dies est in IIII. id. Febr. Interim [2] rejectis legationibus in idus, referebatur de provinciis quæstorum [3] & de ornandis prætoribus. Sed res multis querelis de republica interponendis nulla transacta est. [4] Cato legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando. vestitum filius mutavit. [5] A. d. IIII. id. Febr. Milo affuit. dixit Pompejus, sive voluit; nam ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt: idque ei perpetua oratione contigit, non modò ut acclamatione sed ut convicio

Poggianus & Antonia vestigia quædam ostendunt. Habent enim, *si ista expedit.* Sed prorsus illa vera est, sive Quinctus in Sardiniam rei frumentariæ caussa legatus est a Pompeio, quod rentur Manutius & Corradus, sive aliqua de caussa a Rep. missus (nam animi non arbitror) omnino illa conveniunt, *si ista expedisti.*

1. *Producta dies est in* IV. *id. Febr.*] Haud aliter omnis vetus editio & Pall. at Manutiana item ancillaris ejus Lambini, *in* VIII. *id. Feb.* non vacat inquirere in fastos. *Gruter.*

2. *Rejectis legationibus in idus.*] Ita Victorius, acceduntque Pall. quatuor. nam Aldina vetus *rei. legationibus*, III *iduum &c.* Idem.

3. *Et de ornandis prætoribus.*] Malebat Manutius *prætoriis*, quod statim in contextum recepit Lambinus, præter MS. quorum Pall. duo, *ordinandis*; quomodo & vetustius impressi. neque aliter Suetonius cap. XXIII. Vespasiani. *Idem.*

4. *Cato legem promulgavit.*] Nostri omnes, *C. Cato.* Malasp.

5. *A. d.* IV. *id. Febr. &c.*] Sic iterum vett. edd. sed non etiam Pall. omnes, quippe sec. ac tert. *Ad.* VII. *id.* Manutius & Lamb. *Ad.* VIII. *id.* Grut.

vicio & maledictis impediretur. qui ut peroravit, nam in eo sanè fortis fuit, non est deterritus, [6] dixit omnia, atque interdum etiam silentio, [7] cum auctoritate peregerat: sed ut peroravit, surrexit Clodius. [8] ei tantus clamor à nostris (placuerat enim referre gratiam) ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. Ea res acta est, cùm hora VI. vix Pompejus perorasset, usque ad horam VIII, cùm omnia maledicta, [9] versus etiam obscœnissimi [10] in Clodium & Clodiam dicerentur. Ille furens & exsanguis interrogabat suos in clamore ipso, quis esset qui plebem fame necaret. respondebant operæ, Pompejus. Quis Alexandriam ire cuperet. Respondebant, Pompejus. Quem ire vellent. Respondebant, Crassum. Is aderat tum Miloni animo non amico. Hora ferè IX, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare cœperunt. Exarsit dolor. urgere illi, ut loco nos moverent. Factus est à nostris impetus, fuga operarum. Electus de rostris Clodius: ac nos quoque tum fugimus, ne quid in turba. Senatus vocatus in curiam, Pom-

6. *Dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum auctoritate semper.*] Secutus sum Petri Danesii, conjecturam, non tamen omni ex parte. nam verbum, *egerat* delendum curavi, ut supervacaneum & alienum. Quin, ut dicam quod sentio, hoc totum, *cum auctoritate peregerat*, seu ut nos edidimus, *cum auctoritate semper*, suppositum esse arbitror. verumtamen eam lectionem quam secutus sum, quamque excudendam curavi, veram puto. probabilis quidem certe est. *Lambinus.*

7. *Cum auctoritate peregerat.*] Habent & istud Pall. at Petrus Danesius, conjiciebat, *semper egerat*, quod magis placet P. Manutio. Lambinus abjecta voce *peregerat*, ejus loco immisit *semper.* placeret res, si à libris confirmaretur. Gulielmius legendum putabat, *perfregerat.* Grut.

Cum auctoritate peregerat.] Vetus liber, *quod auctoritate semper egerat*, & ita olim ex ingenio, ut puto, emendavit Danesius. *Ursinus.*

8. *Ei tantus clamor à nostris.*] Vetus editio & Pall. pr. ac quart. *& tantus.* nihilo pejus altera, licet eam receperit Victorius & posteriores Manutii. *Grut.*

9. *Versus etiam obscœnissimi.*] Ita sane & aliæ editiones: sed dubito an vel earum auctoribus vel Grutero constiterit ratio, quum & Victoriana exemplaria & MS. Balliolensis habeant *versus denique obscœn.* quæ vox hic admodum convenit solita in contrahendo sermone, quum non placet plura enumerare, quæ possemus, adhiberi. *Gronov.*

10. *In Clodium & Clodiam dicerentur.*] Legendum puto, *conjicerentur. Lambinus.* vulgatum melius est; *maledicta, versus, dicta, dicteria* &c. *dicere*, notissimæ phrases sunt, apud optimos auctores.

Pompejus domum. neque ego tamen in ſenatum, ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompejo defendendo (nam is carpebatur à Bibulo, Curione, Favonio, Servilio filio) animos bonorum offenderem. res in poſterum dilata eſt. Clodius in Quirinalia produxit diem. [11] A. d. VI. id. Febr. ſenatus ad Apollinis fuit, ut Pompejus adeſſet. Acta res eſt graviter à Pompejo. eo die nihil perfectum eſt. A. d. VII. id ad Apollinis ſenatus conſultum factum eſt, EA, QUÆ FACTA ESSENT A. D. VIII. ID. CONTRA REMPUBLICAM ESSE FACTA. Eo die Cato eſt vehementer in Pompejum invectus, & eum oratione perpetua tamquam reum accuſavit. De me multa, me invito, cum mea ſumma laude dixit. Cùm illius in me perfidiam increparet, auditus eſt magno ſilentio malevolorum. Reſpondit ei vehementer Pompejus, Craſſumque deſcripſit: dixitque apertè, ſe munitiorem ad cuſtodiendam vitam ſuam fore quàm Africanus fuiſſet, quem C. Carbo interemiſſet. Itaque magnæ mihi res jam moveri videbantur. Nam Pompejus hæc intelligit, nobiſcumque communicat inſidias vitæ ſuæ fieri: C. Catonem à Craſſo ſuſtentari: Clodio pecuniam ſuppeditari: utrumque & ab eo, & à Curione, Bibulo, ceteriſque ſuis obtrectatoribus confirmari: vehementer eſſe providendum ne opprimatur, [12] concionario illo populo à ſe propè alienato, nobilitate inimica, non æquo ſenatu, juventute improba. Itaque ſe comparat, homines ex agris arceſſit. Operas autem ſuas Clodius confirmat. manus ad Quirinalia paratur: in eo multò ſumus ſuperiores ipſius copiis. [13] Sed magna manus ex Piceno &

11. *A. d.* VI. *id. Febr.*] Ita lectio recepta. ſed enim Pall. partim III. partim *tertio*, denique *tertias idus.* Lambini editio *A. d. idus*, ſi non mentitur lectio marginalis. quod metuo. *Gruter.*

12. *Concionario illo populo.*] An non reſcriptum oportuit? *concionatorio.* ſic ſanè putat Gulielmius. at quid ſi fuit, *concionali*? Idem.

13. *Sed magna manus.*] Non convenit *ſed* cum præcedenti ſententia. Indicatus

& Gallia exspectatur, ut etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus. A. d. IIII. id Sestius ab indice Cn. Nerio Pupinia, de ambitu est postulatus: & eodem die à quodam M. Tullio de vi. is erat æger. domum (ut debuimus) ad eum statim venimus: eique nos totos tradidimus: idque fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei jure succensere putabant, ut humanissimi gratissimique & ipsi & omnibus videremur: itaque faciemus. Sed idem Nerius index [14] edidit ad allegatos Cn. Lentulum Vacciam & C. Cornelium. Eodem die senatus consultum factum est, UT SODALITATES DECURIATIQUE DISCEDERENT: LEXQUE DE IIS FERRETUR, UT, QUI NON DISCESSISSENT, EA POENA, QUÆ EST DE VI, TENERENTUR. A. d. III id. dixi pro Bestia de ambitu apud prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conventu: incidique in eum locum in dicendo, cùm Sestius multis in templo Castoris vulneribus acceptis subsidio Bestiæ servatus esset. Hic [15] προσῳκονομησάμην quiddam εὐκαίρως de iis

dicatur enim hac particula diffidentia quædam præsentium copiarum, cui mederi cogitarint, nova manu ex Piceno & Gallia accersita. Quæ porro diffidentia potuit esse, ubi multo essent superiores? Mihi videtur, ut quam minimum a scriptura recedamus, *Et* esse corrigendum: ut significetur, ad priores copias eam quoque multitudinem accessuram, qua non modo Clodianis operis, quibus jam tum superiores erant: sed Catonis quoque rogationibus de Milone & Lentulo, resisti possit. Quam porro facile S. accedere è proxima dictione: T vero in D transire potuerit, ne admonendum quidem arbitror. Satis enim constat eam affinitatem inter eas litteras fuisse, ut D nova littera, ut Quinctilianus ait, non videatur, sed T mollitum. Hinc factum est, ut *adque* pro *atque*: & *set*, pro *sed*, non raro inveniantur. Quod quidem *set*, posteriores, non in voce, sed in littera erratum esse rati, *sed* fecerunt. *Malasp.*

14. *Edidit ad alligatos.*] Legendum, *ad alligatos* non *ad allegatos*, & ita edi jam olim jusseram. *ad alligatos* autem sic interpretor, *præter alligatos*, seu, *cum alligatis.* Jam *alligati* Latine sunt quos Græci ἐνόχους appellant; quasi *affines culpæ*, seu quos vulgus *obnoxios* nominat. Putavi tamen aliquando hic legendum, *edidit alligatos* &c. *Lambinus.* paulo infra Lambinus sic legit, *cetera sunt in rebus nostris* (*cujusmodi tu mihi fere diffidenti prædicabas*) *plena dignitatis & gratiæ.*

Edidit ad allegatos Cn. Lentulum V. & C. Cornelium ista.] Nihil muto. tantum adjicio vocem *ista* ex MS. *Allegatos* autem dicit Tullius qui vulgo *delegati* vel *deputati*, eos qui audiendis ipsius indiciis & probationibus dati sunt. apud eos igitur *edidit ista*, quorum accusabat Sestium; & produxit firmamenta accusationis suæ. *F. Junius.*

15. Προσῳκονομησάμην.] De ea vo-

iis quæ in Sestium apparabantur crimina: & eum ornavi veris laudibus, magno assensu omnium. res homini fuit vehementer grata. Quæ tibi eò scribo, quòd me de retinenda Sestii gratia litteris sæpe monuisti. Prid. id. hæc scripsi ante lucem. eo die apud Pomponium in ejus nuptiis eram cenaturus. Cetera sunt in rebus nostris hujusmodi (ut tu mihi ferè diffidenti prædicabas) plena dignitatis & gratiæ: quæ quidem tua, mi frater, prudentia, patientia, virtute, pietate, suavitate etiam, tibi mihique sunt restituta. Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est. sed, ut spero, paucis mensibus post kalend. Quint. in tuam commigrabis. Tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt. A te post illam Olbiensem epistolam nullas litteras accepi. Quid agas, & ut te oblectes, scire cupio: maximeque teipsum videre quamprimum. Cura, mi frater, ut valeas. & quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites. xv. kalend. Mart.

EPISTOLA IV.

MARCUS Q. FRATRI, S.

SEstius noster absolutus est [1] a. d. II. id. Mart. &, quod vehementer interfuit reipublicæ nullam videri in ejusmodi causa dissensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. Illud, quod tibi sæpe curæ esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius perversitatem quibusdam in rebus quàm humanissimè ferremus, scito hoc nos in eo judicio consecutos

...ce P. Victorius libro xxxv. Var. lect. cap. 4. *Gruter.*

1. *A. d. II. id. Mart.*] Ita editio Victorii, P. Manutii & Pall. trium. nam unus eorum *a. d. p. idus M.* prius usi, *A. d.* III. *id. Idem.*

tos esse, ut omnium gratissimi judicaremur. Nam in defendendo moroso homine cumulatissimè satisfecimus, & (id quod ille maximè cupiebat) Vatinium, à quo palàm oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus. Quinetiam Paullus noster cùm testis productus esset in Sestium, confirmavit se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: & Macer à Sestii subselliis surrexit, ac se illi non defuturum affirmavit. Quid quæris? homo petulans & audax Vatinius valde perturbatus debilitatusque discessit. Quintus tuus, puer optimus, eruditur egregie. hoc nunc magis animadverto, quòd Tyrannio docet apud me. Domus utriusque nostrûm ædificatur strenuè. Redemptori tuo dimidium pecuniæ curavi. Spero nos ante hiemem contubernales fore. De nostra Tullia, tui mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi; ceterum, quî confectum erat [a] Latiar, erat exiturus.

EPI-

2. *Latiar erat exiturus.*] In libro viri doctissimi emendatum est, *Lucceius erat exiturus*, credo ex conjectura. *Ursinus.*

Latiari erat exiturus] videlicet, Crassipes: vel lege, *Latiari Lucceius erat exiturus*. nam Lucceius iter in Sardiniam habebat, ut infra dicitur sequenti epistola, & notat P. Manutius. vel lege, *Latiari eram exiturus. Latiare* autem Latinorum sacrum solenne significat, ut ex Macrobio refert idem Manutius. Est & *Latiaris Jupiter*, de quo alibi. *Lambinus.* idem legit, *ceteroqui confectum*, vel, *ceterum confectum.*

Latiar erat exiturus.] Id est, in solennem locum ad montem Albanum, ubi feriæ Latinæ colebantur. Nam *Latiar* & sacrum solenne est & sacri locus. *Crassipes*, inquit, *Latiar erat exiturus. absque hoc fuisset, rem confectam haberemus.* nihil mutari placet. consentiunt omnia. *F. Junius.*

Latiar erat &c.] Videatur super hoc loco Cælius Rhodiginus libro Antiq. Lect. XXVIII. cap. 24. P. Manutius conjiciebat. *Latiare.* unde Lambinus suum deduxit *Latiari.* cujus desultorias hariolationes piget producere. videantur apud ipsum. *Grut.* Edidi, ut præclare & verissime locum interpretatus est & composuit pater libro IV, observat. cap. 25. *Gronov.*

[1] EPISTOLA V.

MARCUS Q. FRATRI, S.

DEderam ad te litteras anteà, quibus erat scriptum, Tulliam nostram Crassipedi prid. non. April. esse desponsatam : ceteraque de re publica privataque perscripseram. Posteà sunt hæc acta Non. Apr. senatus consulto Pompejo pecunia decreta in rem frumentariam [2] ad H-S cccc. Sed eodem die vehementer actum de agro Campano clamore senatus propè con-

1. Ordinem hic aliquot Epistolarum olim mutaveramus, Manutii sententiam &, quod caput est, rationem secuti. nam, ut quivis non tardissimus intelligere potest, aut a librariis aut a nescio quibus, fuit fœde perturbatus, ac perversus. non igitur ordinem mutasse sed restituisse dicendus eram. id autem maxime apparebit ex dierum ratione. Nunc autem satis habui lectorem hac de re admonere. Tantum ab hoc loco epistolæ novæ, nempe quintæ, initium capi volui: cum hæc quæ sequuntur, in vulgatis cum quarta conjungantur. *Lambinus.*

2. *Ad H-S M CCCC*] Nos notam hanc M delevimus, nunquam a nobis in antiquis libris neque hic neque alibi inventam. habent tamen hoc loco antiqua exemplaria supra numerum illum lineam, quæ augmentum Millenarii numeri significat: quam nollem Librarios nostros omisisse. *Victorius.*

Ad H-S M. cccc.] Conveniunt mei omnes cum editione Petri Victorii; *Milleque* seu *Millies*, quoquo modo M. illud interpreteris, quam tamen figuram in manuscriptis non repperi, prorsus non habent: sed tantum H-S cccc. quod nos *sestertium quadringenties* exponimus, sesquiminore summa, quam illa sit. Neque dicimus Sestertium Millies quadringenties, vel quod inde comparari poterat tritici numerum, in tantis Reip. Vectigalibus, tantaque hominum multitudine, quantum urbs illa capiebat, fidem excedere: illud affirmamus, vetusta exemplaria omnia H-S cccc habere. Quod si Sestertium quadringenties, ut dixi, interpretemur, haud sanè parva summa videri poterit, quæ decies centena millia aureorum nostratium excedat: cum præsertim & pauci menses superessent ad novas fruges: & Romæ annonæ difficultas esset, non funditus evacuata & exhausta horrea: ut si ad tritici quod restaret, id quoque quod ea pecunia pararetur accederet, suffecturum videretur. Addo illud quod eo anno, ut ipsemet Cicero gloriatur, magna frugum ubertas & copia fuit. Ita enim post reditum ad Quirites. *En ego tot testimoniis, Quirites, hac auctoritate Senatus, tanta consensione Italiæ; tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompejo, omnibus hominibus faventibus, Diis denique immortalibus, frugum ubertate, copia, vilitate reditum meum comprobantibus; mihi, meis, Reip. restitutus: tantum vobis quantum facere possum pollicebor.* Quantum porro etiam, existimamus, quo carius veniret, comprimi potuisse? Sed hæ conjecturæ sunt & sæpe fallaces: Illud quidem certum, H-S cccc scriptum in vetustis esse, quod & sequimur. Adde illud, lineolam superne ductam, in nonnullis exemplaribus inveniri: a plerisque tamen, quæ puto veriora, abesse. Immanis enim pecunia esset, præsertim in ejus penuria, in totum annum ad luxum suffectura, vel si domestici tritici ne granum quidem superfuisset.

concionali. acriorem causam inopia pecuniæ faciebat, & annonæ caritas. Non prætermittam; ne illud quidem M. Furium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Capitolini & Mercuriales de collegio ejecerunt, præsentem, ad pedes uniuscujusque jacentem.

EPISTOLA VI.

MARCUS Q. FRATRI, S.

A. D. VIII. id. Apr. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quòd perleviter commotus fuerat, defuit. a. d. VI. id. April. veni ad Quintum, eumque vidi planè integrum, multumque is mecum sermonem habuit & perhumanum de discordiis mulierum nostrarum. Quid quæris? nihil festivius. Pomponia autem etiam de te questa est. sed hæc coràm agemus. A puero ut discessi, in aream tuam veni. res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum. [1] fidem mihi faciebat se velle nobis placere. Domus erit egregia: magis enim cerni jam poterat, quàm quantum ex forma judicabamus. itemque nostra celeriter ædificabatur. Eo die cenavi apud Crassipedem. cenatus, in hortos ad Pompejum lectica latus sum. Lucceјum convenire non potueram, quòd abfuerat. videre autem volebam, quòd eram postridie Româ exiturus, & quòd ille in Sardiniam iter habebat. Hominem conveni, & ab eo petivi ut quamprimùm te nobis redderet. statim dixit. Erat autem iturus (ut ajebat) a. d. III. id. Apr. ut aut Labrone aut Pisis con-

1. *Idem mihi aiebat se velle nobis placere.*] Omnes Manuscripti *faciebat* pro *aiebat* habent. Quare nos existimavimus unius literæ defectu locum hunc esse perversum: pro *idem* igitur *fidem* scripsimus, nisi fallimur, longe meliore sententia. Cum enim Longilium redemptorem cohortatus esset, decet illum ita respondisse, ut fidem sibi fecerit, se velle nobis placere, quod in sermone suo cupere se ipse maxime ostenderet. *Victorius.*

conscenderet. Tu, mi frater, [2] simulac ille venerit, primam navigationem (dummodò idonea tempestas sit) ne omiseris. [3] ἀμφιλαφίαν autem illam quam tu soles dicere, bono modo desidero, sic prorsus ut advenientem excipiam libenter: latentem etiam nunc non excitem. Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno; vivo paullò liberaliùs quàm solebam. Opus erat, si te haberem, paullisper fabris locum darem. sed & hæc (ut spero) brevi inter nos communicabimus. Res autem Romanæ sic sese habent. Consul est egregius Lentulus, non impediente collega: sic, inquam, bonus, ut meliorem non viderim. dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinæ instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus perniciosissimis obsistitur, maximè Catonis; cui tamen egregiè imposuit Mi-

2. *Simul ac ille venerit.*] In nostris *simul ut*. Idem valet, fateor, sed non id agimus, ut quacunque lectione contenti simus, dum idem significetur, sed ad veram scripturam revocari volumus. Dicimus autem *simul ac*, *simul atque*: *simul &*, quemadmodum Antonianus habet, licet *ut* superne additum sit: & *simul ut*.

Simulac ille venerit] *simulatque venerit* Faernus. *Ursinus.*

3. *Ἀμφιλαφίαν autem illam, quam tu soles dicere.*] *Cum Epistola Quinti*, inquit *Manutius* ad hunc locum, *cui respondet Cicero, non exstet, divinare quid sit ἀμφιλαφία hoc loco, nostrum non est.* Et tamen ep. 15. hujus lib. ἀμφιλαφίαν exponit *cautionem utroque spectantem ad dignitatem & ad salutem. ἀμφιλαβία*, inquit *H. Stephanus* in Thes. Ling. Græcæ, *legitur apud Ciceronem ad Quint. Fr. sed quidam ἀμφιλαφίαν ex aliis exemplaribus scripserunt, exponentes ancipitem ansam quam significationem habere potest ἀμφιλαφία, quatenus dicitur quasi ἀμφιλαβία, ut ἀμφιλαφὴς quasi ἀμφιλαβής.* Pulcherrimus est *Longini* locus in libro περὶ ὕψους sect. 10. quem integrum describam, tum quia occurrit ibi vox ἀμφιλαφὴς, tum quia præstantissimi Rhetoris continet judicium de *Demosthene* & *Cicerone*. καὶ ὁ Κικέρων τοῦ Δημοσθένους ἐν τοῖς μεγέθεσι παραλλάττει. ὁ μὲν γὰρ ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀπότομος, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει, καὶ ὁ μὲν ἡμέτερος διὰ τὸ κατὰ βίας ἕκαστα, ἔτι δὲ τάχους, ῥώμης, δεινότητος οἷον καίειν τε ἅμα καὶ διαρπάζειν, σκηπτῷ τινι παρεικάζοιτ' ἂν ἢ κεραυνῷ. ὁ δὲ Κικέρων ὡς ἀμφιλαφὴς ἐμπρησμὸς, οἶμαι, πάντῃ νέμεται καὶ ἀνειλεῖται, πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἄλλως ἐν αὐτῷ, καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον. *Cicero a Demosthene differt quoad sublimitates. hujus enim sublimitas brevis & concisa est majori ex parte, Ciceronis vero diffusior & copiosior; & ille noster quia violentia, celeritate, robore, vehementia veluti incendit simul & abripit omnia, assimilari potest turbini procelloso aut fulmini; Cicero autem, mea quidem sententia, velut quoddam exuberans & late patens incendium undiquaque depascitur & circumvolutatur, multam habens & manentem semper inflammandi vim, alibi tamen aliter apud ipsum distributam, alteraque materia alteri continuo succedente enutritam.*

Milo noſter. nam ille vindex gladiatorum & beſtiariorum emerat de Coſconio & Pomponio beſtiarios: nec ſine his armatis umquam in publico fuerat hos alere non poterat. itaque vix tenebat. Senſit Milo dedit cuidam non familiari negotium, qui ſine ſuſpicione emeret eam familiam à Catone: quæ ſimulatque abducta eſt, Raciliùs, qui unus eſt hoc tempore tribunus plebis, rem patefecit, eoſque homines ſibi emptos eſſe dixit (ſic enim placuerat) & tabulam proſcripſit, SE FAMILIAM CATONIANAM VENDITURUM. In eam tabulam magni riſus conſequebantur. [4] Nunc igitur Catonem Lentulus à legibus removit, & eos qui de Cæſare monſtra promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pompejo Caninius agit, ſanè quàm refrixit neque enim res probatur, & Pompejus noſter in amicitia P. Lentuli vituperatur, & herculè non eſt idem. nam apud illam perditiſſimam atque infimam fæcem populi, propter Milonem, ſuboffendit: & boni multa ab eo deſiderant, multa reprehendunt Marcellinus autem hoc uno mihi quidem non ſatisfacit, quòd eum nimis aſperè tractat, quamquam id ſenatu non invito facit: quo ego me libentiùs à curia & ab omni parte reipublicæ ſubtraho. In judiciis ii ſumus qui fuimus. domus celebratur, ita ut cùm maximè. Unum accidit imprudentia Milonis incommodè [5] de S. Cœlio, quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accuſatoribus mihi placuit accuſari. ei tres ſententiæ tæterrimæ in conſilio defuerunt. Itaque hominem populus revocat, & retrahatur neceſſe eſt. [6] non enim ferunt homines.

4. *Nunc igitur Catonem.*] Potius, *hunc igitur*; & ſic eſt in Ed. 1470 & Victor. ſupra, *paulisper fabris locum darem*, *dare* habet Lamb Edit.

5. *De Sex. Cælio.*] Conjicit P. Manutius *Sexto Clodio*, admiſitque Lambinus. ſcripti ſtant à vulgato. ſed reſtituendum magis *Clœlio.* ita enim idem nebulo ſemper vocatur à membranis melioribus, quemadmodum ſæpius teſtati ſumus in Orationibus Tullii. *Gruter.*

6. *Non enim ferunt homines.*] Ita ferè hodie legitur. ſed vetuſtius impreſſi, item

mines. & quia, cùm apud suos diceret, pænè damnatum. Ea ipsa in re Pompeji offensio nobis obstitit. senatorum enim urna copiosè absolvit, equitum adæquavit, tribuni ærarii condemnarunt. Sed hoc incommodum consolantur quotidianæ damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Servius allisus est, [7] ceteri conciduntur. [8] C. Cato concionatus est comitia haberi non siturum, [9] si sibi cum populo dies agendi essent exempti. Appius à Cæsare nondum redierat. Tuas mirificè litteras exspecto, atque adhuc clausum mare scio fuisse: sed quosdam [10] venisse tamen Ostia dicebant, qui te unicè laudarent, plurimique in provincia fieri dicerent. [11] iidem ajebant nuntiare te prima navigatione transmissurum; id cupio: & quanquam teipsum scilicet maximè, tamen etiam litteras tuas antè exspecto. Mi frater vale.

EPISTOLA VII.

MARCUS Q. FRATRI, S.

[1] A. D. III. id. April. ante lucem hanc epistolam dictaveram, scripseramque in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem. postridie autem in Laterio cogitabam: inde, cùm in Arpinati quinque dies fuissem, ire in Pompejanum: rediens ad-

item Pall. ad unum omnes fuerunt. mutavit id primum P. Manutius. *Gruter*.

7. *Ceteri conciderunt.*] Sic MS. atque hæc tralatio proxime præcedenti respondet. *F. Junius*.

8. *Cato concionatus est.*] Hic quoque prænomen est scriptum in meis omnibus. Quod omissum puto ab his, qui præter Marcum, neminem Catonem agnoscerent. *Malasp.*

9. *Si sibi cum populo dies agendi &c.*] Major pars Palatinorum, *a populo*. Gruter.

10. *Venisse Olbia.*] Olim vulgati, & Pall. *Ostia*; sive quod eadem redit, *Hostia*. Idem.

11. *Iidem aiebant nuntiare.*] Victor. Edit. *eosdem*, recte omnino, & probat Lambinus. *quosdam venisse Ostia dicebant eosdem nuntiare aiebant te* &c.

1. *A. d.* II. *id. April.*] Sic editus à Paullo Manutio, respondentque Pall. quatuor. Vulgata, *A. d.* III. *id.* Gruter.

adſpicere Cumanum, ut quoniam in non. Majas Miloni [2] dies prodita eſt, prid. non. Romæ eſſem, teque, mi cariſſime & ſuaviſſime frater, ad eam diem (ut ſperabam) viderem. Ædificationem Arcani ad tuum adventum ſuſtentari placebat. Fac, mi frater, ut valeas quamprimumque venias.

EPISTOLA VIII.

MARCUS Q. FRATRI, S.

O Litteras mihi tuas jucundiſſimas, [1] exſpectatas, ac primo quidem cum deſiderio, nunc verò etiam cum timore! Atque has ſcito litteras me ſolas accepiſſe poſt illas quas tuus nauta attulit Olbia datas. Sed cetera (ut ſcribis) præſenti ſermoni reſerventur. hoc tamen non queo differre. Id. Majis ſenatus frequens divinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. Adjurat Procilius hoc nemini accidiſſe. Foris valde plauditur. Mihi cùm ſua ſponte jucundum, tum jucundius quòd me abſente, (eſt enim εἰλικρινὲς judicium) ſine oppugnatione, ſine gratia noſtra. eram Antii. Quod idibus & poſtridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri, non eſt actum. In hac cauſa mihi aqua hæret. Sed plura quàm conſtitueram. coràm enim. Vale, mi optime & optatiſſime frater & advola. Idem te noſtri rogant pueri: illud ſcilicet, cenabis cùm veneris.

EPI-

2. *Dies prodita.*] Legendum hoc modo cenſuit idem Manutius, auctoritate libri Beſſarionis & alterius cujuſdam; neque ſecus Pall. noſtri. recepta lectio *producta. Gruter.*

Dies prodicta eſt.] Sic MSS. eſt autem forenſe verbum, & huic loco appoſitum, pro eo quod eſt, *longius tempus indicere.* Livius lib. 3. *tribunus diem prodixit.* & lib. 38. *die longiore prodicta in Liternum conceſſit. F. Junius.* potius, *prodita*; ut edidit Gruterus Manutium ſecutus. antea, *producta.*

1. *Expectatas, ac primo quidem cum deſiderio.*] Lamb. forte, *exſpectatas primo quidem cum deſiderio.*

EPISTOLA IX.

MARCUS Q. FRATRI, S.

PLaciturum tibi esse [1] librum meum suspicabar; tam valde placuisse quàm scribis, valde gaudeo. [2] Quòd me admones [3] de nostra Urania, suadesque ut meminerim Jovis orationem quæ est in extremo illo libro: ego verò memini, & illa omnia mihi magis scrip-

1. *Librum meum suspicabar.*] Vetus Edit. *librum nostrum.* Victorii Edit. habet, *Placiturum tibi esse librum V. suspicabar.* placet. sequitur, *quæ est in extremo illo libro*; nempe, *quinto.*

2. *Quod me admones de non curantia.*] Ego ausus sim propemodum affirmare, *de nostra Urania* scribendum esse hoc loco. Satis enim constat M. Tullium, tres libros de suo Consulatu carmine scripsisse, eosque a trium Musarum nominibus appellasse. certe musis in eis loquendi partes dedisse. In quibus *Uraniam* fuisse ea testantur, quæ sunt in libro primo de Divinatione, iisdem verbis. *Sed quo potius utar aut auctore aut teste quàm te, cujus edidici etiam versus & libenter quidem, quos in secundo de Consulatu Urania Musa pronuntiat?* Calliopen quoque hoc in numero fuisse, epistola mihi illa facile suadet, quæ est ad Atticum libri secundi tertia, hæc continens: *Sed me κατακλεὶς mea illa commovet, quæ est in lib.* III.

Interea cursus quos prima a parte juventæ
Quosque adeo Consul virtute animoque petisti,
Hos retine: atque auge famam laudesque bonorum.

Hæc mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς Calliope ipsa præscripserit &c. His ergo argumentis videmur non inepte *Urania* restituisse. Manuscripti tamen cum vulgata consentiunt, præter unum Faerni, qui habet, *de non Urantia.* qua de Urania quidem a conjectura nostra non sane valde distans. *Malasp.*

Quod me admones de nostra Urania.] Ita certam *Leon. Malaspina* conjecturam hic esse puto, ut non dubitem, quin eam *P. Victorius*, quantumvis Malaspinæ iniquus, germanam & sinceram lectionem jampridem judicarit. *Lambinus.*

Quod me admones de non curantia.] Sic MS. cum vulgo. aliorum sententiam nec damno, nec studium improbo. Si cui tamen placebit hanc vocem retinere, sic statuat: primum *noncurantiam* unicam vocem esse, quæ Græcæ illi ἀμεριμνία vel ἀφροντισία respondeat: deinde non Marci sed Quinti Ciceronis esse, audacter cum Marco fratre in jocis epistolaribus colludentis, ut Marcum fratrem adversus P. Clodii procellas armari *noncurantia* præciperet: postremo autem istius *noncurantiæ* documentum exstare lib. pr. de Divin. his versibus;

Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ voces studiis nobisque sacrasti.

Atque hæc Jovis oratio commode appellatur, quod eam Jupiter per Uraniam a Poeta fingatur enuntiavisse. Judicent docti. *F. Junius.*

Quod me admones de non curantia.] *De nostra Urania* ex vetere quodam libro commodam, ut videtur, lectionem primus *Faernus* elicuit. *Ursinus.*

3. *De nostra Urania.*] Est conjectura Malaspinæ. Membranæ enim nostræ aliorumque, item excusi prius *de noncurantia.* Gruter.

ſcripſi quàm ceteris. Sed tamen poſtridie quàm tu es profectus, multa nocte cum Vibullio veni ad Pompejum. Cumque ego egiſſem de iſtis operibus atque inſcriptionibus, [4] per mihi benignè reſpondit: magnam ſpem attulit: cum Craſſo ſe dixit loqui velle, mihique ut idem facerem, ſuaſit. Craſſum conſulem ex ſenatu domum reduxi: ſuſcepit rem, dixitque eſſe quod Clodius hoc tempore cuperet per ſe & per Pompejum conſequi: putare ſe, ſi ego eum non impedirem, poſſe me adipiſci ſine contentione quod vellem. totum ei negotium permiſi, meque in ejus poteſtate dixi fore. Interfuit huic ſermoni P. Craſſus adoleſcens, noſtri (ut ſcis) ſtudioſiſſimus. Illud autem quod cupit Clodius, eſt legatio aliqua, ſi minùs per ſenatum, per populum, libera, aut Byzantium, [5] aut ad Brogitarum, aut utrumque. Plena res nummorum. Quod ego non nimiùm laboro, etiam ſi minùs aſſequor quod volo. Pompejus tamen cum Craſſo locutus eſt; videntur negotium ſuſcepiſſe. ſi perficiunt, optimè. ſin minùs, ad noſtrum Jovem revertamur. [6] A. d. III. id. Maji ſenatus conſultum eſt factum de ambitu in Afranii ſententiam, quam ego dixeram cùm tu adeſſes, ſed magno cum gemitu ſenatus. Conſules non ſunt perſecuti eorum ſententias: qui Afranio cùm eſſent aſſenſi, addiderunt, ut prætores ita crearentur, ut dies LX. privati eſſent. eo die Catonem planè repudiarunt. Quid multa? tenent omnia, idque ita omnes intelligere volunt.

EPI-

4. *Per benigne mihi reſpondit.*] Noſtri omnes. *Per mihi benigne.* Ut alibi. *Per mihi gratum.* Malaſp.

Per mihi benigne reſpondit.] Exhibendum in hac editione putavi, ut inſtruebat codex Balliolenſis, etſi nullus, quod ſcio, antea ſic ediderat. Sed non poteſt dubitari, quin ſit Ciceronis illa tmeſis toties ab eo uſurpata, ut *per enim magni intereſt* in epiſtolis ad Atticum. Unde in eadem parte etiam lib. XV. ep. 4. obſecutus ſum patri monenti illic eandem rationem ſervatam *te per videre velim.* Gronovius.

5. *Aut ad Brogitarum.*] Haud aliter Lambinus, ſed præter libros; ſic ſolum emendandum duxerat Manutius, cùm prius abfuiſſet præpoſitio. *Gruter.*

6. *A. d.* IIII *id. Maji.*] Petri Victorii editio *Febr.* neque aliter Pall. quatuor, niſi quod quart. *A. d.* VI. *id. Febr.* Idem.

EPISTOLA X.

MARCUS Q. FRATRI, S.

TU metuis ne me interpelles? primò si in isto essem, tu scis, quid sit interpellare. [1] An te Atejus? mehercule mihi [2] docere videbaris istius generis humanitatem: [3] qua quidem ego nihil utor abs te. Tu verò ut me & appelles, & interpelles, & obloquare

1. *An te Ateius?*] Legendum fortasse est; *An te Statius?* subintelligendumque, *interpellat.* Erat autem Statius libertus Quinto fratri charissimus. *Lambinus.*

An te Ateius?] Puta, *docuit istud urbanitatis genus?* Nihil muto. Ateium Capitonem perstringit, qui singulari curiositate percontabatur omnia, eoque importunam quandam odiosamque urbanitatem percontaturus adhibebat. Lib. 13. epist. 33. ad Attic. *sed tu quid ais? quanquam quid quæro? nosti diligentiam Capitonis in rebus novis perquirendis;* non concedit Camillo. *F. Junius.*

2. *Docere videbaris.*] Ant. Faer. aliquot alii, *Videbis.* rectum arbitror, *Videris*: ut hominem fraterne castiget, cui quidem in mentem venire potuerit, vereri, ne se interpellaret. Tu inquit mihi videris istiusmodi humanitatis exemplum inter nos inducere, quod mihi sequi non libeat. Ita enim illud accipio, *qua quidem nihil utor abs te.* Itaque & superiora illa: *Tu scis quid sit Interpellare*; cum nota sciscitandi lego: ut hujus loci totius sensus ille sit. *Tu times ne me interpelles? Primum, si in isto essem, ut nollem interpellari, tu scis quid sit interpellare?* hoc est, videris mihi nescire quid sit interpellare, cum tu mihi importunus advenire nunquam possis. An te Ateius interpellat? Sane mihi videris istius generis humanitatem docere, qua ego non utor abs te: hoc est nolo a te discere. Nam arbitratu meo ad te accedam, de interpellatione nihil solicitus. Sic ego & interpretor & lego. Quod si vulgatam sequamur, cum in reliquis omnibus, tum in illo, *qua quidem nihil utor abs te*, non parum frigoris inerit. Sed non omittam illud quod mihi venit in mentem, subvereri, ne in illis, *an te Atejus?* mendum sit. Nam primo, quis hic Atejus, Quincto tam familiaris, ut quidvis agenti importunus advenire nunquam posset? Certe, cum tanta charitas esset duorum fratrum, ut nemo uni amicus esse posset, quin alteri esset carissimus, in tot tamque variis scriptis M. Tullii taceri Atejus non debuit. Deinde in Antoniano & nonnullis aliis manuscriptis, non, *an te Atejus*, sed *antea te is*, legitur. perperam ipsum quidem, sed quod tamen vulgatæ suspicionem creet, quæ aliis quoque de causis suspecta potuit esse. Quanquam aliter etiam exponi posse videtur, nempe, an te Atejus hanc humanitatem docuit? ut Atejum Capitonem significet, jurisconsultum quidem præcellentem sed aditu fortasse difficillimum: qui, cum & in respondendo & in scribendo esset occupatissimus, interpellari se ægre pateretur. Hujus a Gellio scripta non pauca commemorantur, *de judiciis publicis; de Jure Pontificio: Collectanea.* Quanquam eo tempore duo Atei inveniantur fuisse; L. & C. utrique Capitones. Prioris mentio fit in epistola Cœlii ad Ciceronem, posterioris, Ciceronis ad Plancum. *Malasp.*

3. *Qua quidem nihil utor abs te*] Nostri *qua quidem ego nihil &c.* ἐμφατικώτερον, quemadmodum initio hujus epistolæ, *tu metuis &c.* Idem.

quare, & colloquare velim. Quid enim mihi suavius? Non mehercule quisquam [4] μυσοπάτακτος libentius sua recentia poemata legit, quàm ego te audio quacumque de re, publica, privata, rustica, urbana. Sed mea factum est [5] insulsa verecundia, ut te proficiscens non tollerem. [6] Opposuisti semel [7] ἀντείσακτον causam, Ciceronis nostri valetudinem: conticui. [8] iterum Cicerones: quievi. Nunc mihi jucunditatis plena epistola hoc adspersit molestiæ, quòd videris, ne mihi molestus esses, veritus esse, atque etiam nunc vereri. Litigarem tecum, si fas esset: sed mehercule istuc [9] si umquam suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi verebor nequando ego tibi, cùm sum unà, molestus sim. Video te ingemuisse. sic fit εἰδ' ἐν ἀια ἴζησας. [10] numquam enim dicam ἔα πάσας. Marium autem nostrum in lecticam mehercule conjecissem, non illam regis Ptolemæi Anicianam. memini enim cùm hominem portarem ad Bajas, Neapoli, octophoro Aniciano,

4. **Μυσοπάταγος.**] Nos rectius, ut in aliquo libro vidimus, μυσοπάτακτος legi putavimus, id est, *a musis percussus & vulneratus.* πάταγος enim sonus est qui ex percussione resultat. hanc etiam vocem videntur Germani in suo antiquo invenisse. *Victorius.*

5. *Insulsa verecundia.*] Sic conjicit Victorius lib. VI. Var. lect. cap. 6. cum esset in libris insusa, in editis *invisa.* idem non rejiciat, *insita.* Wouwerii codex habebat; *Sed in me affatim est insusa verecundia*; quod omnino sapit glossam. *Gruter.*

Invisa verecundia.] Faërni liber *insulsa*, reliqui *infusa*, sed satis apparet, unius litteræ omissione. *Insulsa* placet. *Malasp.*

6. *Opposuisti semel ἀντιλόσακτον causam.*] ἀναντίλεκτον legit Petrus Victorius lib. 6 var. Lect. ἀναντίλεκτον autem, id est, *cui contra dici non potest.* quæ scriptura valde probabilis est. Sed *Paulus Manutius* testatur in codice Bessarionis scriptum esse ἀντιόσακτον, id est, *oppositam & objectam voluntati meæ.* Quod si verum est, ut videtur, (locuples enim testis est) ἀντιλόσακτον reponendum censeo: quemadmodum reposui paulo ante, *insulsa verecundia*, ubi vulgo legitur, *invisa. Lambinus.*

7. **Ἀντιλόσακτον.**] Ita restituit ex Bessarionis P. Manutius. & proximè accedit Pal. quartus. nam ceteri adhærent vulgato, ἀντίακτον, quod mutabat in ἀντίλεπτον Victorius d. cap. 6. qui videatur. *Grut.* Etiam Balliol ἀντίακτον. Huc sane accedit proxime conjectura paterna, quæ est ἀνίατον, exponitque *senticam.* Gronov.

8. *Iterum Cicerones; quievi.*] Haud secus Rob. Stephani editio, & neotericæ. verùm remotiores, *iterum ceteri omnes; quievi.* quod & in Pall. omnibus. *Gruter.*

9. *Si unquam suspicatus ero.*] Balliolensis *suspicaturus*, ut lib. XII. ad Att. ep. 25. *Ero venturus.* Gronov.

10. *Numquam enim dicam ἔα πάσας.*] Non addidit quod sequebatur, μελεδῶνας. id est, *omitte curas omnes.* Lambinus.

niciano, machærophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, cùm ille ignarus sui comitatus, repentè aperuit lecticam, & pænè ille timore, ego risu corrui. Tunc, ut dico, certè sustulissem, ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis & humanissimi sermonis attingerem. sed hominem infirmum in villam apertam, [11] ac ne rudem quidem etiam nunc invitare nolui. Hoc verò mihi peculiare fuerit, hic etiam isto frui. nam illorum prædiorum scito mihi [12] vicinum Marium, lumen esse. apud Anicium videbimus ut paratum sit. nos enim ita philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus. habemus hanc philosophiam, non ab Hymetto, [13] sed ab area Syra. Marius & valitudine est & natura imbecillior. De interpellatione tantum sumam à vobis temporis ad scribendum, quantum dabitis. utinam nihil detis, ut potiùs vestra injuria, quàm ignavia mea cessem! De republica nimiùm te laborare doleo, & meliorem civem esse quàm Philoctetem, qui accepta injuria illa spectacula quærebat, quæ tibi acerba esse video. Amabo te advola: consolabor te & omnem abstergebo dolorem, & adduc, si me amas, Marium; sed adproperare. Hortus domi est.

EPI-

11. *Ac ne rudem quidem.*] Neotericæ edd. *tutam.* sed præter vetustiores & Pall. nostros. Gulielmius tamen ex illa ciebat, *rutam.* Gruter.

12. *Vicinum Marium lumen esse.*] P. Victorius tollit vocem *lumen* lib. VI. Var. lect. cap. 7. sed non necessario. *Idem.*

Vicinum Marium lumen esse.] P. Victorius vocem, *lumen*, delet. Manutius retinet, & ita hunc locum declarat, *scito Marium vicinum esse mihi, seu villæ meæ, luminis loco; seu æque gratum atque opportunum ac lumen.* Nam quæ lumine carent loca, minus jucunda sunt. *Lambinus.*

13. *Sed ab area Syra.*] Variè isthæc scribuntur in Pall. nam. pr. *sed ab araysira.* sec. *sed ab Araisira.* tert. *non ab injecto sed ab Araysira.* emendatumque alias. *ab bimaco sea ab ara siria.* quart. *sed ab araxira.* quomodo correxerit Cælius Rhodiginus, videndum Antiq. lect. lib. XXVIII. cap. 27. *Gruter.*

Sed ab area Syra.] MS. *ab ara isira*, repono, *Isica.* nam Hymettum Attidos montem musis sacrum opponit aræ Isicæ sive Isiacæ, ad quam boatus & sonitus vehementissimi edebantur, tanquam in fabrilibus officinis, cum sacra fierent Isidi: ut omnes auctores docent. Quod si *area syra* legitur, equidem pro area Syrorum mancipiorum acceperim, ubi commune est ipsorum ergasterium, & in qua ad opus suum continentur omnes, & fervente opere omnia personant. *F. Junius.*

EPISTOLA XI.

MARCUS Q. FRATRI, S.

EPistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. nam res quidem ipsa, & is dies quo tu es profectus, nihil mihi ad scribendum argumenti sanè dabat. Sed quemadmodum coràm cùm sumus, sermo nobis deesse non solet, [1] sic epistolæ nostræ debent interdum halucinari. Tenediorum igitur libertas securi Tenedia præcisa est. cùm eos præter me, & Bibulum, & Calidium, & Favonium nemo defenderet. [2] De te magis ab Sipylo mentio est honorifica facta, cùm te unum dicerent postulationi L. Sextii Pansæ restitisse. Reliquis diebus, si quid erit quod te scire opus sit, aut etiam si nihil erit, tamen scribam quotidie aliquid. Prid. id. neque tibi neque Pomponio deero. [3] Lucretii poemata (ut scribis) lita sunt multis luminibus

1. *Epistolæ nostræ debent interdum vaticinari.*] Id est, ut in vaticiniis, insano quodam modo ac velut furore quævis temere profundere commenta, visa, somnia, quicquid denique in buccam. sic MS. Cicero Cælio, *sed ego fortassis vaticinor: & hæc omnia meliores habebunt exitus.* & in Orat. pro Sextio, *sapientes vaticinari atque insanire dicebant.* vulgo legitur, *alucinari*, quod ego quidem non damno, sed hoc anteposuerim ex MS. fide. *F. Junius.*

2. *De te magis ab Sipylo mentio &c.*] Pal. pr. nihil variat, nisi quod *à* collocarit supra *é* vocis *te.* tert. verò expressit *ma.* Grut.

De te a Magnetibus ab Sipylo mentio est.] Sic restituit hunc locum *P. Victorius* libro Variarum Lectionum 30. c. 1. *Lambinus.* legebatur antea nullo sensu, *de te magis ab Sipylo* &c.

3. *Lucretii poemata (ut scribis) lita sunt multis luminibus ingenii &c.*] Retinui quod erat in Aldino veteri, quod proximè ei accederent Pall. in quibus *ita*, nam subseqq. edd. interposuerant negativam, *non ita sunt &c.* Lambinus hèic multa de suo addidit. *Grut.*

Lucretii poemata, ut scribis, lita sunt *multis.*] Non veriti sumus hanc licet satis receptam lectionem delere. in manu enim scriptis libris non invenimus, & nullo modo rectam esse judicamus. Nam quæ infra posita sunt verba, *multæ tamen artis*, necesse est ut antecedenti sententiæ repugnent. cum igitur *autem* in illis laudet, verisimile est aliquid prius improbatum fuisse: quod sicuti mirum videtur judicatum esse quandoque Lucretium elegantissimum atque ornatissimum Poetam non satis multis ingenii luminibus sua poemata scripsisse, ita judicium Quinti reprehendat. nam suspicari possumus, cum quo modo potest eum tueatur & ornet Marcus Cicero, non valde (etsi videatur illud confirmare) fratris judicio de hac re sensisse, noluisse tamen iracundo homini adversari; qui fortasse quod ipse quoque versus scribebat, invidia mo-

nibus ingenii. multæ tamen artis. Sed cùm veneris, [4] virum te putabo: si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo. Vale.

EPISTOLA XII.

MARCUS Q. FRATRI, S.

GAudeo tibi jucundas esse meas litteras: nec tamen habuissem scribendi nunc quidem ullum argumentum, nisi tuas accepissem. nam prid. id. cùm Appius senatum infrequentem coegisset, tantum fuit frigus, ut populi convicio coactus sit nos dimittere. De Commageno rege, [1] quòd rem totam discusseram, mihi & per se & per Pomponium blanditur Appius. Videt enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum: eumque lusi jocosè satis: neque solùm illud extorsi oppidulum, quod erat positum [2] in Euphrate & Zeugmate: sed præterea togam sum ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare consule, magno hominum risu cavillatus. [3] Quod non vult, inquam, renovare honores eosdem, quo

motus verum non videbat: potuit tamen sic judicare, quòd Lucretius poema suum non contexuit ut ingenium ejus elucescat, sed rationem ab Epicuro traditam summa industria & artificio explicavit. *Victorius.* sic est igitur in Edit. Victorii, *Lucretii Poemata, ut scribis, non ita sunt multis* &c. *Lambinus* ex conjectura ad hunc modum, *Lucretii Poemata, ut scribis, ita sunt: multis luminibus ingenii* illustrata: *multa tamen* etiam *artis.*

4. *Virum te putabo:*] Id est, *fortem & patientem & malis invictum*; si potueris ferre, id est, patienter legere seu audire tam indoctum poema, *hominem non putabo*: id est, putabo te omnis humanitatis expertem, ferum, immanem, seu sensus expertem. *Lambinus.*

1. *Quod rem discusseram.*] Nostri *quod rem totam.* Malasp.

2. *In Euphrate & Zeugmate.*] Pal. pr. *in Euphrate & eugmate.* quomodo sec. & tert. nisi quod ambo *euginate.* tertius præterea *Euphrati.* at est in quartò, *in Euphrati Zeugmate.* P. Manutius vult *& Zeugmate*, esse glossema. Lambinus finxit, *in Euphrate Zeugma*, quod non displicet. *Grut.*

3. *Quod nolit inquam.*] Nostri *quod vult inquam*, utrum melius, in re obscura statui non potest. Verba sunt, aut duo loci potius ex sententia illa, quam dixit Cicero, in regem Commagenum cavillatus: quos Quinctus degustaret, judiciumque faceret, quam illi jocose tractari potuissent. Itaque statim addit, *Genus vides & locum jocandi.* Jocum vero arbitror in illis fuisse,

quò minùs togam prætextam quotannis interpolet, decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, 4 qui Busrenum prætextatum non ferebatis, Commagenum feretis? Genus vides & locum jocandi. Multa dixi in ignobilem regem, quibus totus est explosus. quo genere commotus (ut dixi) Appius totum me amplexatur. Nihil est enim facilius quàm reliqua discutere. Sed non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis Hospitalis: Grajos omnes convocet, per quos mecum in gratiam rediit. Theopompo satisfaciemus. De Cæsare fugerat me ad te scribere. Video enim quas tu litteras exspectaris. sed ille scripsit ad Balbum, fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat & mea & Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse: ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. sed ex Balbi epistola pauca verba intellexerat, ad quæ rescripsit his verbis, *De Cicerone video te quiddam scripsisse quod ego non intellexi: quantum autem conjectura consequebar, id erat hujusmodi, ut magis optandum quàm sperandum putarem.* Itaque posteà misi ad Cæsarem eodem illo exemplo litteras. Jocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. Ad quem ego rescripsi, nihil esse quod posthac arcæ nostræ fiducia conturbaret: lusique in eo genere & familiariter & cum dignitate. Amor autem ejus erga nos perfertur omnium nuntiis singularis. Et litteræ quidem ad id quod exspectas, ferè cum tuo reditu jungentur; re-

fuisse, *quo minus togam prætextam &c.* Item in Burisrieni persona, ut sit quidem argumentum a majori ad minus, sed ironice tamen, cum obscurus aliquis regulus significetur, qui tamen hoc sibi honoris postulare non dubitarit. Leves hæ quidem conjecturæ, sed quibus fortasse veluti lucerna ad veram sententiam ingeniosiores deducantur. Illud quidem certe affirmare posse videor, verba illa, *decernendum nihil censeo*; ab reliquo ambitu, illa moræ nota, secerni non oportere, sed separatim legi. *Malasp.*

4. *Qui Busrenum.*] Mire variat nomen illud in MS nostris. nam Pal. pr. *qui vix Rhenum.* sec. *qui Buscenum.* tert. *Busthenum.* quart. *Burrenum.* Grut.

Qui Busrenum prætextatum.] Vel, *Bustrenum*, ut est in MS. uno a Botzra vel Botra, quam Ptolemæus Bostram legionem vocat. frequens in scripturis nomen. *F. Junius.*

reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modò tabellarios tu præbebis. quamquam ejusmodi frigus impendebat, ut summum periculum esset, ne Appio suæ ædes urerentur. Vale.

EPISTOLA XIII.

MARCUS Q. FRATRI, S.

Risi nivem atram, teque hilari animo esse & prompto ad jocandum valde me juvat. De Pompejo assentior tibi, vel tu potiùs mihi. nam, ut scis, [1] jampridem istum canto Cæsarem. mihi crede, in sinu est, neque ego discingor. Cognosce nunc idus. Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerum judices non habuit. vereor ne homo tæter & ferus Pola Servius ad accusationem veniat. nam noster Cœlius valde oppugnatur à gente Clodia. certi nihil est adhuc: sed veremur. Eodem igitur die Tyriis est senatus datus frequens: frequentes contrà Syriaci publicani. vehementer vexatus Gabinius: [2] exagitati tamen à Domitio publicani, quòd eum essent cum equis prosecuti. C. noster Lamia paullo ferociùs, cùm Domitius dixisset, *vestra culpa hæc acciderunt, equites Romani; dissolutè enim judicatis:* [3] *Nos judicamus*, [4] *vos laudatis*, inquit. Actum est eo die nihil. nox diremit. Comitialibus diebus qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minùs habeat senatum, & quòd Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex kal.

1. *Jampridem istum canto Cæsarem.*] Non dissentiunt libri, Lipsius tamen imbibit Ciceronem scripsisse; *jampridem istunc ante Cæsarem.* qui consulatur libro IV. Antiq. lect. cap. 13. *Grut.*

2. *Exagitati tamen a Domitio publicani.*] *Tum* pro *tamen* Faernus, & *dare* paulo post pro *dari.* *Ursinus.*

3. *Nos judicamus, vos laudatis, inquit.*] *Vos colluditis*, est in manuscripto. *Ursinus.*

Nos judicamus, vos colluditis.] Sic MS. & probat ratio. *F. Junius.* editiones, *laudatis.* sed alterum, *colluditis*, in veteri codice repererat antea *Wouverius.*

4. *Vos laudatis.*] Ita & Pall. sed Wouverius adscripsit oræ, ex nescio quo veteri codice, *vos colluditis.* *Grut.*

kal. Febr. usque ad kal. Mart. legatis senatum quotidie dari. ita putantur detrudi comitia in mensem Martium. sed tamen his comitialibus tribuni plebis de Gabinio se acturos esse dicunt. Omnia colligo, ut novi scribam aliquid ad te. sed ut vides, res me ipsa deficit Itaque [5] ad Callisthenem & ad Philistum redeo: in quibus te video volutatum. [6] Callisthenes quidem, vulgare & notum negotium; [7] quemadmodum Græci aliquot locuti sunt. [8] Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, pænè pusillus Thucydides: sed utros ejus habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque, nescio. [9] Me magis de Dionysio de-

5. *Ad Callisthenem redeo.*] Muretus lib. 11. cap. 5. Novar. lect. abjicit *redeo*, de conjectura; quæ quo fundamento nitatur, ibidem videatur. & verò id statim etiam secutus est Lambinus; sed invitis omnibus MS. nostris. *Idem.*

6. *Callisthenes quidem.*] Ita liber Mureti, & adstipulatur Pal. tert. alii *Callisthenis*, ut vulgati prius. *Idem.*

Callisthenis quidem vulgare ac notum negotium.] Muretus in suis variis lectionibus *Callisthenes* emendat, ut eadem prorsus dicendi ratio sit, quæ est illa ad Atticum libro primo. *Teucris illa, lentum sane negotium.* atque ita quodam in libro manuscripto inveniri ait. Porro *vulgare & notum*, triviale exponit, & in quo nihil admodum excellat: quo sensu illa sunt apud Horatium.

Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.
Item
Ex noto factum carmen sequar.

Et quod ibi *Notum* dicit, paulo post vocat, *de medio sumptum.* Mox autem, *Capitalem* interpretatur *ingeniosum*, Ovidii auctoritate adductus, qui tertio lib. Fastorum, de capta Minerva loquens, multasque ejus appellationes proferens, hanc primam posuit; dictam videlicet esse *Capitalem*, quia ingeniosa sit. Versus autem qui afferuntur ab eo, ii sunt.

Parva licet videas captæ delubra Minervæ
Quæ Dea natali cœpit habere suo,
Nominis in dubio caussa est: Capitale vocamus
Ingenium solers: ingeniosa Dea est.
Malasp.

Callisthenes quidem, vulgare & notum negotium.] Sic legendum censet Muretus Var. Lect. lib. 2. cap. 5. ibidemque verbum, *redeo*, versu superiore delendum putat. *Lambinus.*

Callisthenis quidem] nihil muto. Hellenismus est, Καλλισθένους γνωστὸν πρᾶγμα; & Hellenismum esse Tullius ostendit sequentibus Sequentia autem, *Siculus ille*, de Philisto dicuntur, quem historiæ auctorem doctum & diligentem vocat lib. 1. de Divinat. *F. Junius.*

7. *Quemadmodum Græci aliquot locuti sunt.*] Idem liber destituebatur illis, *locuti sunt.* fieri potest; sed exstant tamen in omnibus Pall. *Grut.*

8. *Siculus ille capitalis.*] Nos, *Siculus ille*, auxilio meliorum librorum restituimus. cum enim de Callisthene & Philisto supra locutus esset, judiciumque suum de Callisthene jam protulisset, nunc de Philisto quid sentiat exponit; quem *siculum* quasi *vafrum* & *callidum* appellat. sic enim de Epicharmo quoque loquitur libro primo ad Attic. *ille siculus insusurret Epicharmus.* fuit enim Syracusius Dionysii tyranni cognatus, pro quo contra cives suos pugnans, ab illis captus & interfectus est. *Victorius.*

9. *Me magis de Dionysio delectat.*] Alterum scilicet corpus, in quo de Dio-

delectat. ipse est enim veterator magnus & perfamiliaris Philisto. Sed quod adscribis, aggrederisne ad historiam? me auctore potes. &, quoniam tabellarios subministras, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. Oblecta te cum Cicerone nostro quàm bellissimè.

EPISTOLA XIV.

[1] MARCUS Q. FRATRI, S.

DUas adhuc à te accepi epistolas: quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam. plures, quas scribis te dedisse, non acceperam. Ego me in Cumano & Pompejano, præterquàm quòd sine te, ceterum satis commodè oblectabam, & eram in iisdem locis usque ad kal. Jun. futurus. Scribebam illa quæ dixeram πολιτικά, spissum sanè opus & operosum. sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita. sin minùs, in illud ipsum mare dejiciemus, [2] quod scribentes spectamus. aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Tua mandata persequar diligenter, & adjungendis hominibus & quibusdam non alienandis. Maximæ mihi verò curæ erit, ut Ciceronem tuum nostrumque videam, scilicet quotidie: sed inspiciam quid discat quàm sæpissimè: &, nisi ille contemnet, etiam magistrum me ei profitebor: cujus rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro [3] minore producendo.

nysii rebus gestis egerat, inquit Victorius lib. XXXII. cap. 19. Variar. lect. malè enim qui tolli debere præpositionem existimarent. *Grut.*

1. *Marcus, &c.*] Hanc adhuc superiori epistolæ adnectunt edd. vett. & Pall. nostri. *Idem.*

2. *Quod scribentes spectamus.*] Aldini, *spectabamus*; quomodo & Lambiniana. at Victorius, *quod spectantes scribimus*: neque aliter Pall. quatuor. *Idem.*

3. *In minore producendo.*] Ita restituendum putavi cum Pall. neque aliter Victoriana, aut P. Manutii editio. vulgata, *perdocendo*. Idem. *Grut.* Sed unde aut quo illud *in*? Gron.

ducendo. Tu, quemadmodum ſcribis, quod etiam ſi non ſcriberes, facere te diligentiſſimè tamen ſciebam, facies, ſcilicet ut mea mandata digeras, perſequare, conficias. Ego cùm Romam venero, nullum prætermittam Cæſaris tabellarium, cui litteras ad te non dem. His diebus, (ignoſces) cui darem fuit nemo antè hunc M. Orfium equitem Romanum, noſtrum & perneceſſarium & quòd eſt ex municipio Atellano, quod ſcis eſſe in fide noſtra. Itaque eum tibi commendo in majorem modum, hominem domi ſplendidum, gratioſum etiam extra domum: quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. eſt tribunus militum in exercitu noſtro. gratum hominem obſervantemque cognoſces. Trebatium ut valde ames vehementer te rogo. Vale.

EPISTOLA XV.

MARCUS Q. FRATRI, S.

A. d. IIII. non. Jun. quo die Romam veni, accepi tuas litteras datas Placentiæ: deinde alteras poſtridie, [1] datas Blandenonæ, cum Cæſaris litteris refertis omni officio, diligentia, ſuavitate. Sunt iſta quidem magna vel potiùs maxima. Habent enim vim magnam ad gloriam & ad ſummam dignitatem. Sed mihi crede quem noſti, quod in iſtis rebus ego plurimi æſtimo, id jam habeo: te ſcilicet primùm tam inſervientem communi dignitati: deinde Cæſaris tantum in me amorem, quem omnibus his honoribus, quos me à ſe exſpectare vult, antepono Litteræ verò ejus

1. *Datas Blandenona.*] Sic quoque Pall. niſi quod tres eorum *Blandennonæ*. Sigonius emendabat *Laude nonis*, quod illicò in contextum recepit Lambinus, gnavus accipiter. *Grut.* *Datas Laude nonis.*] Approbata Caroli Sigonii conjectura ſic edendum curavi. Eſt autem *Laus* oppidi nomen. *Lambinus*. vide Manut. *Laude nonis*, pro *Blandenona*.

ejus unà datæ cum tuis quarum initium est, quàm suavis ei tuus adventus fuerit & recordatio veteris amoris; deinde, se effecturum ut ego in medio dolore ac desiderio tui, te, cùm à me abesses, potissimùm secum esse lætarer, incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraternè quòd me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum conferam. Ego verò ardenti quidem [2] studio: ac fortasse efficiam, quod sæpe viatoribus, cùm properant, evenit: ut si seriùs quàm voluerunt fortè surrexerint, properando etiam citiùs quàm si [3] de multa nocte vigilassent, perveniant quò velint: sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatem, [4] tum equis tum verò (quoniam scri-

2. *Studio. ac fortasse.*] Pal. sec. tert. *studio hoc fortasse*; neque aliter editio Aldi vetus. *Grut.*

3. *Quàm si de multa nocte vigilassent.*] Non dissentiunt exemplaria, nisi quod *multa* non habent, sed tantum *de nocte*; quod cum ante primam lucem, &, cum adhuc nox esset significet, possumus existimare *vigilare* pro *evigilare* positum esse: nisi *evigilare* est melius; quod ego tamen contra omnium exemplarium scripturam affirmare non ausim: eoque minus quod idem pro Muræna scripsit: *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas*; quod valet *evigilas, excitaris a somno, & expergisceris*: Et Plautus in Mostellaria.

T. Ecce autem hic deposuit caput, & dormit: suscita
Philo. Etiam vigilas? pater inquam adERIT jam hic meus.

Quod est, *evigilas.* Quin contra *evigilo* a Cicerone, pro *Vigilo*, aut potius *Invigilo, elaboro, cogitoque* positum invenio. Unde supra; *Honesta & expedita tua consilia: quam evigilata tuis cogitationibus.* quod est, *diligenter & accurate cogitata atque discussa.* Malasp.

De multa nocte evigilassent.] Sic emendavit *Ertic. Stephanus*, & recte, quanquam *vigilassent*, ferri potest. *Lambinus.* & pro, *indormivi* mallet idem, *dormivi.* porro mihi illa displicent, *cum properant*, & jam, *properando etiam citius.* &c.

4. *Cum equis* tum viris, *quoniam scribis poema nostrum ab eo probari quadrigis poeticis.*] Omnes excusi codices & manu etiam scripti unam eandemque hanc lectionem habent, sed tamen nos eam perversam & depravatam esse putamus. Erasmus pro *viris*, *velis*, legit, quod non improbamus, ut sit proverbium, *equis velisque sequi* aut *fugere*, cum *omni conatu* & *totis viribus* significare volumus. Nos tamen pro *viris*, *vero* scripsimus, aliquantulum, quod necesse erat, a vestigiis illis corruptis declinantes: ut totum illud (*quoniam scribis poema nostrum ab eo probari*) κατὰ παρένθεσιν dictum sit, maneatque in translatione cursus tum equorum tum quadrigarum; cum enim fortasse *velis* inferre vellet, aptius visum est, *quadrigis poeticis* dicere, cum recordatus esset poema suum ab eo probari. nam si aliter legas, verba illa, *quadrigis poeticis*, quasi abundare videbuntur, &, cum a nullo pendeant, otiosa esse & inania. *Victorius.*

ſcribis poema ab eo noſtrum probari) quadrigis poeticis. modò mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, [5] penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romæ præſertim, ut iſte me rogat, manenti, vacuum oſtenditur? ſed videro. fortaſſe enim (ut fit) vincet tuus amor omnes difficultates. Trebatium quòd ad ſe miſerim, perſalſè & humaniter etiam gratias mihi agit. negat enim, in tanta multitudine eorum qui unà eſſent, quemquam fuiſſe, qui vadimonium concipere poſſet. M. Curtio tribunatum ab eo petivi (nam Domitius ſe derideri putaſſet, ſi eſſet à me rogatus: hoc enim eſt ejus quotidianum, ſe ne tribunum militum quidem facere: etiam in ſenatu luſit, Appium collegam propterea iſſe ad Cæſarem, ut aliquem tribunatum auferret) ſed in alterum annum. id & Curtius ita volebat. Tu, quemadmodum me cenſes oportere eſſe in republica & in noſtris inimicitiis, ita & eſſe & fore auricula infima ſcito molliorem. Res Romanæ ſe ſic habebant. Erat nonnulla ſpes comitiorum, ſed incerta: erat aliqua ſuſpicio dictaturæ, ne ea quidem certa: ſummum otium forenſe, ſed ſeneſcentis magis civitatis quàm acquieſcentis. Sententia autem noſtra in ſenatu ejuſmodi, magis ut alii nobis aſſentiantur quàm noſmetipſi. [6] τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμ☉ ἐξεργάζεται. Calamo & atramento temperato, [7] charta etiam dentata res agetur. Scribis enim te meas lit-

5. *Penicillo meo.*] Faerni liber & Poggii, *Peniculo*, alii *Penicillo*. Malaſp.

6. Τοιαῦτα ἐξεργάζεται.] Nos hunc ſenariolum diſſolutum & fractum in ſuos numeros reſtituimus, quos in noſtro etiam vetere conſervarat. Eſt autem Euripidis verſus in Icetidibus a Theſeo pronuntiatus cum Adraſto loquente. cum enim ille adverſam ſuam fortunam lamentaretur, narrans cædem fortium virorum ducumque in Thebana clade, dixiſſetque, ἐνταῦθ' ἀπώλεσ' ἄνδρας ἀργείων ἄκρους, ſubjungit Theſeus, τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμ☉ ἐξεργάζεται. *Victorius.*

7. *Charta etiam, dum tanta res agetur*] nempe, *temperata*, ex membro antecedente, ἀπὸ κοινοῦ. ſic enim MS. quæ lectio quam vera ſit, & quam alteri anteponenda, nemo oculatus non videt. quid enim calamo & atramento temperato cum dentatis chartis? quod non ſolum ἀπροσδιόνυσον ſed argumento etiam adverſum. *F. Junius.* de *charta dentata* recte Manutius. peſſime Junius pro dentata legit *dum*

litteras ſuperiores vix legere potuiſſe: in quo nihil eorum, mi frater, fuit, quæ putas. neque enim occupatus eram, neque perturbatus, nec iratus alicui: ſed hoc facio ſemper, ut quicumque calamus in manus meas venerit, eo ſic utar tamquam bono. Verùm attende nunc, mi optime & ſuaviſſime frater, ad ea dum reſcribo, quæ tu in hac eadem brevi epiſtola πραγματικῶς valde ſcripſiſti. De quo petis, ut ad te nihil occultans, nihil diſſimulans, nihil tibi indulgens, genuinè fraterneque reſcribam. id eſt, [8] utrum voles, ut dixerimus, ad expediendum te, ſi cauſa ſit, commorere. Si, mi Quinte, parva aliqua res eſſet in qua ſciſcitarere quid vellem, tamen cùm tibi permiſſurus eſſem ut faceres quod velles, ego ipſe, quid vellem, oſtenderem. In hac verò re hoc profectò quæris, cujuſmodi illum annum, qui ſequitur, exſpectem: planè aut tranquillum nobis aut certè munitiſſimum: quod quotidie domus, quod forum, quod theatri ſignificationes declarant; [9] nec laborant quòd mea

dum *tanta*. & tamen dicit MS. neſcio quos ſic habere. non credo.

8. *Vtrum voles, ut dixerimus, ad expediendum te: ſic cauſa ſit commorere.*] P. Manutius tentabat, *utrum voles* (*ut dixerim*) *an ad exp. te, ſi cauſa &c.* Grut.

Vtrum voles, ut dixerimus, ad expediendum te, ſi cauſa ſit, commorere.] Hæc corruptiſſima ſunt. videndus Manutius. Lambinus in margine, *utrum voles*, (advoles ad nos) *ut dixeramus, ad expediendum ſi cauſa ſit*, an *commorere.*

Vtrum voles &c.] Id eſt, *utrum advoles ad me.* Locus eſt aliquanto obſcurior & fortaſſe mendoſius. ſed poteſt tamen ſententia aliqua ex eo elici. *Lambinus.*

Vtrum voles, ut dixerimus.] Id eſt, *advoles huc ad nos.* ſic lego ex MS. *F. Junius.*

9. *Neque laborant, quod mea conſcientia copiarum noſtrarum &c.*] Laudo P. Manutium, qui à loco deſperato manus abſtinet. Lambinus conjectando, tantum prodit ignorantiam artis. Pall. nihil variant. *Grut.*

Nec laborant quod mea conſcientia copiarum noſtrarum.] Locus corruptus. in quo me libri veteres, quod ad has duas voces, *neque laborant*, attinet, nihil adjuverunt. Sed quod ad ea quæ deinceps ſequuntur, in uno reperi, *conſentia*, pro, *conſcientia*, quod eſt in vulgatis. unde feci, *conſenſio.* Videtur autem ſic poſſe totus hic locus emendari, ſaltem ut aliqua ex eo probabilis ſententia eliciatur; alioqui nihil affirmo, cum ſola conjectura nitar. Sic igitur legere fortaſſe licet, *noſtri inimici laborant, quod mira eſt conſenſio copiarum* &c. *Lambinus.*

Neque laborant, quod mea conſcientia, copiarum.] Sic MS. ut & vulgati, niſi quod in nonnullis eſt, *nec.* nihil mutandum cenſeo. Omnes, inquit, privatim, publice, optimates, plebeji, omni modo, tempore & loco ſtudia ſua in

mea conſcientia copiarum noſtrarum, quòd Cæſaris quòd Pompeji gratiam tenemus. hæc me, ut confidam faciunt. ſin aliquis erumpet amentis hominis furor, omnia ſunt ad eum frangendum expedita. Hæc ita ſentio, judico, ad te exploratè ſcribo. dubitare te, non aſſentatoriè ſed fraternè veto. Quare ſuavitatis equidem noſtræ fruendæ cauſa, cuperem te ad id tempus venire quod dixeras: [10] ſed illud malo tamen quod putas, [11] magis etiam illa (etenim magis æſtimo me) ἀμφιλαφίαν illam tuam & exſpectationem debitorum tuorum. Illud quidem ſic habeto, nihil nobis expeditis, ſi valebimus, fore fortunatius. parva ſunt quæ deſunt, noſtris quidem moribus, & ea ſunt ad explicandum expeditiſſima, modò valeamus. [12] Ambitus re-

in me ſignificant: immo vero minime dubitant ſic mihi ſpondere omnia, ut vel eas ipſas copias, quarum ſum conſcius, & quibus fretus abunde mihi confirmatus videor, gratiamque Cæſaris & Pompeji mea cauſa auſint contemnere. Hæc certa mens Tullii libro 1. ep. 13. & lib. 2. ep. 15. & 19. ad Atticum luculentiſſime confirmata. *F. Junius.*

10. *Sed malo tamen, quod putas; magis etiam illa (etenim magis æſtimo me) ἀμφιλαφίαν &c.*] Sic P. Manutius aliique. pater Aldus; *magis etiam, illa etiam magni æſtimo me ἀμφ.* quibus adhærent Pall. niſi quod quidam, *magna æſtimo*, unus *magnam æſtimo* ſec. etiam ac tert. à manu prima; *magnis etiam illa magna æſt.* Grut.

Sed illud malo tamen quod putas, magis etiam illa (etenim magis æſtimo me) ἀμφιλαφίαν.] Cum in his nullus omnino ſit ſenſus, accipe quod dat in margine Lambinus; *ſed illud malo tamen quod putas magis* eſſe è re tua. Etiam magni *æſtimo ἀμφιλαφίαν illam tuam* &c.

11. *Magis etiam illa*] nempe quæ poſt exprimuntur, *ἀμφιλαφίαν* &c. ſequentia vero, *etenim magis æſtimo me* παρενθέτως adjecta, non ſunt obſcura, ſi vocem *me* in ſexto caſu acceperis, pro eo quod eſt, *res tuas antepono meis. F. Junius.*

12. *Ambitus redit immanis, nunquam fuit par: Quintanus &c.*] Locus hic in vulgatis codicibus valde corruptus & mancus legebatur; in noſtro multo minus depravatus eſt, etſi aliquid adhuc deſideretur: Nos enim quæ tuto potuimus caſtigavimus. Quæ enim in antiquis libris ſententiæ optime quadrantia invenimus, ſi recipimus, non videmur nobis in culpam incidere poſſe: quæ autem in illis quoque depravata deprehendimus, ut ab illis accepimus, aliis damus. Videtur hic eandem rem exponere, quam ad Atticum ſcripſit libro quarto his verbis, *ardet ambitus*, σῆμα δέ τοι ἐρέω, *fœnus ex triente Id. Quintilibus factum erat beſſibus.* ut fortaſſe notæ hæ, quas nos ut potuimus ex antiquo noſtro libro depinximus, *trientem* & *beſſem* ſignificent, hoc ſenſu, *Idib. Quint. fœnus fuit beſſibus ex triente.* Hanc tamen ſuſpicionem & conjecturam quandam eſſe fatemur, & ita accipi volumus. Notis autem quibusdam ſolitos eſſe majores illos ſignificare partes & nomina libræ, nemini dubium eſſe debet. Nam etiam Voluſius Metianus libellum de illis compoſuit, qui exſtat: nec omnino his diſſimi-

 les

redit immanis. [13] numquam fuit par. [14] Idib. Quint. fœnus fuit ZZ ex Z coitione Memmii, quam cum Domitio habuit Scaurus, unum vincere. Messala flaccet. non dico ὑπερβολικῶς: vel [15] H-S centies constituunt in prærogativa pronuntiare. Res ardet invidia. Tribunicii candidati compromiserunt, H-S quingenis in singulos apud M. Catonem depositis, petere ejus arbitratu, ut qui contrà fecisset, ab eo condemnaretur. quæ quidem comitia gratuita si fuerint, ut putantur, [16] plus unus Cato fuerit, quàm omnes leges omnesque judices.

EPI-

les quasdam habet, quibus hæc nomina significari docet; etsi verisimile est notas has vetustate & incuria librariorum corruptas, deformatas esse. In verbis etiam, quæ statim post has sunt, nonnihil mendi inest, ut propter hoc nos stellulam apposuerimus. Quod autem pro *Messala fleret*, scripsimus *Messala flaccet*, vetusto codici tribuimus, & concordat cum illo in epistola supra citata, *Messala languet. Victorius.*

13. *Nunquam fuit par illi: quin nec tantus fuit.*] Totus hic locus in MS. valde est depravatus, sed nos proxime scripturam illorum ita reponimus, *Ambitus redit immanis*, qui legibus de ambitu latis aliquantisper exulavisse videbatur. *nunquam fuit par illi* post omnem hominum memoriam; *quin nec tantus fuit* hoc ipso tempore, his competitoribus, *atque ex coitione Memmii est quam cum Domitio habet*, id est, a tempore istius coitionis & conventionis inter ipsos. *Scaurus enim vincere Messalam*, qui tamen ab illis vincitur. *Messala flaccet*, ut postea, *jacet* lib. 3. ep. 2. sed alludit Tullius ad Valeriorum cognomen, quorum plerique *Flacci* dicebantur, etsi hic *Niger. F. Junius.*

14. *Idibus Quint. fœnus fuit zz ex z &c.*] Variantes lectiones hujus loci, satis habui annotare ad oram codicis Gulielmiani. nam nimium discrepabant Pall. neque quidquam potui eruere boni. Consulatum Tullius libro IV. ad Atticum epist. 15. *Gron.* Quid de hac nota existimaverit pater, aperuit libro IV. observ. cap. 9. *Gronov.*

Id. Quint. fœnus fuit 2. 3. ex 3.] id est, *duobus trientibus ex triente.* credibilius autem est hanc notam 3. esse trientis, quam 2. ut recte conjicit Manutius. *Lambinus.* porro sic in marg. Lamb. *coitione Memmii, quam cum Cn. Domitio habuit. Scaurus* vult *vincere. Messala flaccet.*

15. *H-S, qua in singulos apud M. Catonem depositis.*] Nos pro *qua*, *quingenis* scripsimus, verbaque hæc omnia κατὰ παρένθεσιν dicta intelligimus, & ita notavimus. *Qua* autem pro Q. errore librariorum scriptum fuisse putavimus, per quam literam cum numerum quandoque significabant, cum prima ejus nominis esset pro Q. etiam, cum nomen significabat, sæpe in antiquis libris *Qua* legitur; hic autem in nostrô sane antiquiore Q. recte est. Eandem rem 4. librô ad Atticum his verbis explicat, *Tribunicii Candidati jurarunt se arbitrio Catonis petituros, apud eum H-S Quingena deposuerunt, ut qui a Catone damnatus esset id perderet, & competitoribus tribueretur.* Quam rem & Plinius in proæmio suorum librorum tangit, & Plutarchus in vita Catonis diligentissime enarrat, qui deposuisse dicit δραχμῶν ἕκαστον ἀργυρίου δέκα δύο ἥμισυ μυριάδας. *Victorius.* Posterior pars hujus Epistolæ misere corrupta est, & intellectu difficillima.

16. *Plus unus Cato fuerit.*] Vel *pluris*

EPISTOLA XVI.

MARCUS Q. FRATRI, S.

CUm à me litteras librarii manu acceperis, [1] ne paullum otii me habuisse judicato: cùm autem mea, nullum. sic enim habeto, numquam me à caussis & judiciis districtiorem fuisse, atque id anni tempore gravissimo & caloribus maximis. Sed hæc (quoniam tu ita præscribis) ferenda sunt: neque committendum ut aut spei aut cogitationi vestræ ego videar defuisse: præsertim cum, tametsi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem sim collecturus. Itaque, ut tibi placet, damus operam, ne cujus animum offendamus, atque ut etiam ab iis ipsis, qui nos cum Cæsare tam conjunctos dolent, diligamur: ab æquis verò aut etiam à propensis in hanc partem vehementer & colamur & amemur. De ambitu cùm atrocissimè ageretur in senatu multos dies, quòd ita erant progressi candidati consulares ut non esset ferendum, in senatu non fui. Statui ad nullam medicinam reipublicæ sine magno præsidio accedere. Quo die hæc scripsi, Drusus erat de prævaricatione à tribunis ærariis absolutus, in summa, quatuor sententiis cùm senatores & equites damnassent. Ego eodem die post meridiem Vatinium aderam defensu-

ris fuerit est legendum, quod & ars & usus scriptorum postulat: vel, *Plus potuerit.* quod posterius magis probo, Ciceronis ipsius auctoritate permotus, qui hac ipsa de re scribens ad Atticum lib. IIII, *Plus potuerit*, dixit. Hæc enim illius sunt. *Quæ si ut putantur, gratuita fuerint, plus unus Cato potuerit, quam omnes quidem Judices.* Malasp.

Plus unus Cato fuerit.] *Potuerit* legebat Faernus ex loco simili in Ep. 14. lib. 4. *Ursinus.*

1. *Ne paullum otii —— cum autem mea, nullum.*] Sensus est, *cum utor librarii manu, prorsus otii nihil habeo, ne paullum quidem otii habeo; cum vero mea manu scribo, habeo nonnihil otii,* ergo, *nullum* videtur esse contra sententiam scriptoris. Lamb. sic, nec *paullum otii me habuisse judicato, cum autem mea*, paullum. sed videndus, Manutius.

fenſurus. ea res facilis eſt. Comitia in menſem Sept. rejecta ſunt. Scauri judicium ſtatim exercebitur: cui nos non deerimus. συνδείπνυς Σοφοκλέυς, quamquam à te actam fabellam video eſſe feſtivè, nullo modo probavi. Venio nunc ad id, quod neſcio an primum eſſe debuerit. O jucundas mihi tuas de Britannia litteras! timebam Oceanum, timebam litus inſulæ. Reliqua non equidem contemno, ſed plus habent tamen ſpei quàm timoris, magisque ſum ſollicitus exſpectatione ea quàm metu. Te verò ὑπόθεσιν ſcribendi egregiam habere video. Quos tu ſitus, quas naturas rerum & locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipſum imperatorem habes? Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adjuvabo, & tibi verſus, quos rogas, [2] γλαῦκα εἰς Ἀθένας mittam. Sed heus tu, celari videor à te. quomodonam, mi frater, de noſtris verſibus Cæſar? nam primum librum ſe legiſſe ſcripſit ad me antè: & prima ſic, ut neget ſe ne Græca quidem meliora legiſſe. Reliqua ad quendam locum ῥαθυμώτερα. hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum, [3] num aut res eum aut χαρακτὴρ non delectat? nihil eſt quòd vereare. Ego enim ne pilo quidem minùs me amabo. Hac de re φιλαλήθως, &, ut ſoles, ſcribe fraternè.

2. Γλαῦκα εἰς Ἀθήνας mittam.] Vetus Edit. & Victor. *& tibi verſus quos rogas*, hoc eſt, Athenas noctuam *mittam*. ſupra Lamb. *Vatinium* eram *defenſurus*.

3. *Num aut res aut* χαρακτὴρ.] In meis. *Num aut res eum aut &c.* plenius. *Malaſp.*

Num aut res eum aut χαρακτὴρ *non delectat.*] In Longolii libro ita ſcriptum eſt, cum in aliis deſit vox, *eum*. Urſinus.

M.



M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD QUINTUM FRATREM

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA I.

MARCUS Q. FRATRI, S.

§. 1.  Go ex magnis caloribus (non enim meminimus majores) in Arpinati ſumma cum amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis. In Arcano a. d. IIII. idus Sept. fui. ibi [1] Meſſidium cum Philoxeno, aquamque, quam ii ducebant non longè à villa, bellè ſanè fluentem vidi, præſertim maxima ſiccitate: uberioremque aliquanto ſeſe collecturos eſſe dicebant. apud Herum recte

1. *Meſſidium.*] *Muſſidium* libentius ſcriberem, quod eſt familiæ nomen in Cæſaris numiſmatibus, quamvis Meſſidium a Meſſia gente ferri poſſit, *Urſinus*,

rectè erat. [2] In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. sed tamen nihil ei restabat præter balnearia, & ambulationem, & aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea quòd summam dignitatem pavimentata porticus habebat: [3] quod mihi nunc denique apparuit, posteaquam & ipsa tota patet, & columnæ politæ sunt. Totum in eo est (quod mihi erit curæ,) [4] tectorium ut concinnum sit. pavimenta rectè fieri videbantur. cameras quasdam non probavi, mutarique jussi. Quo loco in porticu te scribere ajunt ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat. neque enim satis loci esse videbatur atriolo: neque ferè solet nisi in his ædificiis fieri, in quibus est atrium majus: nec habere poterat adjuncta cubicula & ejusmodi membra. [5] nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni

2. *In Manliano offendi Diphilum &c.*] Pall. *Maniliano.* Gulielmius corrigebat, *In Antiano.* Gruter.

3. *Quod mihi denique.*] Nostri pene omnes, *mihi nunc denique.* Malasp.

4. *Tectorium ut concinnum sit.*] Pall. plerique, *concinium*, vel tale quid. quod cum simile quid in suis fortè invenisset P. Manutius, fecit inde *continuum sit.* Gruter.

Tectorium ut concinnum sit.] P. Manutius legit, *tectorium ut continuum sit.* & ita declarat, *ne rimas agat*, *ne vitium faciat.* ego *concinnum* malo. *Lambinus.*

5. *Nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni æstivum locum obtinebit.*] Ita Pal. pr. & olim cusi. nam sec. & tert. *honestatem testudinis*, *vel valde bonum æstivum &c.* quart. *honesta testudinis vel valde boni æst.* quod & de conjectura annotarat ad oram codicis sui Gulielmius. P. Manutius ingeniosè divinabat: *Nunc hoc vel in æstate testudinis, vel hieme æstivum locum obtinebit.* Lambini emendatio ridicula est. Turneb. lib. XXIV. cap. 39. Adversariorum, putabat locum redintegrari, si rescriberetur tantum, *boni æstivi.* Gruter.

Nunc hoc vel honestate testudinis vel valde boni æstivum locum obtinebit.] Hic locus præcipue debuit mendi nota signari. est enim corruptissimus. Nostri meliores codices nihil a vulgatis hic discrepant. Nonnulli pro *boni*, *bonum* legunt, nulla utilitate vetera vestigia licet corrupta magis contaminantes & pervertentes: etenim nihilominus vera sententia latet. *Victorius.*

Nunc hoc vel hieme, testudinis: vel æstate, valde boni æstivi locum obtinebit.] Hujus loci restitutio debetur Paulo Manutio nonnulla ex parte. Nam nos quoque aliquid attulimus: non quod quidquam addiderimus, sed quod eas voces, quas delebat Manutius, retinuerimus, & quod voces *hieme* & *æstate* aliis locis posuerimus, quod denique, *æstate* non, *in æstate* ediderimus, existimantes ex his duobus, *hieme æstate* factum esse, *honestate*, nominibus loco suo motis. unum mutavimus, nempe pro, *æstivum locum*, *æstivi locum* edendum curavimus. paulo post, quod *subjectum cubiculis* excudi jussimus, in hoc eum prorsus secuti sumus. licet tamen *cubiculo* legere, quemadmodum Malaspina testatur in codice Faerni scriptum esse. *Lambinus.*

boni æstivum locum obtinebit. tu tamen si aliter sentis, rescribe quàm primum. In balneariis, assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quòd ita erant posita, [6] ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, [7] esset subjectum cubiculis. subgrande cubiculum autem, & hibernum altum valde probavi, quòd & ampla erant, & loco posita ambulationis uno latere, eo quod est proximum balneariis. Columnas neque rectas neque è regione Diphilus collocarat. eas scilicet demolietur. aliquando perpendiculo & linea discet uti. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. curat enim diligentissimè Cæsius, qui tum mecum fuit.

§. 2. Ex eo loco rectà Vitularia via profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nuntiis Arpini [8] de Fufidio H-S CCCIↃↃↃ emeramus. Ego locum æstate umbrosiorem vidi numquam; permultis locis aquam profluentem, & eam uberem. Quid quæris? Jugera L. prati Cæsius irrigaturum facilè te arbitrabatur. Equidem hoc, quod meliùs intelligo, affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum [9] piscina & salientibus additis, palæstra [10] & silva viridicata.

6. *Ut eorum vaporarium ex quo ignis erumpit.*] Opinor totum hoc, *ex quo ignis erumpit*, glossema esse verbi *vaporarium*. Ursinus.

7. *Esset subjectum cubiculis.*] Ita MS. Turnebi, neque secus Pal. sec. nam ceteri *subjectum cubiculi.* ineptius adhuc retro vulgati, *sub tectum cubiculi.* Joseph. Scaliger ad Catullum emendat, *cubili suborunde.* idem antea delet, ceu spurium, *ex quo ignis erumpit.* Gruter.

Sub tectum cubiculi.] Omnes fere, *subjectum.* Faerninus etiam *Cubiculo.* Et videtur rectum. *Malasp.*

8. *De Fufidio H-S CCCC emeramus.*] Sic vulgati codices. Noster antiquus H-S CCCIↃↃↃ emeramus: quæ notæ centummillia significant, ut ait Priscianus non spernendus Grammaticus in libello de *ponderibus* & *mensuris*, seu quis magis alius verus ejus libelli auctor est: nam a doctissimis viris Prisciani esse non creditur. Nostri librarii pro CI. in medio ET scripserunt perversè. Quare locus emendandus est. sunt autem pluribus locis hæ notæ in libris Ciceronis, quas nos ex antiquis exemplaribus restituimus: sæpe tamen eadem negligentia usi nostri librarii virgulam illam vel lineam, quæ cum his apostrophis C. ponitur, per L. litteram expresserunt, omnino male, & contra veterum codicum auctoritatem, in quibus I semper scriptum est. *Victor.*

9. *Piscina & salientibus additis.*] In libro Leoniceni pro *additis* scriptum est, *aquis.* & paulo post *redimere* pro *retinere.* Ursinus.

10. *Et silva viridicata.*] Sic Pall. tres. nam pr. *vindicata.* Lambinus edidit *vindicata*, id est, *purgata & rebus alienis & supervacaneis liberata*, natum sub Tur-

cata. Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere. de eo quid videatur, ipse constitues. Calvus ajebat, aqua dempta, & ejus aquæ jure constituto, & servitute fundo illi imposita, tamen nos pretium servare posse, si vendere vellemus. Messidium mecum habui. is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat: sese autem mensum pedibus [11] ajebat passuum IVCIↃ. mihi plus visum est. sed præstabo, sumptum nusquam meliùs posse poni. Chilonem arcessieram Venafro. sed eo ipso die quattuor ejus conservos & discipulos Venafri cuniculus oppresserat. Idibus Sept. in Laterio fui. viam perspexi, quæ mihi ita placuit, ut opus publicum videretur esse, præter CL. pass. sum enim ipse mensus ab eo ponticulo, [12] qui est ad Furinæ, Satricum versus. eo loco pulvis, non glarea injecta est: & mutabitur: & ea viæ pars valde acclivis est. sed intellexi aliter duci non potuisse, præsertim cùm tu neque per Locustæ, neque per Varronis velles ducere. Veluinus ante suum fundum propè munierat. Locusta non attigerat: quem ego Romæ aggrediar, &, ut arbitror, commovebo: & simul M. Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum ejus ducenda rogabo. [13] Nicephorum villicum tuum sanè probavi: quæ-

Turnebi manu, cum offendisset in Memmiano *viridata*. videatur d. cap. 39. *Gruter.*

11. *Aiebat passuum* IV. CIↃ.] Placuit sic rescribere, cùm offendissem in Pall. aut *vidus* aut *judus*, loco numerorum illorum, vulgata nimis enormis *passuum* CCCC. CIↃ. *Idem.*

Pedibus aiebat CCCM.] Longe diversus numerus est pedum in nostro antiquo exemplari. Sic enim in illo legitur, *Passuum IIIbus.* ut *passuum III. millibus* putem legi debere. Quod autem paulo supra *resinere* in excusis libris legebatur, nos *retinere* una tantum mutata litera castigavimus. Quod verbum, si diligenter locus considerabitur, optime quadrare, ni fallor, judicabitur. Germani improbius & deteriore significatu *rescindere* emendarant. *Victorius.*

12. *Qui est ad Furina.*] *Forinæ* scribendum est, si veteris inscriptionis auctoritatem sequi velimus. *Ursinus.*

Qui est ad Forina.] Assentior Fulvio, hoc quidem in loco. Etsi aliud *Forina* aliud *Furina* est. *Furinam* enim, cui lucus, ædes, & Flamen Romæ, interpretatur *Eumenida* Tullius lib. 3. de Nat. D. a *furendo*. *Forinam* vero dixerunt illi *foricarum* Deam. Foricæ enim seu *ἀφεδρῶνες* publici pontibus imponuntur. *F. Junius.*

13. *Nicephorum villicum tuum.*] Editio

quæsivique ex eo, ecquid ei de illa ædificatiuncula Laterii, de qua mecum locutus es, mandavisses. tum is mihi respondit, se ipsum ejus operis [14] H-S XVI. conductorem fuisse: sed te postea multa addidisse ad opus, nihil ad pretium: itaque id se omisisse. Mihi hercule valde placet, te illa, ut constituebas, addere: quamquam ea villa, quæ nunc est [15] tamquam philosophia videtur esse, quæ objurget ceterarum villarum insaniam. Verumtamen illud additum delectabit. Topiarium laudavi: [16] ita omnia convestit hedera; quà basim villæ, quà intercolumnia ambulationis; [17] ut denique illi palliati topiariam facere videantur & hederam vendere. jam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius, nihil muscosius. Habes ferè de rebus rusticis. Urbanam expolitionem [18] urget ille quidem & Philotimus & Cincius: sed etiam ipse crebrò interviso: quod est facile factu. Quamobrem ea te cura liberatum volo.

§. 3. De Cicerone quòd me semper rogas, ignosco equidem tibi, sed tu quoque mihi velim ignoscas. Non enim concedo tibi, plus ut illum ames, quàm ipse amo. Atque utinam his diebus [19] in Arpinati, quod

tio vetus & Pall. plures *Nicephorum*, quod tantum non placebat Gulielmio. *Gruter.*

14 *H-S XVI. conductorem.*] Haud aliter editus à Victorio; & respondet Pal. pr. & quart. nam sec. ac ter. *operis* CCC XVI. *cond.* quomodo Aldus senior, nisi quod præmittat *numero* H-S. at filius publicavit, H-S X. ∞ *cond.* Lambinus H-S XVI CIↃ *cond.* Gruter.

H-S X. M.] Quod antea testatus sum, id nunc etiam confirmo, figuram hanc M. quæ vulgo hodie ἀντὶ τῆς χιλιάδος ponitur, in vetustis libris non reperiri. Quod spectat ad hunc locum, in nostris H-S XVI. superne ducta lineola scriptum est: quæ quid valeat nemo ignorat. *Malasp.*

15. *Tanquam philosophia videtur esse.*] *Philosopha* rectissime Faernus. & *convestivit* paulo post. *Ursinus.*

16. *Ita omnia convestit edera.*] Nostri omnes, *convestivit.* Malasp.

17. *Ut denique illi palliati topiariam facere videantur.*] Opinor designari Hermas Græcorum, & doctorum præcipue virorum, quorum imagines palliatæ erant in villis, ut ex eorum reliquiis, quæ supersunt, conjici potest. *Ursinus.*

18. *Urget ille quidem.*] Non nullis placet *illam.* & est cur placeat, nostri tamen omnes in vulgata consentiunt. *Malasp.*

19. *In Arpinati*] Antonianus & plerique *in Arpinate.* sed nihil laboramus, cum Priscianus libro VII, hujusmodi nomina, tam in I, quàm in E, ablativum

quod & ipse cupierat & ego non minùs, mecum fuisset. Quod ad Pomponiam: si tibi videtur, scribas velim, cùm aliquò exibimus, eat nobiscum puerumque ducat. clamores efficiam, si eum mecum habuero otiosum. nam Romæ respirandi non est locus. Id me scis anteà gratis tibi esse pollicitum; Quid nunc putas tanta abs te mihi mercede proposita? [20] Venio nunc ad tuas litteras, quas pluribus epistolis accepi, dum sum in Arpinati. nam mihi uno die tres sunt redditæ, & quidem, ut videbantur, eodem abs te datæ tempore: una pluribus verbis, in qua primum erat, quòd antiquior dies in tuis fuisset adscripta litteris, quàm in Cæsaris. [21] Id facit Oppius nonnumquam necessariò, ut cùm tabellarios constituerit mittere litterasque à nobis acceperit, aliqua re nova impediatur, & necessariò seriùs, quàm constituerat, mittat, neque nos datis jam epistolis diem commutari curemus. Scribis de Cæsaris summo in nos amore. hunc & tu fovebis & nos, quibuscumque poterimus, rebus augebimus. De Pompejo, & facio diligenter & faciam quod mones. Quòd tibi mea permissio mansionis tuæ grata est, id ego summo meo dolore & desiderio, tamen ex parte gaudeo. [22] In Hippodamis, &

tivum facere doceat, illis ex Cicerone exemplis adductis. Pro Vareno. *C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate.* In eodem. *In Præfectura Fulginate.* Idem pro Cluent. *Ex municipio Aletrinate.* Paulo infra tamen, *in Arpinati* scribitur. *Malasp.*

20. *Venio nunc ad tuas litteras, quas pluribus epistolis acceperam.*] Hoc est, ad ea quæ scripsisti. Constat enim *litterarum* nomen multo latius patere quam *epistolarum*, librosque & & orationes, & monumenta etiam significare. Idem in Bruto. *Hanc sententiam Varro pluribus atque illustrioribus litteris explicavit.* Quod valet, *libris.* Et ad Atticum libro XII. *Ipse me per litteras consolatus sum; quem librum ad te mittam.* Et ad eundem libro XIII. *His libris nova procemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Has litteras volo habeas.* Sed res est perspicua. *Idem.*

21. *Id facit Oppius &c.*] Habent istud quidem ultimæ editiones: sed vetustiores & MS. nostri præferunt *Appius*; credo, quod nomen istud vulgo notius altero. *Grut.*

22. *In Hippodamis & nonnullis.*] Rectissime. nam homines advocabat per Quintum Cæsar, quorum opera in provincia uteretur, ut exponunt sequentia: & in iis Quintus desiderabat Hippodamum, cujus in hac eadem epistola postea fit mentio. Plurali autem utitur ἐμφατικῶς, ut lib. 15. ep. 10. ad Attic. & alibi passim. Etsi quidam MS. habent, *in Oppidanis. F. Junius.*

& nonnullis aliis arcessendis, quid cogites, non intelligo. Nemo istorum est, quin abs te munus, fundi suburbani instar, exspectet. Trebatium verò meum [23] quod isto admisceas, nihil est. Ego illum ad Cæsarem misi; qui mihi jam satisfecit. si ipsi minùs, præstare nihil debeo: teque item ab eo vindico & libero. Quòd scribis te à Cæsare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. Balbum verò, qui est istius rei (quemadmodum scribis) adjutor, in oculis fero. Trebonium meum à te amari, teque ab illo, pergaudeo. De tribunatu quòd scribis, ego verò nominatim petivi Curtio; & mihi ipse Cæsar nominatim Curtio paratum esse rescripsit, meamque in rogando verecundiam objurgavit. Si cui prætereà petiero (id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet) facilè patiar mihi negari, quoniam illi, [24] qui sibi molesti sunt, sibi negari à me non facilè patiuntur. Ego Curtium (id quod ipsi dixi) non modò rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quòd litteris tuis studium illius in salutem nostram facilè perspexi. De Britannicis rebus cognovi ex tuis litteris nihil esse nec quòd metuamus, nec quòd gaudeamus. De publicis negotiis, quæ vis ad te Tironem scribere, negligentiùs ad te antè scribebam, quòd omnia, minima, maxima, ad Cæsarem mitti sciebam.

§. 4. Rescripsi epistolæ maximæ. Audi nunc de minuscula: in qua primum est de Clodii ad Cæsarem litteris, in quo Cæsaris consilium probo, quòd tibi amantissimè petenti veniam non dedit, uti ullum ad illam Furiam verbum rescriberet. Alterum est [25] de Calventi Marii oratione. quod scribis miror, tibi

23. *Quod isto admittas.*] id est, aditum ad Cæsarem honoresque a Cæsare adipiscendos præbeas. id enim olim sibi voluit *admittendi* verbum, a quo *admissio* & *admissionales* dicti. sic optime MS. & probo maxime, F. Junius, vulg. *admisceas.*

24. *Qui sibi molesti sunt.*] Lambinus *mihi*, sed invitis omnibus edd. & libris plutеariis. *Grut.*

25. *De Calventi Marii oratione.*] Nihil mutant MS. itaque non est quod Lam-

[26] tibi placere, me [27] ad eum rescribere, præsertim cùm illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes tamquam dictata perdiscant. Libros meos, quos exspectas, inchoavi: sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro & pro Plancio absolvi. Poema ad Cæsarem, [28] quod composueram, incidi. Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes jam sitiunt, siquid habebo spatii, scribam. Venio ad tertiam. Balbum quòd ais maturè Romam bene comitatum esse venturum, mecumque assiduè usque ad id. Majas futurum, id mihi pergratum perque jucundum erit. Quòd me in eadem epistola, sicut sæpe anteà, cohortaris ad ambitionem & ad laborem, faciam equidem. sed quando vivemus? Quarta epistola mihi reddita est Id. Sept. quam a. d. IIII. id. Sex. ex Britannia dederas. In ea nihil sanè erat novi præter Erigonam: quam si ab Oppio accepero, scribam ad te quid sentiam. nec dubito quin mihi placitura sit. Et, quod præterii, de eo quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Cæsarem: ego verò facilè patior ita Cæsarem existimare, illum quàm maximum fuisse plausum: & prorsus ita fuit: & tamen ille plausus, qui illi datur, quodammodò nobis videtur dari. Reddita est etiam mihi pervetus epistola, sed serò allata, in qua de æde Telluris & de porticu Catuli me admones. fit utrumque diligenter. ad Telluris quidem etiam tuam statuam locavi. Item de hortis quòd me admones, nec fui umquam valde cupidus, & nunc domus suppeditat mihi hortorum amoe-

Lambinus inclinet in *Calveni Matii. Grut.*

De Calventii Marii.] Legendum fortasse est, *de Calveni Matii oratione.* nam Matius *calvus* erat: in quo non semel lusit Cicero epist. ad Attic. *Lambinus.*

26. *Tibi placere me ad* eam *rescribere.*] Ita Faernus pro *ad eum*, ut est in aliis. *Ursinus.*

27. *Ad eum rescribere.*] Quidam, *ad eam* ut orationem intelligamus. Et est cur magis probem. *Malasp.*

28. *Quod composueram.*] Ant. & Faer. *Institueram.* ut inchoatum indicetur poëma, non absolutum. Sed quia non pauciores cum vulgata consentiunt, nihil statuo. *Idem.*

moenitatem. Romam cùm venissem a. d. XIII. kal. Octob. absolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum, id non [29] honestè vergit in tectum inferioris porticus. Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. De ejus eruditione quòd labores nihil est, quoniam ingenium ejus nosti: studium ego video. cetera ejus suscipio, ut me putem præstare debére.

§. 5. Gabinium tres adhuc factiones postulant: L. Lentulus, flaminis filius, qui jam de majestate postulavit: Ti. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius tribunus plebis cum L. Capitone. ad urbem accessit a. d. XII. kal. Octobr. nihil turpius, nec desertius. sed his judiciis nihil audeo [30] confidere. Quòd Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus. Pompejus à me valde contendit de reditu in gratiam, sed adhuc nihil profecit: nec, si ullam partem libertatis tenebo, proficiet. Tuas litteras vehementer exspecto. Quòd scribis te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. ejusmodi enim pactiones in ea coitione factæ sunt, quas posteà Memmius patefecit, ut nemo bonus interesse debuerit: & simul mihi committendum non fuit, ut his coitionibus interessem, quibus Messala excluderetur: cui quidem vehementer satisfacio rebus omnibus: ut arbitror, etiam Memmio. Domitio ipsi multa jam feci, quæ voluit, quæque à me petivit. Scaurum beneficio defensionis valde obligavi. adhuc erat valde incertum & quando comitia, & qui

29. *Honeste vergit in tectum inferioris porticus.*] Manuscripti *vertit* habent. quam vocem hic non improbo. paulo post, *sed his judiciis nihil audeo confidere*: iidem libri habent, *indiciis*. Nos receptam lectionem secuti sumus, nec tamen veterem supprimere voluimus; possunt nunc studiosi, si hanc magis probaverint, ipsi suo arbitrio restituere. *Victorius*; pro, *non honeste vergit*, omnes habent Editiones, *nunc honeste vergit*.

30. *Considere. Quod Cato non valebat, adhuc.*] Interpunctione mutata egregiè sic locum hunc restituebat Turnebus libro XXIV. cap. 39. Adversar. *Grut.*

qui consules futuri essent. Cùm hanc jam epistolam complicarem, tabellarii à vobis venerunt a. d. XI. kal. Sept. vicesimo die. O me sollicitum! quantum ego dolui in Cæsaris suavissimis litteris! [31] sed quo erant suaviores, eo majorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas venio litteras. Primùm tuam remansionem etiam atque etiam probo, præsertim cùm, ut scribis, cum Cæsare communicaris. Oppium miror quidquam cum Publilio: mihi enim non placuerat. Quod interiore epistola scribis me idib. Sept. Pompejo legatum iri, id ego non audivi, scripsique ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata de mea mansione ad Pompejum pertulisse, nec ad Oppium. [32] quo consilio? quamquam Oppium ego tenui, [33] quod priores [34] partes Bibuli erant. cum eo enim coram Cæsare egerat, ad Oppium scripserat. [35] Ego verò nullas δευτέρας φροντίδας habere possum in Cæsaris

31. *Sed quo erant suaviores &c.*] Lambinus intulit, *scilicet*; inconsideratè, corripiturque ea propter à Stewechio nostro commentariis ad Vegetium libro II. cap. 18. *Grut.*

Scilicet quo erant suaviores.] Sic edendum curavi. nam *sed* adversantis particula ad hunc locum non quadrabat, *scilicet* mire quadrat. Et *sed*, *seu*, *set* pro *scilicet* a librariis illis sæpe scriptum videmus. *Lambinus.*

32. *Quo consilio quicquam? Oppium ego tenui?*] Luculentus locus ex MS. *F. Junius.*

33. *Quod priores partes Bibuli erant.*] Habent istud Pall. omnes, & cusi usque ad Lambinum. is enim admisit conjectaneum P. Manutii *Vibullii*. non ausim mirari. *Grut.*

34. *Partes Bibuli erant.*] *Vibullii* restitui oportere, quod Paullus conjectura adductus fecit, veterum quoque librorum scriptura confirmatur, in quibus, si non plane *Vibullii*, persimile tamen quiddam inspici potest. Nam Antonianus *Bibullii* scriptum habet, ex *Vibullii* factum, sine dubio, litterarum V & B., ut tum quidem scribebant similitudine. Itaque non raro, in manuscriptis etiam melioribus, B, loco V, legi, ante nos alii notaverunt: nec minus etiam illud, I geminatum raro in his reperiri. Quare *Mai* pro Maji: & *Pompei* pro *Pompeji*, quemadmodum hic *Vibulli* pro *Vibullii* scriptum invenias. *Malasp.*

35. *Ego vero nullas δευτέρας φροντίδας &c.*] Etsi nos hic nihil mutavimus, non ingratum tamen fore putamus, si sententiam horum verborum aperuerimus Proverbium est δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι, quod pronuntiare solent qui se quod sententiam mutarint excusant. re enim à se melius & accuratius considerata, se cognovisse errorem perseverareque in illo noluisse ostendunt. Euripides in *Hippolyto Coronato* ex persona nutricis, quæ cum Phædræ amorem graviter increpuisset, postea re diligentius meliusque cogitata & animadversa, cùm ipsam intempestivæ severitatis pæniteret, se consilium mutasse dicit his verbis, νῦν δ' ἐννοοῦμαι φαῦλος οὖσα κἀν σοφοῖς. Αἱ δεύτεραι πῶς φροντίδες σοφώτεραι, operamque illi suam in eo amo-

faris rebus. ille mihi secundùm te & liberos nostros ita est, ut sit pænè par. videor id judicio facere. jam enim debeo: sed tamen amore sum incensus.

§. 6. Cùm scripsissem hæc infima, quæ sunt mea manu, venit ad nos Cicero tuus ad cenam, [36] cùm Pomponia foras cenaret. dedit mihi epistolam legendam tuam, quam paullo antè [37] acceperat, Aristophaneo modo, valde mehercule & suavem & gravem, qua sum admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi, qua jubes eum mihi esse affixum tamquam magistro. Quàm illum epistolæ illæ delectarunt? quàm me? Nihil puero illo suaviùs, nihil nostri amantius. Hæc inter cenam Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse. Annali litteræ tuæ pergratæ fuerunt, quòd & curares de se diligenter, & tamen

amore conficiendo pollicetur. Athenæus etiam libro 13. sex versus Euripidis ex *Cressis* (quæ Tragœdia periit) citat, quorum primus est idem qui in Hippolyto, *αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.* Quinetiam Cicero in XII. Philippica hoc proverbium interpretatur, *posteriores enim cogitationes, ut aiunt, sapientiores solent esse.* Quare cognoscere possumus, nihil aliud hic Ciceronem per hæc verba significare voluisse, nisi se, quod semel consilium ceperit de Cæsaris rebus, id perpetuo velle retinere, etiamsi non nimis sapienter fecisset, in integrumque restituere posset, nec enim ullas se habere in illis *posteriores cogitationes*, quamvis vulgato proverbio sapientiores haberi soleant. *Victorius.*

36. *Cum Pomponia foras cenaret.*] Antea erat *foris*; sed mutavit è fide MS. Victorius libro xv. Var. lect. cap. 5. neque aliter Pall. nostri. *Grut.* Certe in eo capite sic se gerit Victorius, ut & ex MSto suo id proferat, & ita tamen defendat, ut *cenare foris* non possit damnare, quin & Plauto usurpatum demonstret. Utinam venisset quoque illi in mentem Petronii locus cap. 10 *Qui ut foris cenares, poetam laudasti.* Utique Balliolensis retinet *foris*. Gron.

37. *Acceperat, Aristophaneo modo.*] Revocavit hanc scripturam ex membranis suis P. Victorius, qui consulatur d. cap. 5. sicque etiam reperi in Pal. pr. ac quarto. nam intermedii, *ab Aristophaneo meo.* vulgata, *acc. ab Aristophane meo.* Gruter.

Ab Aristophane modo.] Antonianus liber, *Aristophaneo modo.* sine ullo præpositionis vestigio. Et miror cur uni exemplari Manutius tantum tribuerit, ut & contra tot aliorum scripturam & suum ipsius judicium *ab Aristophane* retinuerit. Petrus Victorius in libro Variarum lectionum putat epistolam illam versiculis scriptam fuisse: cujusmodi nonnunquam Romani uti solerent, Aristophaneo modo, idque cognosci vel ex eo Ciceronis loco, qui est ad Atticum quodam loco talis. *Mummium fuisse ad Corinthum, pro certo habeo: sæpe enim hic Spurius, qui nuper est mortuus, epistolam mihi pronuntiabat, versiculis facetis, ad familiares missas a Corintho.* Malasp.

Quam paullo ante acceperat Aristophaneo modo.] *Ab Aristophane meo* emendatum est in margine libri, qui collatus est cum manuscripto. *Ursinus.*

men consilio severissimo juvares. P. Servilius pater, ex litteris, quas sibi à Cæsare missas esse dicebat, significat valde te sibi gratum fecisse, quòd de sua voluntate erga Cæsarem humanissimè diligentissimeque locutus esses. Cùm Romam ex Arpinati revertissem, dictum mihi est, Hippodamum ad te profectum esse. Non possum scribere me miratum esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse. jam enim diu cogitaveram, ex eo quod tu ad me scripseras, ut, si quid esset, quod ad te diligentiùs perferri vellem, illi darem: quòd mehercùlè hisce litteris, quas vulgò ad te mitto, nihil ferè scribo, quod si in alicujus manus inciderit, molestè ferendum sit. Minucio me, & Salvio, & Labeoni reservabam. [38] Labeo aut tardè proficiscetur, aut hîc manebit. [39] Hippodamus ne nunc quidem, quid velim, rogavit. T. Pinarius amabiles ad me de te litteras mittit: se maximè litteris, sermonibus, cenis denique tuis delectari. Is homo semper me delectavit: fraterque ejus mecum est multùm. quare, ut instituisti, complectere adolescentem.

§. 7. Quòd multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum, ideò multa conjecta sunt, aliud alio tempore, velut hoc. T. Anicius mihi sæpe jam dixit, sese tibi, suburbanum siquod invenisset, non dubitaturum esse emere. In ejus sermone ego utrumque soleo admirari, & te [40] de suburbano emendo, cùm ad illum scribas, non modò

38. *Labeo autem.*] In meis omnibus, *Labeo aut.* bona & sententia & dicendi ratione. Nam sequitur *aut* alterum. *Malasp.*

39. *Hippodamus ne nunc quidem quid velim, rogavit.*] Lambinus, *ne, numquid vellem, quidem rogavit*: sed non adsentiuntur MS. nostri. Gulielmius divinabat, *ne me quidem &c.* ingeniosè quidem, si non verè. *Grut.*

40. *De suburbano emendo.*] Sequentia verba, *cum ad illum scribas*, in hunc locum temere ab imprudente librario ex sequente versu infarta sunt. *F. Junius.*

dò ad me non ſcribere, ſed etiam aliam in ſententiam ſcribere; &c, cùm ad illum ſcribas, [41] nihil te recordari de ſe, de epiſtolis illis, quas in Tuſculano ejus tu mihi oſtendiſti, nihil de præceptis Epicharmi, [42] γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται; totum denique vultum, animum, ſermonem ejus: [43] quemadmodum conjicio, quaſi. Sed hæc tu videris. De ſuburbano, cura ut ſciam, quid velis: & ſimul nequid ille turbet, vide. Quid præterea? Quid? etiam. Gabinius a. d. IIII. kal. Octobr. noctu in urbem introivit: & hodie hora VIII. cùm edicto C. Alfii de majeſtate eum adeſſe oporteret, concurſu magno & odio univerſi populi pænè afflictus eſt. nihil illo turpius. proximus tamen eſt Piſo. itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in ſecundum librorum meorum includere, dicentem Apollinem [44] in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus eſſet: quorum alter exercitum perdidiſſet, alter vendidiſſet. Ex Britannia Cæſar ad me kal. Sept. dedit litteras: quas ego accepi a. d. IIII. kalen. Octobr. ſatis commodas de Britannicis

41. *Nihil te recordari de ſe de epiſtolis illis quas in Tuſculano ejus*] Omnes quos vidi manuſcripti codices hic *epulis* retinent, quos nos ſecuti ſumus, nec tamen ita damnamus receptam lectionem, ut prorſus eam deleamus repudiemusque. *Victorius.*

Nihil te recordari de ſe] Aut legendum, *de te*, aut hoc totum, *de te*, ſeu, *de ſe*, delendum. *de te*, autem, id eſt, de tuo facto, qui mihi ejus literas oſtendiſti, & de tua oratione, quam mecum de illo habuiſti. omnino ego malim deleri. *Lambinus.*

Nihil te recordari poſſ.] Sic repono ex conjectura, & eſt ἐμφατικώτερον. miror te nec recordari iſta nec poſſe recordari, tanquam ſi homo iſte tibi mentem & facultatem ipſam mentis ademerit *F. Junius.*

42. Γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται.] *Vide quo modo alium tractaverit.* Cautum præceptum atque utile, adeo ut illud etiam Iſocrates ſive Rhetor ille magnus, cujus domum Cicero dicendi officinam fuiſſe tradit, ſive quis alius fuit, in ſuam Paræneſin ad Demonicum tranſtulerit, his verbis. *μηδένα φίλον ποιοῦ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις φίλοις.* Malaſp.

43. *Quemadmodum conjicio, quaſi* ignoto.] Sub. *credis.* nam ni ita eſſet, ei non crederes, cum talis ſit. vocem, *ignoto*, repertam in uno codice manuſcripto, quamvis non in contextu, eadem manu tamen ſcriptam, reſtitui ut Ciceronis. quod ſi eſt aliena, & ab aliquo erudito olim excogitata & ſubdita, videtur tamen valde huic loco convenire. *Lambinus.* paulo poſt, Lamb. mallet, *in ſecundum meorum librorum* inducere.

44. *In Conſilio Deorum.*] *Concilium* deorum & alibi ſolet dicere, & hic mihi magis probaretur. *Malaſp.*

cis rebus: quibus, ne admirer quòd à te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, cùm ad mare accesserit. Ad eas ego ei litteras nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter ejus luctum. Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

EPISTOLA II.

MARCUS Q. FRATRI, S.

AD. VI. id. Octob. Salvius Ostiam vesperi navi profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo mitti volueras. Eodem die Gabinium ad populum luculentè calefecerat Memmius, sic ut Calidio verbum facere pro eo non licuerit. Postridie autem ejus diei, qui erat tum futurus, cùm hæc scribebam ante lucem, apud Catonem erat divinatio in Gabinium futura inter Memmium, & Ti. Neronem, & C. & L. Antonios, M. F. Putabamus fore, ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira contentio. Quid quæris? probè premitur, nisi noster Pompejus, diis hominibusque invitis, negotium everterit. Cognosce nunc hominis audaciam, & aliquid in republica perdita delectare. Cum Gabinius, quacumque veniebat,

1. *Ad VI. id. Oct. Saluius Ostiam vesperi navi profectus &c.*] Ita veteres & recentes libri omnes *Ostiam*. Carisius tamen lib. I. inter eas urbes *Ostiam* commemorat, quæ plurali numero enuntiantur. *Nomina* (inquit) *fluminum & montium & civitatum semper singularia sunt, nisi quæ natura pluraliter enuntiantur*: ut Athenæ, Thebæ, Mycenæ, Baiæ, Cumæ, Puteoli, Ostia, Brixiæ, Abellæ, Argi. Idem Diomedes ex Phoca. Ita enim. *Item urbium, nisi quæ natura pluraliter efferuntur*, ut Athenæ, Thebæ, Cumæ, Mycenæ, Gravicæ, Crustumiæ, Ricolæ, Carpi, Puteoli, Ostia. Quod secutus Dio videtur lib. XXXVI, cum de piratis loqueretur, qui non modo transmarinas urbes sed Italiæ quoque invasissent ac diripuissent. sic enim ibi. Καὶ ἐς αὐτὰ τὰ ὤστια ἐσέπλεον. Itaque dubitarem ne mendum esset in verbis Ciceronis, nisi Græcos itidem vidissem *Ostiam* singulari numero femineoque genere pronuntiasse. Dionysius enim Halicar. in primo libro historiarum sic suis verbis, ἀπὸ μὲν τῆς βορείων μερῶν ὁ Τίβερις, ὠστίας πόλεως πλησίον ἐκδιδοὺς. Malasp.

bat, triumphum se postulare dixisset, [2] subitoque bonus imperator noctu [3] in urbem, hostium planè, invasisset, [4] in senatum se non committebat. Interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat [5] hostium numerum & militum renuntiare, [6] in re hæsit, summa infrequentia. cùm vellet exire, à consulibus retentus est: introducti publicani. [7] Homo undique actus, cùm à me maximè vulneraretur, non tulit, & me trementi voce exsulem appellavit. Hic ô dii! nihil unquam honorificentius nobis accidit. consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic ut ad corpus ejus accederet: pari clamore atque impetu publicani. Quid quæris? omnes, tamquam si tu esses, ita fuerunt. Ni-

2. *Subitoque bonus imperator noctu urbem hostium plane* &c.] P. Victorius Var. Lectionum libro 5. legendum censet, *noctu urbem*, *noctu plane* &c. Ego sequor libros omnes & vulgatos & Manuscriptos. Arbitror tamen sic esse a Cicerone scriptum, & sic legendum, *noctu urbem hostium*, *plane hostium invasisset*: *Lambinus.*

3. *In urbem, hostium planè, invasisset.*] Petrus Victorius emendandum putabat, *in urbem*; *noctu planè invasisset.* lib. IV. Var. lect. cap. 23. quem refellit Robertus Titius lib. VI. Controvers. cap. 18. haud probem tamen explicationem ejus, adhæserimque Manutianæ. *Grut.*

4. *In Senatum se non committebat.*] Non modo enim noctu urbem ingressus est, sed scelerum suorum conscientia perterritus decimum quoque diem domi se continuit, nec in conspectum prodire ausus est. Emendandus est locus apud Dionem libro XXXIX, proque ἔξω τῆς ἰταλίας, ἔξω τῆς οἰκίας reponendum est. Hæc enim eadem fere ibi narrantur, his verbis. Καὶ ἔτι καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς καὶ κακῶς ὑπὸ τοῦ συνειδότος διετέθη, ὥς τε καὶ χρόνιος ἐς τὴν ἰταλίαν ἀφικέσθαι, καὶ νυκτὸς ἐς τὴν πόλιν ἐσκομισθῆναι, ἔξω τε τῆς ἰταλίας (hic existimamus τῆς οἰκίας scribendum) συχναῖς πάνυ ἡμέραις μηδ' τολμῆσαι φανῆναι. Malasp.

5. *Hostium numerum & militum.*] Manutius testatur codicem Bessarionis habere, *Hostiarum numerum.* *Lambinus.*

6. *In re hæsit, summa infrequentia.*] Victorius tentabat, *irrepsit summa infreq.* Lipsius autem malebat, *mirè hæsit summa in frequentia.* videatur libro IV. Antiq. lect. cap. 13. illud *mirè* placuit item Gulielmio, sed nihil præterea mutatum ibat. *Grut.*

In re hæsit summa infrequentia.] Germani *inrepsit* castigarunt, quam lectionem non contemno. Quia tamen in nullis inveni manu scriptis, eam reponere non sum ausus. satis admonere lectorem visum est. Quod autem paulo post legebatur: *Homo undique a tuis* nullo sensu, castigavimus, *Homo undique actus.* quam lectionem verba quæ sequuntur non parum confirmant. Cum omnes hominem, inquit, agerent & truderent, & cum ego eum maxime vulnerarem, sustinere non potuit. quia gravioribus & acerbioribus verbis, quam ceteri, in illum usus erat, dicit se illum vulnerasse, cum illi tantum proturbarent & de recto gradu dejicerent. *Victorius.* Lambino placet, *irrepsit*, pro, *in re hæsit.*

7. *Homo undique atterritus.*] id est, *admodum territus.* sic MS. F. *Junius.*

Nihil hominum ſermone foris clarius. Ego tamen teneo ab accuſando vix mehercule: ſed tamen teneo, [8] vel quòd mihi cum Pompejo pugnare (ſatis eſt quod inſtat de Milone) vel quòd judices nullos habemus, ἀπότευγμα formido. addo etiam malevolentiam hominum: & timeo, ne illi, me accuſante, aliquid accidat: nec deſpero rem & ſine me & nonnihil per me confici poſſe. De ambitu poſtulati ſunt omnes, qui conſulatum petunt: à Memmio, Domitius: [9] à Q. Curtio, bono & erudito adoleſcente, Memmius: à Q. Pompejo, Meſſala: a Triario, Scaurus. [10] Magno res in motu eſt: propterea quòd aut hominum aut legum interitus oſtenditur. Opera datur, ut judicia ne fiant. Res videtur ſpectare ad interregnum. Conſules comitia habere cupiunt: rei nolunt, & maximè Memmius, quòd Cæſaris adventu ſperat ſe futurum conſulem. ſed mirum in modum jacet. Domitius cum Meſſala certus eſſe videbatur. Scaurus refrixerat. Appius ſine lege Curiata confirmat ſe Lentulo noſtro ſucceſſurum: qui quidem mirificus illo die (quod pænè præterii) fuit in Gabinium: accuſavit majeſtatis, nomina data, cùm ille verbum nullum. Habes forenſia. Domi rectè, & ipſa domus à redemptoribus tractatur non indiligenter. Vale.

EPI-

8. *Vel quod nolo &c. vel quod judices.*] Pal. ſec. ac tert. habent item illud Beſſarionis, *id quod nolo &c. id quod judices*, quod placuit Manutio; mihi verò diſplicet. *Gru.*

9. *A. Q. Curtio.*] Pal. pr. & quart. item unus quem contulit Wouverius noſter, *à Q. Acutio.* perpendant otioſiores. nam & allegat Manutius, qui eandem ſervet lectionem, librum veterem. *Idem.*

10. *Magno res in motu eſt.*] Vetuſta editio & Pall. *Magna res*, nihilo pejus. *Gruter.* Supra 1, 3. *Itaque magnæ mihi res jam moveri videbantur.* Gronov.

Magna res in motu eſt.] Magis probarem *Magna*, licet nullus a vulgata liber diſſentiat. ſic infra. *Commovit me, & eo magis, quod maximos motus noſtræ civitatis attingere non poteram.* Malaſp.

Magna res: in motu eſt.] Interjectu diſtinctionis hunc locum a mutatione vindicamus. *F. Junius.*

EPISTOLA III.

MARCUS Q. FRATRI, S.

OCcupationum mearum tibi ſignum ſit librarii manus. Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo. ita quidquid conficio aut cogito, in ambulationis ferè tempus confero. negotia noſtra ſic ſe habent. Domeſtica verò, ut volumus. Valent pueri, ſtudioſè diſcunt, diligenter docentur, & nos & inter ſe amant. Expolitiones utriusque noſtrûm ſunt in manibus: [1] ſed tua ad perfectum jam res ruſtica Arcani & Laterii. Præterea [2] de aqua & via nihil prætermiſi quadam epiſtola, quin enucleatè ad te perſcriberem. ſed me illa cura ſollicitat angitque vehementer, quòd dierum jam amplius L intervallo nihil à te, nihil à Cæſare, nihil ex iſtis locis, non modò litterarum ſed ne rumoris quidem affluxit. Me autem jam & mare iſtuc & terra ſollicitat: neque deſino (ut fit in amore) ea, quæ minimè volo, cogitare. Quare non equidem jam te rogo, ut ad me de te, de rebus iſtis ſcribas (numquam enim, cùm potes, prætermittis) ſed hoc te ſcire volo, nihil ferè umquam me ſic exſpectaſſe, ut, cùm hæc ſcribebam, litteras tuas. Nunc cognoſce ea, quæ ſunt in republica. Comitiorum quotidie ſinguli dies tolluntur ob-

1. *Sed tua ad perfectum jam res ruſtica Arcani & Laterii.*] Haud aliter quoque Pall. quatuor. P. Manutius hariolabatur: *perfectum. jam res ruſticas &c.* ut pendeant à verbo *perſcriberem*. Lambinus, audacius fecit, intulitque in contextum; *ſed tua pene ad tectum jam perducta res eſt ruſtica.* unde autem iſtud deſumpſerit, plane tacet; tantum indicat, ſecutum ſe antiqua veteris ſcripturæ veſtigia. *Gruter.*

Sed tua pane ad tectum jam perducta res eſt ruſtica.] Sic reſtitui antiqua veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus. *Lambinus.*

Tua ad perfectum jam res ruſtica Arcani] Id eſt, *quaſi perfecta & abſoluta.* Phraſis eſt tectonica certo conſilio a Cicerone ſervata, & illi medicorum perſimilis, *ad tertias*, *ad quartas* &c. in tanto manuſcript. conſenſu nihil mutandum cenſeo. *F. Junius.*

2. *De aqua & via.*] Victorianæ editiones *de aqua de via*, quod confirmat Balliolenſis. *Grenov.*

obnuntiationibus, magna voluntate bonorum omnium: tanta invidia ſunt conſules propter ſuſpicionem pactorum à candidatis præmiorum. Candidati conſulares quattuor, omnes rei, cauſæ ſunt difficiles: ſed enitemur ut Meſſala noſter ſalvus ſit: quod eſt etiam cum reliquorum ſalute conjunctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente privigno Memmio, fratre Cæcilio Sullæ filio. Contra dixit L. Torquatus, omnibusque libentibus non obtinuit. [3] Quæris, quid fiat de Gabinio? ſciemus de majeſtate triduo: quo quidem in judicio odio premitur omnium generum: maximè teſtibus cæditur: accuſatoribus frigidiſſimis utitur: conſilium varium: quæſitor gravis & firmus Alfius? Pompejus vehemens in judicibus rogandis. Quid futurum ſit neſcio: locum tamen illi in civitate non video: animum præbeo ad illius perniciem moderatum, ad rerum eventum leniſſimum. Habes ferè de omnibus rebus. Unum illud addam. Cicero tuus noſterque [4] ſummo ſtudio eſt Pæonii ſui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati & boni: ſed noſtrum inſtituendi genus eſſe paullo eruditius & θετικώτερον, non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter, atque illam diſciplinam volo, & ipſe puer magis illo [5] declamatorio genere duci & delectari videtur. in quo quoniam ipſi quoque fuimus, patiamur illum ire noſtris itineribus: eodem enim perventurum eſſe confidimus. ſed tamen [6] ſi nobiſcum eum rus aliquò eduxerimus, in hanc noſtram rationem conſuetudinemque inducemus. Magna

3. *Quaris quid fiat de Gabinio? ſciemus.*] P. Manutius & Lambinus publicarunt tantum, *Quaris quid fiet. ſciemus.* ſed alterum illud erat in ceteris editionibus, præferuntque Pall. omnes, niſi quod pr. interpungat, *Quaris quid fiat. de Gabinio ſciemus &c.* Grut.

4. *Summo ſtudio eſt Paonii ſui rhetoris.*] Lambinus in margine, *ſummo ſtudio* inſtituitur *Paonii rhetoris, hominis* &c.

5. *Declamatorio genere*] Victor. Edit.

6. *Si nobiſcum eum rus aliquo eduxerimus.*] Vide num rectius ſit, *ſi nobiſcum eum* rurſus *aliquo eduxerimus.* Urſinus.

gna enim nobis à te proposita merces est, quam certè nostra culpa numquam minùs assequemur. Quibus in locis & qua spe hiematurus sis, ad me quàm diligentissimè scribas velim. Vale.

EPISTOLA IV.

MARCUS Q. FRATRI, S.

GAbinius absolutus est. omnino nihil accusatore Lentulo, subscriptoribusque ejus infantius: nihil illo consilio sordidius. sed tamen nisi incredibilis contentio, & preces Pompeji, dictaturæ etiam rumor plenus timoris fuisset, ipsi Lentulo non respondisset, qui tum illo accusatore, illoque consilio sententiis [1] condemnatus sit XXXII, cùm LXX tulissent. Est omnino tam gravi fama hoc judicium, ut videatur reliquis judiciis periturus, & maximè de pecuniis repetundis Sed vides nullam esse rempublicam, nullum senatum, nulla judicia, nullam in nullo nostrûm dignitatem. Quid plura de judicibus? duo prætorii sederunt, Domitius Calvinus: is apertè absolvit, ut omnes viderent: & Cato: [2] is diruptis tabellis de circulo

1. *Condemnatus sit* XXXII.] Hoc maluit, ut est lib. IV. Epist. ad Atticum 16, P. Manutius. Pall. tamen & editi prius XXII. *Grut.*

2. *Diruptis tabellis.*] *Diribitis* emendat Gruchius, *diremptis* Sigonius, aliudque *dirimere*, aliud *diribere* significare contendit: *Dirimi* enim, hoc est, *dinumerari lata suffragia*: *Diribi*, hoc est, *distribui ferenda*. Id quod maxime ex Lucano probat de simulatis Cæsaris suffragiis ita lib. V. canente.

Fingit solennia campus,
Et non admissa dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna.

Et hercule in oratione pro Plancio, *diremptio* legitur in impressis & manuscriptis libris, tametsi Gruchius *diribitis*, conetur emendare. Ita enim in illa. *Nam si quotiescunque præteritus erit is, qui non debuerit præteriri, totiens opus erit eum qui factus erit, condemnari; nihil jam est quòd populo supplicetur: nihil quòd* diremptio, *nihil quòd supplicatio magistratuum, renuntiatio suffragiorum expectetur.* Hi duo loci multum apud me valent; eoque magis, quod in Lucano de modo dubitari non potest, quasi *diribit* legi debeat: cum ii versus a Prisciano ibi adducantur, ubi de verbo *dirimo*, mentionem facit. *Malasp.*

Is diribitis tabellis.] Sic Manutius & Gruchius. Sigonius, *diremptis tabellis*, quod nunc minus probo. *Lambinus.* Ma-

culo se subduxit, & Pompejo primus nuntiavit. [3] Ajunt nonnulli, Sallustius item, me oportuisse accusare. Iis ego judicibus committerem? Quid essem, si me agente esset elapsus? Sed me alia moverunt. Non putasset sibi Pompejus de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen: in urbem intrasset: ad inimicitias res venisset, [4] cum Æsernino Samnite Pacidianus comparatus viderer, auriculam fortasse mordicus abstulisset, cum Clodio quidem certè rediisset in gratiam. Ego verò meum consilium (si præsertim tu non improbas) vehementer approbo. Ille, cùm à me singularibus meis studiis ornatus esset; cumque ego illi nihil deberem, ille mihi omnia, tamen in republica me à se dissentientem non tulit (nihil dicam gravius) & minùs potens eo tempore, quid in me florentem posset, ostendit: nunc cùm ego ne curem quidem multum posse, Res quidem publica certè nihil possit, unus ille omnia possit, cum illo ipso contenderem? sic enim faciendum fuisset. Non existimo te putare id mihi suscipiendum fuisse. [5] Alterutrum, inquit idem Sallustius, defendisses, idque Pompejo con-

Manutius in prima Editione suanim Notarum prætulerat, *diribitis*, sed in altera, quæ (ut id obiter moneam) auctior est, quamque nos damus diligenter & accurate cum priore collatam, dicit se malle, *diremptis*. ergo cum mutasset sententiam, delevit etiam priorem notam, substituta altera; quam, si placet, leges. equidem *diremptis* veram lectionem puto, licet minus probet Lambinus.

Dreptis tabellis.] Sic lego ex interpolato MS. innuit enim Tullius redemptos istos Judices summo studio tabellas ad se rapuisse, ut reum quam primum absolverent, quod animadvertit Cato. *F. Junius.*

3. *Ajunt nonnulli, Sallustius item.*] Victor. *nonnulli, ut Sallustius, me oportuisse*; & idem, *in urbem introisset*, pro, *intrasset.* & , *Pacidejanus.* Lamb. *Placidejanus.*

4. *Cum Æsernino samnite Placidejanus.*] Vel, *Placidianus.* Simile est *παροιμιῶδες* ex Lucilio, quo Tullius utitur lib. de opt. gen. Orat. & Tuscul. Q. 4 & Horatius lib. 2. Sat. 7. Luciliani versus hi sunt ex Nonio,

— *Æserninus flacco fuit ore*
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque,
Cum Placidejano componitur, optimu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

De hoc autem argumento plura adnotavimus ad lib. 2. epist. 17. ad Attic. *F. Junius.*

5. *Alterum igitur, inquit idem.*] Ita repono ex conjectura, *defendisses*, inquit, Gabinium, si accusare noluisti. *F. Junius.* Lambinus mallet, *Alterutrum aut accusasses aut defendisses.*

contendenti dedisses. etenim vehementer orabat. lepidum amicum Sallustium, qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse, aut infamiam sempiternam. Ego verò hac mediocritate delector: ac mihi illud jucundum est, quòd cùm testimonium secundùm fidem & religionem gravissimè dixissem, reus dixit, si in civitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum: neque me quidquam interrogavit. De versibus quos tibi à me scribi vis, deest mihi quidem opera, quæ non modò tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνθουσιασμὸς. non enim sumus omnino sine cura venientis anni: etsi sumus sine timore. Simul & illud (sine ulla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo quàm mihi. De bibliotheca tua Græca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim ista confici, præsertim cùm ad meum quoque usum spectent. Sed ego, mihi ipsi ista per quem agam, non habeo. neque enim venalia sunt, quæ quidem placeant, & confici nisi per hominem & peritum & diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar. De fisco quid egerit Scipio, quæram. quod videbitur rectum esse curabo. De Ascanione, tu verò, quod voles, facies: me nihil interpono. De suburbano quòd non properas, laudo: [6] ut tu habeas, hortor. Hæc scripsi a. d. IX. kalend. Novem. quo die ludi committebantur, in Tusculanum proficiscens, ducensque mecum Ciceronem meum in ludum discendi, non lusionis. ea re non longiùs, quàm vellem, quòd Pomptino ad triumphum a. d. III. non. Novemb. volebam adesse. etenim erit nescio quid negotioli. Nam [7] Cato & Servilius prætores prohibituros se

6. *Ut tu habeas, hortor.*] Placet, *ut tamen habeas, hortor. Ursinus.*

7. *Cato & Servilius.*] Video hos notari ab fastorum auctoribus. Instituendi tamen causa oportet notare in Balliol. exstare *Cato & Calvillus.* Etiam mox

se minantur: nec, quid possint, scio. [8] Ille enim & Appium consulem secum habebit, & prætores, & tribunos plebis. sed minantur tamen: in primisque ἄρη πνέων Q. Scævola. Cura mi suavissime & carissime frater ut valeas.

EPISTOLA V.

MARCUS Q. FRATRI, S.

QUod quæris, quid de illis libris egerim, quos, cùm essem in Cumano, scribere institui: non cessavi, neque cesso: sed sæpe jam scribendi totum consilium rationemque mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis quæ fuerunt Tuditano & Aquilio consulibus, sermo est à me institutus Africani paullo antè mortem, & Lælii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis, & Lælii generorum Fannii & Scævolæ: sermo autem in novem & dies & libros distributus de optimo statu civitatis & de optimo cive: sanè texebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. hi li-

mox in fine *ut bene feliciterque valeas.* Gronov.

8. *Ille enim & Appium consulem secum habebit.*] Magno fuit auxilio Appius Pomptino in hoc suo negotio, seque ab eo magnum beneficium accepisse Pomptinus semper præ se tulit, gratoque animo operam ei suam postea præstitit, cum legatus Ciceronis in Cilicia illum a Dolabella reum factum audisset. Quod Cicero ad Appium his verbis scripsit, *Pomptinus qui a te tractatus est præstanti & singulari fide, cujus tui beneficii sum ego testis, præstat tibi memoriam benevolentiamque quam debet.* Non tamen parum negotii habuit Pomptinus, ut putabat Cicero. Valde enim ipsi tribuni plebis molesti fuerunt, ut sine magnis concertationibus & cædibus illi triumphum ducere non licuerit. Cur autem tantopere illi infensi essent, narrat Dion Histor. lib. 39. quem locum diligenter ab ipso explicatum, quo melius tota hæc res intelligatur, hic scribemus; κἀν τούτῳ καὶ ὁ Πομπτῖνος ὁ γάϊος τὰ ἐπινίκια τῶν γαλατῶν ἔπεμψεν, ἐς γὰρ ἐκεῖνο τοῦ χρόνου μηδενὸς οἱ διδόντος αὐτὰ ἔξω τοῦ πομηρίου διέμεινε, καὶ τότε δ' ἂν αὐτῶν ἥμαρτεν εἰ μὴ ὁ γάλβας ὁ Σερούϊος συνεστρατευμένος αὐτῷ κρύφα καὶ ὑπὸ τὴν ἕω στρατηγῶν τὴν ψῆφον τισὶν καίπερ οὐκ ἐξὸν ἐκ τῶν νόμων πρὶν πρώτην ὥραν γενέσθαι ἐν τῷ δήμῳ χρηματισθῆναι ἔδωκε, καὶ διὰ τοῦτο τῶν δημάρχων τινὲς ἀπολειφθέντες τῆς ἐκκλησίας· ἐν γοῦν τῇ πομπῇ πράγματα αὐτῷ παρέσχον ὥστε καὶ σφαγὰς συμβῆναι. Victorius.

libri cùm in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio: admonitus sum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de republica, præsertim cùm essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, & is, qui in maximis versatus in republica rebus essem. quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse. [1] oratorium sermonem in illis nostris libris, quòd esset de ratione dicendi, bellè à me removisse, ad eos tamen retulisse quos ipse vidissem: Aristotelem denique, quæ de republica & præstante viro scribat, ipsum loqui. Commovit me, & eo magis quòd maximos motus nostræ civitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores quàm illorum ætas qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc & id vitabo, & loquar ipse tecum, & tamen illa quæ institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim te existimaturum à me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos. Cæsaris amore, quem ad me perscripsit, unicè delector: promissis iis, quæ ostendit, non valde pendeo: nec honores sitio, nec desidero gloriam: magisque ejus voluntatis perpetuitatem, quàm promissorum exitum exspecto. vivo tamen in ea ambitione & labore, [2] tanquam id, quod non postulo, exspectem. Quòd me de faciendis versibus rogas, incredibile est mi frater quàm egeam tempore: nec sanè satis commoveor animo ad ea quæ vis canenda. [3] ὑποθέσεις verò ad ea, quæ ipse ego ne cogitando

1. *Oratorium sermonem.*] Victor. *Oratorium sermonem.* & post, *vivo tamen in ea ambitione & labore*, cùm *id quod non postulo exspectem*, pro *tanquam id.* Lambinus mallet, *a promissis iis, quæ ostendit, non valde pendeo.*

2. *Tanquam id quod non postulo exspectem.*] Pro *tanquam* vetus liber habet, *quam.* ex quo conjicio legendum esse, *quasi.* *Ursinus.*

3. *Ἀμπώτις ad ea vero quæ ipse ego ne cogitando quidem.*] Verbum Græcum, qualecunque est, conjungi debet cum sequenti clausula, simulque ordo trium primarum vocum restituendus, qui perversus erat: quod etiam cum nostro concordantes adnotarunt Germani in margine sui codicis.

do quidem consequor, tu qui omnes isto eloquendi & exprimendi genere superasti, à me petis? Facerem tamen ut possem, sed (quod te minimè fugit) opus est ad poema quadam animi alacritate, quam planè mihi tempora eripiunt. Abduco equidem me ab omni reipublicæ cura, dedoque litteris: sed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum volebam. Angor, mi suavissime frater, angor, nullam esse rempublicam, nulla judicia, nostrumque hoc tempus ætatis, quod in illa auctoritate Senatoria florere debebat, aut forensi labore jactari, aut domesticis litteris sustentari. Illud verò quod à puero adamaram,

„ 4 Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,

totum occidisse: inimicos à me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos: meum non modò animum, sed ne odium quidem esse liberum: unumque ex omnibus Cæsarem esse inventum, qui me tantum, quantum ego vellem, amaret, aut etiam (sicut alii putant) hunc unum esse qui vellet. Quorum tamen

dicis. Restat nunc de characteribus illis Græcis divinare, qui non mediocriter corrupti sunt. Nos ὑποθέσεις scripsimus, videntes ex verborum structura accusandi casu esse omnino debere dictionem illam, in nostroque antiquo libro formas eas literarum huic verbo viciniores & similiores invenientes, itaque desinentes ut casum illum multitudinis numero præ se ferant. Utitur autem sæpe hac Græca voce Cicero, eaque huic loco recte convenire videtur: vel enim ὑποθέσεις appellat *argumenta*, ex quibus Poetæ sua poemata conficiunt, vel quas intelligit de oratione quapiam Bruti cum Attico loquens. *Ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem ardentius* ὑποθέσεις. Ego quod potui præstiti; si quis qui nostram hanc opinionem non probarit, meliorem ipse certiorémque invenerit, me quoque habebit suæ sententiæ comitem & defensorem. *Victorius.* Lambinus, ὑποθέσεις *vero, & ea, quæ* ipse ego &c.

Αμπωτις *vera, & ea quæ*] sic MS. nisi quod pro *vero* reposui *vera.* Ἄμπωτις, ait Hesychius, ξηρασία ἐστὶ καὶ ἀνάπωσις· ὅταν ἀναδύωσι τὸ ὕδωρ καὶ πάλιν ἐπανέρχεται: motus, inquit, poetici fluunt & refluunt, non perpetuus est ἐνθουσιασμὸς sed ambulatorius. hæc germana lectio, sententia gravissima. *F. Junius.*

4. Αἰὲν ἀριστεύειν.] Victor. edit. πολλὸν ἀριστεύειν. & ad finem Epist. pro, *Crebrius*, *Cerbrius.* & pro, *adjurant*, habet, *adnuant.* Cæterum notandus locus est de *Latinis libris*, de quibus quo se verteret nesciebat, adeo mendose scribebantur & veniebant.

men nihil eſt ejuſmodi, ut ego me non multa conſolatione quotidie leniam: ſed illa erit conſolatio maxima, ſi unà erimus. nunc ad illa vel graviſſimum accedit, tui deſiderium. Gabinium ſi, ut Panſa putat oportuiſſe, defendiſſem, concidiſſem: qui illum oderunt (ii ſunt toti ordines) propter quem oderunt, meipſum odiſſe cœpiſſent. Tenui me, ut puto, egregiè, tantum ut facerem quantum omnes viderent. Et in omni ſumma, ut mones, valde me ad otium pacemque converto. De libris, Tyrannio eſt ceſſator: Chryſippo dicam: ſed res operoſa eſt & hominis perdiligentis. Sentio ipſe, qui in ſummo ſtudio nihil aſſequor. De Latinis verò quò me vertam neſcio: ita mendosè & ſcribuntur & veneunt: ſed tamen quod fieri poterit non negligam. Crebrius, ut antè ad te ſcripſi, Romæ eſt: [5] & qui omnia adjurant, debere tibi valde renuntiant. Ab ærario puto confectum eſſe, dum abſum.

EPISTOLA VI.

[a] MARCUS Q. FRATRI, S.

QUattuor tragœdias XVI. diebus abſolviſſe cùm ſcribas, tu quidquam ab alio mutuaris? [1] & κλέος quæris, cùm Electram & Troadem ſcripſeris? Cel-

5. *Et quidem* omnia *adjurat*, debere.] *Quidem* pro *qui* ex conjectura repono, cetera MS. hæc autem de Chryſippo dicuntur ſpondente omnem operam de libris curandis ad Bibliothecam. *F. Junius.*

1. *Et κλέος quæris.*] Eſt etiam nobis hæc dictio Græca non parum ſuſpecta, non enim ex antiquo codice manifeſto comprehenditur quomodo legenda ſit. alii aliis modis caſtigavérunt. nonnulli χρέος legunt. Germani, πλέον. nobis immutare non tutum viſum eſt: magis enim adhuc vulgatas lectiones improbare poſſumus, quam veram eſſe ullam ex ipſis confirmare, aut ipſi certiorem in medium adferre. hujuſcemodi ſunt veſtigia in manuſcriptis libris, ut qui πάθος legerent, non longe ab illis diſcederent (primum enim ejus dictionis elementum potius π Græco ſimile eſt quam K litteræ. Λ autem & A tam ſimiles ſunt, ut altera pro altera paſſim ſumatur) ſed quæ idonea ſententia eliceretur? Nos rem incertam relinquimus, cupimusque integriorem aliquem codicem in lucem veni-

Cessator esse noli: & illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam solùm esse dictum, verùm etiam ut bona nostra norimus. ² Sed & istas & Erigonam mihi velim mittas. ³ Habes duas epistolas proximas.

EPISTOLA VII.

MARCUS Q. FRATRI, S.

ROmæ & maximè Appia ad Martis, ¹ mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri,

„ ² Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
„ Ζεύς.

Ca-

venire, qui hanc litem dirimat. nam etiam minutæ quædam perversiones tantam caliginem offundunt, ut vix aut ne vix quidem veritas possit pulsis tenebris apparere. *Victorius.*

Et χρέ@ quaris.] sic MS. optime: quod antecedentia docent. *qui abundas, cur debeas? cur as alienum contrahas tibi?* F. Junius.

2. *Sed & istam, & Erigonam.*] Germani putantes de duabus Tragœdiis supra sermonem habitum esse, *istas* corrigunt. Nos ut in cunctis & excusis & manuscriptis invenimus, *istam* retinuimus. Potius suspicamur supra vitium esse in illis verbis, *Electram & Troada*: nec enim *Troas* proprium nomen unde appellata sit Tragœdia, & in nostro antiquiore non legimus *Troada* sed *Croda*, omnino depravate & deformiter, non nego; sed tamen ut suspicionem nostram augeat, de una tantum tragœdia intelligere, vocemque hanc cum antecedente copula conjunctam Electræ fortasse cognomen quoddam debere significare; nunc tamen nihil habemus quod certius proferamus, scripturam quam invenimus eam conservavimus. Quod tamen judicii habuerim de hac re, non potui silentio præterire, quod studio juvandi hos libros ea qua possumus ingenuitate facimus, petimusque ne in nobis culpetur. Confidimus autem eos qui hunc locum accuratius considerarint, non penitus hanc nostram suspicionem conjecturamque contempturos. *Victorius.*

3. *Habes duas.*] Corrige, *habes ad duas. Ursinus.*

1. *Mira proluvies.*] Sic Pall. tres. verum pr. *Mira luvies*, ut videatur exprimere voluisse *alluvies*, quod est in libris à Victorio editis. *Gruter.*

2. ἦμαρ ὀπωρινῷ.] Ad hunc modum *Lambinus*, ἤματ' ὀπωρινῷ (*cadit enim in absolutionem Gabinii*) ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεὺς, ὅτε δή γ' ἄνδρεσσι &c. Victor. edit. habet, *alluvies.*

3 Cadit enim in absolutionem Gabinii

„ Ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
„ Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
„ Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

Sed hæc non curare decrevi. Romam cùm venero, quæ perspexero, scribam ad te, & maximè de Dictatura: & ad Labienum, & ad Ligurium litteras dabo. 4 Hanc scripsi ante lucem, ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat perjucundus, quòd eum te ajebant, 5 cùm esses Sami, curasse faciendum. Vale mi suavissime & optime frater.

EPISTOLA VIII.

MARCUS Q. FRATRI, S.

SUperiori epistolæ quid respondeam, nihil est: quæ plena stomachi & querelarum est: quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse, qui adhuc non venerat. Delevit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tantùm te & moneo & rogo, ut in istis molestiis & laboribus & desideriis recor-

3. *Cadit enim in absolutionem Garrini.*] Sic jam excusi codices habebant. Nos cum de Gabinio manifesto agatur, *Gabini* emendavimus. Et tamen noster melior codex *Garirni* retinet, seu fuerit hoc librarii vitium, quod puto, seu aliquod illius obscurum cognomen; post quod nomen duos Homeri versus restituimus, qui a Germanis quoque inventi & suo loco repositi fuerant, qui superiores duos consequuntur, quibus judicium facit quid immodici illi imbres portendant: sunt autem omnes Iliados lib. A. *Victorius.*

4. *Hanc scripsi ante ad Lychnuchum.*] Deest vox, *lucem*, ut integra lectio sit, *hanc scripsi ante lucem ad lychnuchum.* Ursinus.

5. *Cum esses* sanæ mentis.] Nos *cum esses Sami* restituimus, ni fallimur, recte, ab antiquo nostro codice fere nihil aut nihil potius discedentes, tantum aliquantulum vox illa *sami* divulsa erat, sed tamen ut nullum ejus membrum deesset, extrema solum pars ejus importune sequenti dictioni implicita erat, ut possit integra iterum componi. intelligit autem, ut putamus, tempus quo Asiam regebat. *Victorius.*

cordere, consilium nostrum quod fuerit profectionis tuæ. Non enim commoda quædam sequebamur parva ac mediocria. Quid enim erat quod discessu nostro [1] emendum putaremus? Præsidium firmissimum petebamus ex optimi & potentissimi viri benevolentia ad omnem statum nostræ dignitatis. Plura ponuntur in spe quàm in pecuniis: reliqua ad jacturam struentur. Quare si crebrò referes animum tuum ad rationem & veteris consilii nostri & spei, faciliùs istos militiæ labores, ceteraque quæ te offendunt, feres: & tamen cùm voles, depones. Sed ejus rei maturitas neque dum venit, & tamen jam appropinquat. Etiam illud te admoneo, nequid ullis litteris committas, quod si prolatum sit, molestè feramus. Multa sunt quæ ego nescire malo, quàm cum aliquo periculo fieri certior. Plura ad te vacuo animo scribam, cùm (ut spero) se Cicero meus bellè habebit. Tu velim cures, ut sciam, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde litteras mittemus: Cæsarisne tabellariis, ut is ad te protinus mittat, an Labieni. Ubi enim isti sint Nervii, & quàm longè absint, nescio. De virtute & gravitate Cæsaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi voluptatem. Quòd me institutum ad illum poema jubes perficere; etsi distentus cùm opera tum animo sum multo magis, quoniam tamen ex epistola, quam ad te miseram, cognovit Cæsar me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum, idque perficiam his supplicationum otiosis diebus, quibus Messalam jam nostrum reliquosque molestia levatos vehementer gaudeo: eumque quòd certum consulem cum Domitio numeratis, nihil à nostra opinione dissentitis. Ego Messalam Cæsari præstabo. Sed Memmius in adventu Cæsaris habet spem:

1. *Emendum putaremus.*] Quidam legunt freti auctoritate librorum veterum, ut aiunt, *merendum putaremus?* quam lectionem ut non rejicio, ita hanc receptam non improbo. *Lambinus.*

ſpem: in quo illum puto errare: hic quidem friget. Scaurum autem jampridem Pompejus abjecit. res prolatæ. ad interregnum comitia adducta. Rumor dictatoris injucundus bonis: mihi etiam magis quæ loquuntur. Sed tota res & timetur & refrigeſcit. Pompejus planè ſe negat velle: antea ipſe mihi non negabat. Hirrus auctor fore videtur. O dii quam ineptus, ² quàm ſe ipſe amans ſine rivali! ³ Craſſum Junianum, hominem mihi deditum, per me deterruit. velit, nolit, ſcire difficile eſt. Hirro tamen agente, nolle ſe non probabit. Aliud hoc tempore de republica nihil loquebantur. agebatur quidem certè nihil. Serrani Domeſtici filii funus perluctuoſum fuit a. d. IIX kal. Decemb. Laudavit pater ſcripto meo. Nunc de Milone. Pompejus ei nihil tribuit, & omnia Guttæ: dicitque ſe perfecturum, ut in illo Cæſar incumbat. hoc horret Milo: nec injuria: &, ſi ille dictator

2. *Quàm ſe ipſe amans ſine rivali.*] Significat, *amatum a nemine*. Translatio ducta eſt ab amatoribus quorum ſit amica deformis; quam nemo ſibi expetat, aut amicam habere velit. Hoc aliis verbis ad Atticum ſcribens extulit, lib. VI. *Hujus nebulonis operatione, ſi Brutus moneri poteſt: licebit eum ſolus ames: me æmulum non habebis.* Malaſp.

3. *Craſſum Junianum.*] P. *Craſſus* hic *Junianus* deſcriptus eſt in veteribus aliquot denariis, in quibus *Q. Metelli* quoque *Pii Scipionis* nomen inciſum eſt, quòd ejus legatus in Africa fuerit. Manutius autem putavit aliquando *Licinianum* pro *Junianum* debere emendari: ſed admonitus a me de vetuſtis denariis, eorum auctoritati repugnandum non cenſuit. *Urſinus.*

Craſſum Junianum.] Sic legendum, non *Craſſum Licinianum*, quo modo olim operæ me imprudente ediderunt, quanquam non ſine negligentia mea. nam cum e vocis *Junianum* regione adſcripſiſſem Manutii conjecturam, *Licinianum*, illi quod erat adſcriptum ad oram libri ſecuti ſunt, quod erant in textura orationis rejecerunt. ego autem debueram, antequam excudere inciperent, delere. Hic igitur iterum lectorem admoneo legendum, *Junianum*, ut habent omnes libri, non, *Licinianum*, quo modo Manutius conjecit eſſe legendum; quamvis conjectura illa ſit probabilis, quòd mihi pene fuit fraudi. cum autem poſſim receptam ſcripturam multis argumentis confirmare, tum duorum nummorum argenteorum, quorum utriuſque inſpiciendi mihi a Clemente Terenino facta copia eſt, auctoritate poſſum. Unius igitur horum nummorum in antica parte inciſum erat Termini caput cum hac inſcriptione, *Q. Metellus Pius Scip. Imp.* in poſtica ſella curulis, & ſupra eam Cornucopiæ & bilanx tranſverſim locata: inſcriptio hæc: *Craſſ. Jun. leg. propr.* pars antica continebat tropæum inter lituum & urnam, cum hac inſcriptione, *Q. Metellus Pius Scip. Imp.* poſtica præ ſe ferebat effigiem Cybeles turritæ inter ſpicam & caduceum locatæ. inſcriptio erat hæc, *Craſſus Jun. leg. propr.* quare nihil cenſeo mutandum. *Lambinus.*

tor factus sit, paene diffidit. Intercessorem dictaturae si juverit manu & praesidio suo, Pompejum metuit inimicum. si non juverit, timet ne per vim perferatur. Ludos apparat magnificentissimos: sic, inquam, ut nemo sumptuosiores. stultè bis terque non postulatus: 4 vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magister, vel quia potuerat magistrum se non aedilem putare. Omnia ferè scripsi. Cura, mi carissime frater, ut valeas.

EPISTOLA IX.

MARCUS Q. FRATRI, S.

De Gabinio nihil fuit faciendum istorum, quae amantissimè cogitata sunt. τότε μοι χάνοι. feci summa cum gravitate, ut omnes sentiunt, & summa cum lenitate, quae feci. illum neque ursi, neque levavi. testis vehemens fui: praeterea quievi. Exitum judicii foedum & perniciosum levissimè tuli. Quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis reipublicae licentiaque audacium, qua antè rumpebar, nunc ne movear quidem. nihil est enim perditius his hominibus, his temporibus. Itaque ex republica quoniam nihil jam voluptatis capi potest: cur stomacher, nescio. Litterae me, & studia nostra, & otium, villaeque delectant, maximeque pueri nostri. Angit unus Milo: sed velim finem afferat consulatus: in quo enitar non minùs quàm sum enisus in nostro: tuque istinc, quod facis, adjuvabis. De quo caetera (nisi planè vis eripuerit) rectè sunt: de re familiari timeo,

„ O

4. *Vel quia munus magnificum dederat.*] Adducuntur rationes, cur stulte bis terque ludos appararet, praesertim non postulatus, primum illam, quia satis erat munus maxime illa magnificentia dedisse: deinde, quia facultates non erant &c. Reliquae explicantur a Manutio. *Malesp.*

" Ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς,

[1] qui ludos H-S ccc comparet. [2] cujus in hoc uno considerantiam & ego ego sustinebo, ut potero, & tu ut possis, est tuorum nervorum. De motu temporum venientis anni, nihil te intelligere volueram do-

1. *Qui ludos H-S ccc comparet.*] Ita ferè libri editi scriptique. Lambinus edidit, *H-S ccc*ɔɔ. non vituperarem si nisus exemplari manuscripto, idem mox quoque *considerantiam* mutavit in *inconsiderantiam*, cujus ac calamo exarantis nolentibus. *Grut.*

Qui ludos H-S ccc comparet.] Hinc sublatam stellulam mitto, cum satis appareat hanc pecuniæ summam non esse hujusmodi, unde fortunarum suarum Milo naufragium facere potuerit. De qua re plura Victorius. Ad hæc, valde suspecta est vox illa & nova & sententiæ repugnans *Considerantia*. *Malasp.*

Qui ludos H-S ccc comparet.] Vereor ne hi numeri qui sumptum, quem Milo in ludis faciebat, indicant, corrupti sint. nam cum supra in alia, ut arbitror, epistola, quæ tamen in omnibus impressis cum hac cohæsit, dixerit, *Ludos apparat magnificentissimos, sic inquam ut nemo sumptuosiores* &c. non mihi videtur hæc summa pecuniæ talis esse, quæ profusa rem posset ejus familiarem evertere, & quæ omnes impensas quæ unquam in ludis factæ essent, superaret: multo enim majores sumptus erant, qui passim in hujuscemodi rebus ab iis fiebant: unde sæpe multi fortunarum suarum naufragia faciebant. Tradit autem Plinius tot millia æris alieni Milonem debuisse, ut ad illam summam hæc non magnæ pecuniæ portio sit. Quod autem mihi suspicionem auget, & rem, ut arbitror, manifestiorem facit, est, quòd in veteribus exemplaribus post tres illos ccc est alius quidam character, qui fortasse summam eam majorem reddit. cujus ego certam rationem adferre non possum, est enim deformatus & non parum contaminatus, ut puto. Non est autem virgula illa quæ solet figuras has rectas ab apostrophis distinguere, sed potius apostrophus ɔ: sed neque hæc etiam composita & bene formata, nec tamen frustra ibi eam descriptam esse existimandam est. non est mirum harum notarum imperitos librarios omnia confudisse & commaculasse; nullam certiorem de hac re conjecturam & scientiam adferre possum: rem totam doctiores cognoscent, & quicquid eis visum fuerit statuent. *Victorius.* Lambinus in marg. H-S ccciɔɔɔ.

2. *Cujus in hoc uno considerantiam.*] *Inconsiderantiam* magis placet, ut est in margine libri, qui emendatus est ex antiqua scriptura. *Ursinus.*

Cujus in hoc uno considerantiam.] Ego hunc locum corruptum puto: verbum enim hoc barbarum est; quod si latinum sit & elegans, sententiæ tamen admodum repugnat & contrarium est; erat enim temeritas & insania potius quædam rem suam familiarem effundere in ludorum apparatione. Ostendit autem verbis Homeri nunc illum tantopere insanire, ut non amplius sustineri possit: ut quod de illo Plinius lib. 36. cap. 15. tradit, cum hoc loco conveniat, *itaque & ipsum Milonem H-S septuagies millia æris alieni debuisse inter prodigia humani animi judico.* Nos contra hoc verbum stellulam adponi volebamus, librarii vero e regione Græcorum verborum importune statuerunt, quæ & integra sunt & plana. hujusmodi tamen errata præstare non debemus, nec enim præsentes eorum negligentiam corrigere potuimus, quæ sane tanta est, ut a nullo regi & refrenari queat. *Victorius.* Lambinus in marg. *inconsiderantiam.*

domestici timoris, sed de communi reipublicæ statu: in quo etiam si nihil procuro, tamen nihil curare vix possum. Quàm autem te velim cautum esse in scribendo ex hoc conjicito, quòd ego ad te ne hæc quidem scribo quæ palàm in republica turbantur, ne cujusquam animum meæ litteræ interceptæ offendant. Quare domestica cura te levatum volo. In republica scio quàm sollicitus esse soleas. Video Messalam nostrum consulem, si per interregem, sine judicio: si per dictatorem, tamen sine periculo. odii nihil habet. Hortensii calor multum valebit. Gabinii absolutio, lex impunitatis putatur, ἐν παρέργῳ. De dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompejus abest: Appius miscet: Hirrus parat: multi intercessores numerantur: populus non curat: principes nolunt: ego quiesco. De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo: & sum equidem, uti scribis, & Romæ, & in prædiis infrequens. Sed cave, amabo, quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo & maxima tua facultate, mi frater, cogitaris. De epistola Vatinii, risi. sed me ab eo ita observari scio, ut ejus ista odia non sorbeam solùm, sed etiam concoquam. Quòd me hortaris ut absolvam, habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur, ἔπος ad Cæsarem: sed quæro locupletem tabellarium, ne accidat [3] quod Erigonæ tuæ: cui soli, Cæsare impera-

3. *Quod ego nactus.*] Locus corruptus & lacer, Germani sic in margine sui codicis scripserunt, *ne accipiat quod Erigonæ tuæ quod soli Cæsari* &c. ut si conjecturis locus sit, putem legi non incommode posse, *sed quæro locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonæ tuæ, cui soli Cæsare Imperatore iter ex Gallia tutum non fuit*: ut intelligamus Q Ciceronem M. Fratri ex Gallia *Erigonam* Tragædiam misisse, quæ tamen in itinere amissa sit, vel aliquem casum passa, ut salva non venerit. Timens igitur ne idem suo accidat poemati M. Cicero, se locupletem tabellarium quærere dicit, qui illud ad Cæsarem portet. Parva nobis omnino licentia videtur posse satis apte locus hic depravatissimus restitui, si testimonio Germanorum fides habeatur, qui omnia se e veteri codice, quæ in marginibus adnotarunt accepisse testati sunt. Quod si noster antiquus liber cum Germanico penitus concordasset, non veriti fortasse essemus aliquantulum nobis indulgentes locum, ut supra scripsimus, restituere: sed paulo ille vulgatis hoc loco melior est: *ergo* tan-

peratore, iter ex Gallia tutum non fuit. ** 4 Quid? si cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium? quod quidem quotidie mihi magis placet: inprimisque inferior porticus & ejus conclavia fiunt recte. De Arcano, Cæsaris opus est, vel mehercule etiam elegantioris alicujus. 5 imagines enim istæ, & pa-

tantum habet, ubi excusi *ego*, ut tamen & ipse *Erigona* vestigium aliquod retineat: sed tamen cum statim tam abrupte in sermonem de ædificiis veniat, necessario cogimur locum hunc mancum & decurtatum esse credere. *Victorius.*

4 *Quid? si cæmentum bonum non haberem.*] Assentior *Manutio* & aliis viris doctissimis, qui putant hic esse lacunam & nonnulla deesse. *Lambinus.*

Quid si tamen tam bonum non haberem.] id est, *locupletem tabellarium qualem desidero.* nihil hic deest. MS. auctoribus cetera plana. *F. Junius.* Pessime Junius, qui nihil *hic deesse* & *cetera plana* esse dicit; certe adeo corrupta sunt & decurtata ut frustra laboret qui ea non intelligere non sit contentus. Ed. 1470. habet sic, *quare locupletem tabellarium* accipiat quod ego nactus, quid si *Cæsare* &c. *quid si* canem tam *bonum non haberem* &c.

Quid si cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium? quod quidem quotidie mihi magis placet.] Ex veteris libri corrupta scriptura potest elici lectio, ut mihi videtur, commodior, si ita scribas, *quid si* causam tam *bonam non haberem*? de urbano *ædificio* quod quæris, *quotidie mihi magis placet.* Ursinus.

5. *Imagines enim istæ & palæstra & piscina & in his.*] Nos ex melioribus libris & *nilus* scripsimus. quis enim non vidisset ante *in his* corrupte legi? nec tamen sine antiquorum librorum ope poterat locus restitui. Vox enim hæc rara admodum est, & ex illis maxime, quæ quia raro inveniebantur, fere e Latinæ linguæ finibus ejectæ sunt. Cicero libro 2. de Legibus, *ductus vero aquarum, quos isti Nilos & Euripos vocant, quis non cum hæc videat irriserit?* Ex quo loco integritas hujus voci ostenditur, & significatus aperitur, etsi illinc etiam pene dejecta est: plures enim excusi codices, & hi etiam qui meliores putantur, *Tubos* habent, cum tamen omnes Manuscripti *Nilos* retineant. Videndum quoque est accuratius an è loco etiam quodam Plinii, qui est libro 32. cap. 2. eadem vox indignissime deturbata sit. Sic enim in omnibus impressis scriptum est, *E manu vescuntur pisces in pluribus quidem Cæsaris villis.* cum, ut opinor, *Cæsaris Nilis* scribendum sit. Nam & antiqua exemplaria *Nillis* habent, & vulgaris illa lectio parum apta & propria mihi videtur. Quis enim qui proprie loqui vellet, unquam diceret pisces in villis vivere, & non potius in stagnis, piscinis, & aquis omnino, ubi illi aluntur, & extra quas degere non possunt? non enim villæ semper piscinas habere intelliguntur. sed non tam facile hujus lectionis inconcinnitas & rusticitas refelli potest, quam veræ sinceritas & probitas ab unoquoque cognosci. Non ignotum fuit hoc nomen erudito & diligenti viro (ut tempora illa ferebant) Blondo Foroliviensi. sic enim libro IX. Romæ triumphantis, cum de *Pegaso* loqueretur (quod instrumentum quoddam in domibus vult fuisse a Pegaso equo, quem Poetæ fingunt, denominatum, super quo vestes suspenderentur) inquit, *de quo duriore forsan translatione minus mirabitur qui infra videbit Euripos, Nilos a similitudine dicta fuisse parva in domibus aquarum canalia.* Adducit autem non multo post, cum iterum de hoc ageret, locum Ciceronis e secundo de Legibus emendatum, nondum enim ea quæ postea per omnes libros diu impune grassata est tempestas invaserat, e quo significatum ejus ut puto elicuit. Idem fatum fuit etiam Latinæ & elegantissimæ vocis, eandemque

palæstra, & piscina, & nilus, multorum Philotimorum est, non Diphilorum. sed & ipsi ea adibimus, & mittemus, & mandabimus. De Felicis testamento tum magis querere, si scias. Quas enim tabulas se putavit obsignare, [6] in quibus in unciis firmissimum tenuerat (lapsus est per errorem & suum & Sicuræ servi) non obsignavit: quas noluit, eas obsignavit. ἀλλ᾽ οἰμωζέτω: nos modò valeamus. Ciceronem, & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo. Dimitto autem à me, & ut à magistris ne abducam, [7] & quòd mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. sed sumus unà tamen valde multùm. Rescripsi ad omnia, mi suavissime & optime frater.

que pene rem significantis, *silanus*, ut cum paucis admodum locis inveniretur, illinc fere semper ab his qui se corrigere libros putant, cum verius inquinent & corrumpant, sublata sit: ut ex libro sexto Lucretii, ubi atrocem illam pestilentiam describit, quæ Athenas vastavit, vel potius ex secundo libro Thucydidis interpretatur, a quo accuratissime narrata est,

Multa siti prostrata viam per proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata jacebant,
Interclusa anima nimia dulcedine aquai.

Quod Thucydides his verbis expressefat, καὶ ἐς τὰς κρήνας ἀπολούς ἡμιθνῆτες τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ. quem locum in cunctis ante se & excusis & manuscriptis codicibus integrum Marullus Byzantius vitiavit, *sic amnis* pro *silanos* emendando. Quod etiam nuper candidissimo auctori Cornelio Celso accidit; cum enim dixisset lib. 2. *confert etiam aliquid ad somnum silanus juxta cadens*, quidam contra veterum codicum auctoritatem *solenos* Græcam vocem reponere pro illa ausi sunt. *Silani* autem nominantur etiam a Sexto Pompejo in dictione *Tulli*. *Tullios* alii dixere esse *Silanos*, alii *rivos* &c. *Victorius.*

6. *In quibus in unciis firmissimum tenuerat* &c.] Lambinus ad hunc modum, *quas enim tabulas se putavit obsignare, in quibus de unciis firmissimum tenuerat; lapsus per errorem & suum & Sicuræ servi, non obsignavit.* & lege, *tum magis* querare, *si scias.*

In quibus III. unciis fortasse minus, te, lapsus eas per errorem] puta, hæredem sibi dixerat. sic habent evidentiam omnia. MS. ex quibus ita conjeci legendum, sic habent, *in quibus III. unciis fortissimum tenes vero lapsus* &c. corrupte quidem, sed ita ut lucem præferant illi restitutioni nostræ. *F. Junius.*

7. *Et quòd mater Pomponia discedit.*] Habent istud Victorius & seqq. sed prius cusi, *mater Porcia non discedit*, adeo ut adsentiar P. Manutio, arbitranti illud *Pomponia* esse ab interprete. *Grut.*



M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD BRUTUM, LIBER SINGULARIS.[1]

EPISTOLA I.

CICERO BRUTO, S. D.

L. Clodius, tribunis plebis designatus, valde me di-

1. Ab argumento libri hujus, quando a Manutio explicatur, supersedebimus: tantum de ordine librorum illud dicemus, videri mihi eos qui hunc ad M. Brutum iis qui ad Atticum scribuntur anteponunt, non satis tempora subduxisse quibus singuli scripti sunt. Et ut plures a Nonio citentur ad Brutum missi, tamen necesse est per utriusque ætatem, longe ante ad Atticum scribi cæptum esse quam ad illum. Itaque mihi placet is ordo, qui ab Aldo primum, deinde a Filio servatus est, quem etiam audio in exemplari Petrarchæ inveniri. De Epistolis ad Fratrem dubitari potest. Ego tamen, si spectentur tempora, post ad Atticum scriptas collocarem, cum mitti captæ fuerint L. Afranio & Q. Metello Celere consulibus, Brutus in amicitiam M. Tullii paulo ante quam hic proconsul in Ciliciam iret, insinuatus sit: ut ab eo litteras accipere non potuerit, cujus consuetudinem non haberet. Verum hæ quidem ut libet collocentur, dum libros ad Atticum sequantur, postremumque locum obtineat epistola ad Octavium scripta. *Malasp.*

In his Epistolis emendandis P. Victorium, P. Manutium, Leonardum Malaspinam in primis secuti sumus: consuluimus etiam codices Memmianos & ceteros. *Lambinus.*

diligit, [2] vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat. quod cùm mihi ita persuasum sit, non dubito (bene enim me nosti) quin illum quoque judices à me amari. [3] Nihil enim mihi minùs hominis videtur, quàm non respondere in amore iis, à quibus provocere. Is mihi visus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid à suis, vel [4] per suos potiùs inimicos ad te esse delatum, quo tuus animus à se esset alienior. Non soleo, mi Brute, (quod tibi notum esse arbitror) temere affirmare de altero. est enim periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum: multa ejus indicia, sed ad scribendum non necessaria. Volo enim hoc testimonium tibi videri potiùs quàm epistolam. Auctus Antonii beneficio est. ejus ipsius beneficii magna pars à te est. itaque eum salvis nobis vellet salvum. In eum autem locum rem adductam intelligit (est enim, ut scis, minimè stultus) ut utrique salvi esse non possint. itaque nos mavult. De te verò amicissime & loquitur & sentit. Quare si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coràm locutus est, peto à te etiam atque etiam, mihi ut potiùs credas, qui & faciliùs judicare pos-

2. *Vel ut ἐμφατικώτερον dicam.*] Vox *dicam* exterminanda: utpote quæ non compareat in Pall. quatuor, quos contuli, tanquam ceteris potiores. *Gruter.*

Ut ἐμφατικώτερον dicam.] *Dicam* in nullis invenitur MS. & sane potest omitti, soletque non raro, sententia non modo non imminuta sed etiam grata brevitate. *Malasp.* non habet Ed. 1470. & paulo post, *per suos potius iniquos.*

3. *Nihil enim mihi minus hominis videtur &c.*] Pal. quart. *nihil enim minus dignum homine libero mihi videtur*; quomodo etiam emendatum in tertio. sed non admiserim. *Gruter.*

4. *Per suos potius inimicos.*] Sic quidem idem quartus: sed alii tres à manu prima *iniquos*, forsan æquè benè. *Idem.*

Per suos potius inimicos.] In meis omnibus, *iniquos.* quod etsi melius non est, puto tamen esse verius, tot librorum veterum consensione adductus: a quibus ut alii dissentiant, vix adduci possum. *Iniquos* vero, *Inimicos* etiam significare, quæ sunt apud eundem planum faciunt, *iniqui mei.* Et, *Servilius Jovi ipsi iniquus.* Et, *iniqui nostri*, pro Plancio, & in Verrem. Et, *Ceteri sunt partim obscurius iniqui, partim irati*, ad Lentulum. Et ad Q. fratrem. *Nobilitate inimica, non æquo Senatu*, quod est, *male animato.* Malasp.

possum quàm ille nescio quis, & te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, civemque talem, qualis & prudentissimus, & fortuna optima esse debet.

EPISTOLA II.

CICERO BRUTO, S.

Scripta & obsignata jam epistola, litteræ mihi redditæ sunt à te, plenæ rerum novarum, [1] maximeque mirabile, Dolabellam quinque cohortes misisse in Cherronesum. Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? Quinque autem cohortibus [2] quid se nam facturum arbitratus est, cùm tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? [3] quas quidem cohortes spero jam tuas esse, quoniam latro ille tam fuit demens: [4] & tuum consilium vehementer laudo, quòd non priùs exercitum Apollonia Dyrrachioque movisti, quàm de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi Romani victoria. Itaque, quòd scribis, postea statuisse te ducere exercitum in Cherronesum, nec pati, sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi Romani, facis ex tua dignitate, & è republica. Quòd scribis de seditione, quæ facta est in legione quarta, [5] de Catoniis, ([6] in bonam partem

1. *Maximeque mirabile, Dolabellam &c.*] Ita nonnullis editionibus erat ad marginem, firmatq. Pal. pr. *Grut.*

Maximeque mirabiles.] Præcl ire nostri *Mirabile*, ut non ad litteras, sed ad illud quod est dicturus, respectus habeatur. hoc modo, *Maximeque mirabile illud est*: vel, *illud est visum*. Mal.

2. *Quid se nam.*] Nostri *quid nam se*. Idem.

3. *Quas quidem coborteis &c.*] Dictio *cobortes*, non est in sec. delevitque item tertius. *Grut.*

4. *Et tuum consilium &c.*] Vel legendum *sed*, ut visum Gulielmio, vel delendum illud *&*. tanquam quod non compareat in Pal. pr. aut quarto. *Grut.*

Et tuum consilium.] *Et*, abest a meis. *Malasp.*

5. *De Catoniis.*] Sic à primâ manu Pal. pr. sed factum inde *de Antoniis*, additum ad oram, alias legi *cathmeniis.* medium illud placuit Lambino. *Gruter.*

De Antoniis.] Poggii liber, *de Catoniis.* Fortasse, *de C. Antonio.* Nam cùm hic de seditione quæ in legionibus Macedonicis commota est sermo sit: de Antoniis, nisi de Cajo scribi seditionis auctore, alienum est. *ἀσυνδέτως* tamen legi volo, commate interposito. Quod sequitur autem, *quod dicam*, non equidem rejicio, testari tamen libet, in nullo meorum inveniri. Nec si absit, sane valde desideretur. *Malasp.*

6. *In bonam partem accipies.*] Ejeci duo vocabula, quæ præmittebant edi-

tem accipies) magis mihi probatur militum severitas, quàm tua. Te benevolentiam exercitus equitumque expertum vehementer gaudeo. De Dolabella, ut scribis, [7] si quid habes novi, facies me certiorem: in quo valde delector, me antè providisse, ut tuum judicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi: & id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rempublicam; ut nunc judico, ad dignitatem tuam. Quòd scribis me [8] maximo otio egisse ut insectarer Antonios, idque laudas: credo ita videri tibi: sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo. Scribis enim, *acrius prohibenda bella civilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam.* Vehementer à te, Brute, dissentio: nec clementiæ tuæ concedo; sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiæ. [9] Quòd si clementes esse volumus, numquam deerunt bella civilia. Sed de hoc tu videris. De me possum idem quod Plautinus pater in Trinummo: *mihi quidem ætas acta ferme est: tua istuc refert maxime.* Opprimemini, (mihi crede,) Brute, nisi provideritis. Neque enim populum semper eundem habebitis, neque senatum, [10] neque senati

tiones aliæ, neque tamen erant in ullo Palatinorum; *quod dicam.* & quis non sentit esse à librariis? *Gruter.*

7. *Si quid habes novi*] *habebis* Faernus ex vetere libro *F. Ursinus.*

8. *Maximo otio.*] Aliquot edd. *odio*: sed præter vetustiores, item quadrigam manuscriptorum Palatinorum. *Gruter.*

9. *Quod si clementes esse voluerimus.*] Nostri omnes, *esse volumus.* Et paulo post, *Providetis*, pro *Provideritis.* Malasp.

10. *Neque Senatus ducem.*] Magno consensu nostri, *senati ducem*, lenius, ut sensus indicat, nec apud hunc singulare. Nam ut grammatico nobilissimo placet Sosipatro libro primo, in Divinatione in Verrem, sic legi debet. *Quod in unaquaque re, beneficio Senati populique Romani, juris habui.* Prisci enim homines, quæ postea quartæ declinationis sunt facta, more secundæ declinabant: *Domique* pro *Domus*, unde, *domi esse ut Romæ*, dixerunt scriptores: *Tumulti* pro *Tumultus*: *Questi* pro *Questus*: *Fructi*, pro *Fructus*, quo usus est Terentius in Adelphis

Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab iis fero.

Itaque Priscianus, *diversis vocibus* (inquit) *unum aliquando significamus*: ut *Questus* & *Questi*: *Ornatus* & *Ornati*: *Tumultus* & *tumulti.* Quare indifferenter etiam posteriores, parcius tamen & εὐφωνίας caussa, his fere genitivis in I usi sunt: quam Sallustius itidem ut M. Tullius sequi voluit, cum in Catilinario scripsit, ut est apud Sosipatrum & Priscianum, *senati decretum fit, sicut ille consuerat.* Quinctilianus qui-

nati ducem. Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. nihil poteſt eſſe verius. [11] XIV. kalend. Majas.

EPISTOLA III.

M. T. C. M. BRUTO, S.

NOſtræ res meliore loco videbantur. Scripta enim ad te certo ſcio quæ geſta ſunt. quales tibi ſæpè ſcripſi conſules, tales exſtiterunt. Cæſaris verò pueri mirifica indoles virtutis. Utinam tam facilè eum florentem & honoribus & gratia regere ac tenere poſſimus, quàm facilè adhuc tenuimus! Eſt omnino illud difficilius: ſed tamen non diffidimus. Perſuaſum eſt enim adoleſcenti, & maximè per me, ejus opera nos eſſe ſalvos. & certè, niſi is Antonium ab urbe avertiſſet, periiſſent omnia. Triduo verò, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculſa civitas tota ad te ſe cum conjugibus & liberis effundebat. eadem recreata a. d. XII. kalend. Majas te huc venire, quàm ſe ad te ire malebat. Quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, ſi modò eſt aliquis fructus ex ſolida veraque gloria. Nam tantæ multitudinis, [1] quantam capit urbs noſtra, concurſus eſt ad me factus. [2] ea cum uſque in Capitolium deductus, maximo clamore atque plauſu in roſtris collocatus ſum. Nihil eſt in me inane: neque enim debet: ſed tamen omnium ordinum conſenſus, gratiarum actio, gratulatio-

quidem libro primo, *quid de aliis dicam (inquit) cum Senatus Senatus Senatui, an Senatus Senati Senato faciat, incertum eſt?* Malaſp.

11. *XIIII. K. Mai.*] Noſtri omnes. 11. *Idem.*

1. *Quantum capit.*] Sic Gruterus, & poſteriores. Edidi nunc *quantam*, quia ſic erat in Balliol. & habebant vetuſtiores. *Gron.*

2. *Ea cum uſque in Cap. &c.*] Poſteriores, *ab ea cùm uſque ad &c.* ſed invitis olim cuſis & Pall. quatuor. *Grut.*

tem accipies) magis mihi probatur militum ſeveritas, quàm tua. Te benevolentiam exercitus equitumque expertum vehementer gaudeo. De Dolabella, ut ſcribis, [7] ſi quid habes novi, facies me certiorem: in quo valde delector, me antè providiſſe, ut tuum judicium liberum eſſet cum Dolabella belli gerendi: & id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rempublicam; ut nunc judico, ad dignitatem tuam. Quòd ſcribis me [8] maximo otio egiſſe ut inſectarer Antonios, idque laudas: credo ita videri tibi: ſed illam diſtinctionem tuam nullo pacto probo. Scribis enim, *àcrius probibenda bella civilia eſſe, quam in ſuperatos iracundiam exercendam.* Vehementer à te, Brute, diſſentio: nec clementiæ tuæ concedo; ſed ſalutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ. [9] Quòd ſi clementes eſſe volumus, numquam deerunt bella civilia. Sed de hoc tu videris. De me poſſum idem quod Plautinus pater in Trinummo: *mihi quidem ætas acta ferme eſt: tua iſtuc refert maxime.* Opprimemini, (mihi crede,) Brute, niſi provideritis. Neque enim populum ſemper eundem habebitis, neque ſenatum, [10] neque ſenati

tiones aliæ, neque tamen erant in ullo Palatinorum; *quod dicam.* & quis non ſentit eſſe à librariis? *Gruter.*

7. *Si quid habes novi*] *habebis* Faernus ex vetere libro *F. Urſinus.*

8. *Maximo otio.*] Aliquot edd. *odio*: ſed præter vetuſtiores, item quadrigam manuſcriptorum Palatinorum. *Gruter.*

9. *Quod ſi clementes eſſe voluerimus.*] Noſtri omnes, *eſſe volumus.* Et paulo poſt, *Providetis*, pro *Provideritis.* Malaſp.

10. *Neque Senatus ducem.*] Magno conſenſu noſtri, *ſenati ducem*, lenius, ut ſenſus indicat, nec apud hunc ſingulare. Nam ut grammatico nobiliſſimo placet Soſipatro libro primo, in Divinatione in Verrem, ſic legi debet. *Quod in unaquaque re, beneficio Senati populique Romani, juris habui.* Priſci enim homines, quæ poſtea quartæ declinationis ſunt facta, more ſecundæ declinabant: *Domique* pro *Domus*, unde, *domi eſſe ut Romæ*, dixerunt ſcriptores: *Tumulti* pro *Tumultus*: *Queſti* pro *Queſtus*: *Fructi*, pro *Fructus*, quo uſus eſt Terentius in Adelphis

Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab iis fero.

Itaque Priſcianus, *diverſis vocibus* (inquit) *unum aliquando ſignificamus*: ut *Queſtus* & *Queſti*: *Ornatus* & *Ornati*: *Tumultus* & *tumulti.* Quare indifferenter etiam poſteriores, parcius tamen & εὐφωνίας cauſſa, his fere genitivis in I uſi ſunt: quam Salluſtius itidem ut M. Tullius ſequi voluit, cum in Catilinario ſcripſit, ut eſt apud Soſipatrum & Priſcianum, *ſenati decretum fit, ſicut ille conſuerat.* Quinctilianus qui-

nati ducem. Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. nihil potest esse verius. [11] XIV. kalend. Majas.

EPISTOLA III.

M. T. C. M. BRUTO, S.

NOstræ res meliore loco videbantur. Scripta enim ad te certo scio quæ gesta sunt. quales tibi sæpè scripsi consules, tales exstiterunt. Cæsaris verò pueri mirifica indoles virtutis. Utinam tam facilè eum florentem & honoribus & gratia regere ac tenere possimus, quàm facilè adhuc tenuimus! Est omnino illud difficilius: sed tamen non diffidimus. Persuasum est enim adolescenti, & maximè per me, ejus opera nos esse salvos. & certè, nisi is Antonium ab urbe avertisset, periissent omnia. Triduo verò, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum conjugibus & liberis effundebat. eadem recreata a. d. XII. kalend. Majas te huc venire, quàm se ad te ire malebat. Quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, si modò est aliquis fructus ex solida veraque gloria. Nam tantæ multitudinis, [1] quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus. [2] ea cum usque in Capitolium deductus, maximo clamore atque plausu in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane: neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatio-

quidem libro primo, *quid de aliis dicam* (inquit) *cum Senatus Senatus Senatui, an Senatus Senati Senato faciat, incertum est?* Malasp.

11. *XIIII. K. Mai.*] Nostri omnes XII. *Idem.*

1. *Quantum capit.*] Sic Gruterus, & posteriores. Edidi nunc *quantam*, quia sic erat in Balliol. & habebant vetustiores. *Gron.*

2. *Ea cum usque in Cap. &c.*] Posteriores, *ab ea, cùm usque ad &c.* sed invitis olim cusis & Pall. quatuor. *Grut.*

latioque, me commovet, propterea [3] quòd popularem me esse in populi salute, præclarum est. [4] Sed hæc te malo ab aliis audire. me velim de tuis rebus consiliisque facias diligentissimè certiorem: illudque consideres, ne tua liberalitas dissolutior videatur. Sic sentit senatus, sic populus Romanus, nullos umquam hostes digniores omni supplicio fuisse, quàm eos cives, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt: quos quidem ego omnibus sententiis ulciscor & persequor, omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui judicii est. Ego sic sentio, trium fratrum unam & eandem esse causam. Consules duos, bonos quidem, sed duntaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa victoria occidit, cùm paucis diebus magno prœlio antè vicisset. Nam Pansa fugerat, vulneribus acceptis quæ ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, & Cæsar. Hostes autem omnes judicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt. itaque id senatus-consultum plerique interpretantur, etiam ad tuos sive captivos sive deditícios pertinere. Equidem nihil disserui duriùs, cùm nominatim de C. Antonio decernerem, quòd ita statueram, à te cognoscere causam ejus senatum oportere. x. kalend. Majas.

EPISTOLA IV.

BRUTUS CICERONI, S.

QUanta sim lætitia affectus, cognitis rebus Bruti nostri & consulum, facilius est tibi existimare,

3. *Quod popularem me esse &c.*] Si per libros liceret, excluderem pronomen *me*. Idem.

4. *Sed hæc te malo ab aliis audire.*] Si constitit Grutero ratio, recte est: non tamen meretur prætermitti, verbum postremum abesse ab MS. Balliol. atque etiam Victorianæ editiones ignorant. nec quæ id requirat, ulla causa est. *Gron.*

mare, quàm mihi ſcribere. Cùm alia laudo, & gaudeo accidiſſe, tum quòd Bruti eruptio non ſolùm ipſi ſalutaris fuit, ſed etiam maximo ad victoriam adjumento. [1] Quòd ſcribis trium Antoniorum unam atque eandem cauſam eſſe: quid ego ſentiam mei judicii eſſe: ſtatuo nihil, niſi hoc: Senatus aut populi Romani judicium eſſe de iis civibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipſum, inquies, iniquè facis, qui hoſtilis animi in rempublicam homines, cives appelles. Immò juſtiſſimè. Quod enim nondum ſenatus cenſuit, nec populus Romanus juſſit, id arroganter non præjudico, neque revoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quòd ei, quem me occidere res non coegit, neque crudeliter quidquam eripui, neque diſſolutè quidquam remiſi, habuique in mea poteſtate quoad bellum fuit. Multo quidem honeſtius judico, magiſque quod concedere poſſit reſpublica, miſerorum fortunam non inſectari, quàm [2] infinitè tribuere potentibus, quæ cupiditatem & arrogantiam incendere poſſint. Qua in re, Cicero, vir optime ac fortiſſime, mihique merito & meo nomine & reipublicæ cariſſime, nimis credere videris ſpei tuæ: ſtatimque, ut quiſque aliquid rectè fecerit, omnia dare ac permittere. Quaſi non liceat traduci ad mala conſilia corruptum largitionibus animum. Quæ tua eſt humanitas, æquo animo te moneri patieris; præſertim de communi ſalute: facies tamen quod tibi viſum fuerit: etiam ego, cùm me docueris. [3] Nunc, Cicero, nunc agendum eſt, ne fruſtra oppreſſum eſſe Antonium gaviſi ſimus, neu ſemper primi cujuſque mali [4] excidendi cauſa ſit, ut aliud renaſcatur illo pe-

1. *Quod ſcribis trium &c.*] Mei omnes, *quod ſcribis mihi; trium &c.* Malaſp.

2. *Infinitè tribuere.*] Haud aliter editio Victorii, adſentiunturque Pall. noſtri. Aldus aliique *infinita*. Grut.

3. *Nunc Cicero, nunc agendum eſt.*] Lego, *Nunc Cicero, nunc hoc agendum eſt* &c. nam libri vulgati non habent pronomen, *hoc*, quod deſideratur, & reperi in duobus MS. *Lambinus.*

4. *Excidendi cauſſa ſit, ut aliud renaſca-*

pejus. [5] Nihil jam neque opinantibus aut patientibus nobis adversi evenire potest, in quo non cùm omnium culpa tum præcipuè tua futura sit: cujus tantam auctoritatem senatus ac populus Romanus non solùm esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius esse potest: quam tu non solùm benè sentiendo, sed etiam prudenter, tueri debes. Prudentia porrò, quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. [6] Alia omnia sic abundè adsunt; ut [7] cum quolibet antiquorum comparari possint tuæ virtutes. unum hoc, grato animo liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim senatus cuiquam dare debet, quod malè cogitantibus exemplo aut præsidio sit. [8] Itaque timeo de consulatu, ne Cæsar tuus altiùs se adscendisse putet decretis tuis, [9] quàm inde, si consul factus sit, descensurum. Quòd si Antonius ab alio relictum regni instrumentum

nascatur.] Obscure dictum ac intellectu difficile, ut minus equidem mirer, Bruti sensum non nunquam, ne ipsum quidem Ciceronem assequi potuisse. Verumtamen loci hujus, siquis est, hic mihi videtur. Nunc danda opera est Cicero, ne dum malum parum alte excidimus, semper nobis caussa sit, hoc est, materia restet excidendi, ita ut nostra culpa aliud renascatur illo pejus. hoc est, sic Antonii excidenda tyrannis est, ut ne ea in Octaviano renascatur. Renascetur autem sine dubio, si ei immodica concedamus. Translatio ab odiosis plantis sumpta est, quæ nisi radicitus excidantur, repullulascunt. *Malasp.*

5. *Nihil jam neque opinantibus &c*] Faerni liber *nihil non jam.* planius. *Idem.*

6. *Alia omnia sic abundè adsunt.*] Si sequimur Pal. pr. & quart. abundat *abundè*, neque agnoscit Victoriana editio. *Grut.*

Alia omnia sic abunde adsunt.] *Abunde*, in nullo meorum est; nec tamen deleo. Quod mox sequitur, *tuæ virtutes*, in Antoniano separatim scriptum est: hoc est, utrinque moræ signo apposito; quasi nihil ei, nec cum antecedentibus verbis, nec cum consequentibus, negotii sit; Manutiique conjecturam firmare videntur. *Malasp.*

7. *Comparari possint tuæ virtutes.*] P. Manutius delevit duas postremas voces; secutusque ejus auctoritatem Lambinus. ego adhuc hæreo; quoniam eas reperi in omnibus Palat. etsi in quibusdam alia distinctione. *Grut.*

Cum quolibet antiquorum comparari possint.] Secutus sum Paulli Manutii conjecturam, in eo quod has voces, *tuæ virtutes* delevit. sunt enim sine dubio alienæ & ex conjectura notæ. *Lambinus.*

8. *Itaque timeo de consulatu, ne Cæsar tuus.*] Faernus delebat, *de consulatu*, F, Ursinus.

9. *Quam inde si consul factus sit descensurum.*] In manuscripto est, *quam inde si consul factus sit, sit descensurus.* Ursinus.

rum occasionem regnandi habuit: quonam animo fore putas, si quis, auctore, non tyranno interfecto, sed ipso senatu, [10] putet se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum & felicitatem & providentiam laudabo tuam, cùm exploratum habere cœpero, Cæsarem honoribus quos acceperit extraordinariis fore contentum. Alienæ igitur, inquies, culpæ [11] me reum facies? Prorsus alienæ, [12] si provideri potuit, ne exsisteret. quod utinam inspectare possis timorem de illo meum! His litteris scriptis, te consulem factum audivimus. tum verò incipiam proponere mihi rempublicam justam & jam suis nitentem viribus, si isthuc videro. Filius valet, & in Macedoniam cum equitatu præmissus est. Idibus Majis, ex castris.

EPISTOLA V.

CICERO BRUTO, S.

A. D. v. kalendas Majas cùm de iis, qui hostes judicati sunt, bello persequendis, sententiæ dicerentur, dixit Servilius etiam de Ventidio, & ut Cassius persequeretur Dolabellam. Cui cùm essem assen-

10. *Siquis putat.*] Antonianus *putet.* Malasp.

11. *Me reum facies.*] Atqui in Juntina & Rob. Stephani legitur *me reum subjicies*, nec aliter vidi in MS. Balliol. Quod non poterunt dubitare, quin præferant, qui sciunt *subjicere* Latinis dici in vicem alterius submittere & ponere, etiam in variis judiciorum partibus, ut apud Senecam Her. Fur. *Meque subjectum tuis Restitue vinclis*, & apud Asconium in Verrinam de prætura urbana *subjicere improbos judices ad venales sententias proferendas.* Gron.

12. *Si provideri potuit.*] Quo modo culpæ M. Tullius affinis non sit, si provideri potuit, ne ea existeret? Nos, *si provideri non potuit*, & ex sententia, & ex uno etiam meorum, emendamus. Erit inquit, Octaviani ingenii culpa non tua, si aliter fieri non potuit. *Malasp.*

Si provideri potuit.] Aliud agebat Malaspina, cum scribebat legendum hoc loco, *si provideri non potuit.* quæ lectio hic nullo modo ferri potest. hoc enim significat Brutus; prorsus alienæ culpæ te reum faciam, id est, prorsus eorum quæ peccarit Cæsar Octavianus, in te culpam conferam, si provideri abs te potuit ne quid ille peccaret, hoc est, si potuisti, ut potuisti, prohibere ne ille consulatum & tantam potestatem tantumque imperium obtineret. *Lambinus.*

assensus, decrevi hoc amplius, ut tu, [1] si arbitrarere utile, eque republica esse, persequerere [2] bello Dolabellam! [3] si minùs id commodo reipublicæ facere posses, sive non existimares è republica esse, ut in iisdem locis exercitum contineres. Nihil honorificentius potuit facere senatus, quàm ut tuum esset judicium, [4] quid maximè conducere reipublicæ tibi videretur. Equidem sic sentio, si manum habet, si castra, si ubi consistat uspiam Dolabella: ad fidem & ad dignitatem tuam pertinere eum persequi. De Cassii nostri copiis nihil sciebamus neque enim ab ipso ullæ litteræ, neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus. Quantopere autem intersit opprimi Dolabellam, profectò intelligis; cùm ut sceleris pœnas persolvat, tum ne sit, quò se latronum duces ex Mutinensi fuga conferant. Atque hoc mihi jam antè placuisse, potes ex superioribus meis litteris recordari: quamquam tum & fugæ portus erat in tuis castris, & subsidium salutis in tuo exercitu. quo magis nunc liberati (ut spero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati esse debemus. Sed hæc cogitabis diligentiùs, statues sapienter. [5] Facies nos, quod constitueris, & quid

1. *Si arbitrarere utile, eque.*] Abjeci *fore*, positum in vulgatis ante *utile*, quorum nullum erat vestigium in Pal. pr. tert. quarto. *Grut.* Festinavit Gruterus: nam τὸ *fore* ponitur post *utile*, non ante. Sic certe editiones Victorii, sic Hervagiana, sic Michaelis Bruti. Et est eodem loco id verbum in Balliol. Abjicit quidem Gruterus, quod ista repetitio verbi substantivi non videatur necessaria. Quid igitur ad hæc in Bruto cap. 18. *Nec vero ignoro, nondum esse satis politum hunc oratorem, & quærendum esse aliquid perfectius.* II. in Verr. 50. *Cum esset ex veterum numero quidam senator demortuus, & cum ex utroque genere par numerus reliquus esset.* Et agnoscit quoque apud eum Palat. secundus. Cur autem in epist. 6. *Glaucona* editur ab Grutero, quum & MS. Balliol. & priores editi habeant *Glicona* pro *Glycona*, ut est apud Suetonium quoque, ubi notavit Torrentius? *Gronov.*

2. *Dolabellam bello.*] Plerique meorum, *bello Dolabellam.* Qua ratione, si quod est in *Fortunatam natam* vitii, non prorsus declinatur; tamen quia remotius est, minus apparet. *Malasp.*

3. *Si minus id commodo reip. facere posses, sive non existimares è republ. esse.*] Sex verba posteriora videntur à glossatore. quod si mei foret arbitratus, adhuc etiam alia resecarem, faceremque *sin minus*; *ut in iisdem &c.* Grut.

4. *Quid tibi maxime.*] Antonianus & ferme alii: *Quod maxime conducere reip. tibi videretur.* paulo explicatius. *Malasp.*

5. *Facies nos, quod constitueris.*] Est

quid agas, (si tibi videbitur) certiores. Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. nam etiam factum est antea. C. enim Marius, cùm in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur; nec, quo minùs id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis, QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR. apertè indicat, posse rationem haberi, etiam non præsentis. Hac de re scripsi ad eum ut tuo judicio uteretur, sicut in rebus omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio, & de Catone nostro. Sed quamvis liceat absentis rationem haberi, tamen omnia sunt præsentibus faciliora. Quòd si statueris in Asiam tibi eundum, nulla erit ad comitia nostros arcessendi facultas. Omnino Pansa vivo celeriora omnia putabamus. statim enim collegam [6] sibi subrogasset; deinde ante prætoria sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt. magna sanè perturbatio. Tu tota de re quid sentias, velim me facias certiorem. III. nonas Majas. Vale.

EPISTOLA VI.

BRUTUS CICERONI, S.

NOli exspectare dum tibi gratias agam. jampridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam benevolentiam pervenit, [1] sublatum esse debet. Filius tuus à me abest. in Macedonia congrediemur. Jus-

à Pall. quatuor. vulgata, *& quid constitueris.* P. Victorius, *nos, quid const.* Grut.

6. *Sibi subrogasset.*] Manuscripti omnes, *subrogavisset.* Malasp.

1. *Sublatum esse debet.*] Pluribus istud explicat Erricus Stephanus libro Schediasmatum tertio, qui videatur. *Grut.*

[2] Juſſus eſt enim [3] Ambracia ducere equites per Theſſaliam, & ſcripſi ad eum ut mihi Heracleam occurreret. Cùm eum videro, quoniam nobis permittis, communiter conſtituemus de reditu ejus ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glaucona, medicum Panſæ, qui ſororem Achilleos noſtri in matrimonio habet, diligentiſſimè commendo. audimus eum veniſſe in ſuſpicionem Torquato de morte Panſæ, cuſtodirique ut parricidam. nihil minùs credendum eſt. quis enim majorem calamitatem morte Panſæ accepit? præterea eſt modeſtus homo & frugi: quem ne utilitas quidem videatur impulſura fuiſſe ad facinus. Rogo te, & quidem valde rogo (nam Achilleus noſter non minùs, quàm æquum eſt, laborat) eripias eum ex cuſtodia, conſervesque. Hoc ego ad meum officium privatarum rerum æquè atque ullam aliam rem pertinere arbitror. Cùm has ad te ſcriberem litteras, ab Satrio legato C. Trebonii reddita eſt mihi epiſtola [4] à Tullio & Dejotaro, Dolabellam cæſum fugatumque eſſe. Græcam epiſtolam tibi miſi Cycherei cujuſdam, ad Satrium miſſam. Flavius noſter de controverſia, quam habet cum Dyrrachinis hereditariam, ſumpſit te judicem. rogo te, Cicero, & Flavius rogat, rem conficias. quin ei, qui Flavium fecit heredem, pecuniam debuerit civitas, non eſt dùbium: neque Dyrrachini infitiantur: ſed ſibi

2. *Juſſus eſt enim Ambracia ducere &c.*] Sic Pall. noſtri. publicati ferè, *Ambraciam*. Grut.

3. *Ambraciam ducere.*] Mei omnes, *Ambracia* ſexto caſu: & puto rectum. Nam cum in Macedonia congreſſuri eſſent, juſſusque eſſet Cicero filius M. Bruto Heracleam occurrere, atque ita equites per Theſſaliam, hoc eſt, a meridie quo vergit Ambracia, ad ſeptentriones ducere: ſi *Ambraciam* legatur, contrario itinere uti videbitur, ac longius a Macedonia recedere. Erat autem Brutus in ima Candavia, cujus montes, ut Manutius docet ex Plinio, aberant a Dyrrachio millia paſſuum LXXIX. Sed quoniam plures erant Heracleæ, una in Macedonia, Thraciam ſpectans, altera inter Bœotiam & Theſſaliam, *Trachinia* cognomento, de qua Thucydides, *ἀφικόμενοι ἐς Ἡράκλειαν ἐν Τραχῖνι*: ad utram ſibi vellet occurri Brutus, quove ſe conferret, difficile eſt divinare aut conjectura aſſequi. *Malaſp.*

4. *A Tullio & Dejotaro.*] Pal. pr. *Tillio*, quar. *Tyllio*, Grut.

sibi donatum æs alienum à Cæsare dicunt. Noli pati à necessariis tuis necessario meo injuriam fieri. XVII. kalend. Jun. ex castris ad imam Candaviam.

EPISTOLA VII.

BRUTUS CICERONI, S.

L. Bibulus quàm carus mihi esse debeat, nemo meliùs judicare potest quàm tu: cujus tantæ pro republica contentiones sollicitudinesque fuerunt. Itaque vel ipsius virtus vel nostra necessitudo debet conciliare te illi: quo minùs multa mihi scribenda esse arbitror. Voluntas enim te movere debet nostra, si modò justa est, aut pro officio necessario suscipitur. In Pansæ locum petere constituit. eam nominationem à te petimus. neque conjunctiori dare beneficium quàm nos tibi sumus, neque digniorem nominare potes quàm Bibulum. De Domitio & Apulejo quid attinet me scribere, cùm ipsi per se tibi commendatissimi sint? Apulejum verò tu tua auctoritate sustinere debes. [1] Sed Apulejus in sua epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo tantum jam virum, ex quanto, crede mihi, potest evadere, qui vestris paucorum respondeat laudibus.

EPISTOLA VIII.

CICERO BRUTO, S.

[2] Multos tibi commendavi, & commendem, necesse est. optimus enim quisque vir & civis maxi-

1. *Sed Apulejus in sua epist. celebr.*] Palat. sec. & tert. *sed Domitius in &c.* quod examinabunt quibus majus otium. *Grut.*

2. *Multos tibi commendavi.*] Paulus Manutius *commendo*, at enim alterum restat in vett. edd. & Palatt. omnibus. *Idem.*

Multos tibi commendo.] Antonianus & alii nonnulli, *commendavi.* Quod probo. Hoc enim dicit. *Multos tibi antehac commendavi, & nunc commendem necesse est.* Malasp.

maximè ſequitur judicium tuum, tibique omnes fortes viri navare operam & ſtudium volunt: nec quiſquam eſt, quin ita exiſtimet, meam apud te & gratiam & auctoritatem valere plurimum. Sed C. Naſennium, municipem Sueſſanum, tibi ita commendo, ut neminem diligentiùs. Cretenſi bello, Metello imperatore, [3] octavum principem duxit: poſtea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore cùm reipublicæ partibus tum tua excellenti dignitate commotus, vellet per te aliquid auctoritatis aſſumere. Fortem virum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, &, ſi quid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, ſi eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere poſſit.

EPISTOLA IX.

CICERO BRUTO, S.

FUngerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per litteras conſolarer, niſi ſcirem, his remediis, quibus meum dolorem tu levaſſes, te in tuo non egere: ac velim faciliùs, quàm tunc mihi, nunc tibi tute medeare. Eſt enim alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri præceperit, id ipſum facere non poſſe. Me quidem cùm rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua à nimio mærore deterruit. Cùm enim molliùs tibi ferre viderer quàm deceret virum, præſertim eum qui alios conſolari ſoleret; accuſaſti me per litteras gravioribus verbis quàm tua conſuetudo ferebat. Itaque judicium tuum magni æſtimans, idque veritus, me ipſe collegi: & ea, quæ didiceram, legeram, acceperam, graviora duxi, tua auctoritate ad-

3. *Octavum principem duxit.*] Id eſt, *Octavam centuriam militum ætatis ſecundæ*, qui *principes* dicebantur. Lege ad hunc locum P. Manutium. *Lambinus.*

addita. Ac mihi tum, Brute, officio ſolùm erat & naturæ, tibi nunc populo & ſcenæ (ut dicitur) ſerviendum eſt. Nam cùm in te non ſolùm exercitus tui, ſed omnium civium ac pænè gentium conjecti oculi ſint, minimè decet, propter quem fortiores ceteri ſumus, eum ipſum animo debilitatum videri. Quam ob rem accepiſti tu quidem dolorem (id enim amiſiſti cui ſimile in terris nihil fuit) [1] & eſt dolendum, in tam gravi vulnere (ne id ipſum, carere omni ſenſu doloris, ſit miſerius quàm dolere) ſed, ut modicè, ceteris utile eſt, tibi neceſſe eſt. Scriberem plura, niſi ad te hæc ipſa nimis multa eſſent. Nos te tuumque exercitum exſpectamus: ſine quo, ut reliqua ex ſententia ſuccedant, vix ſatis liberi videmur fore. De tota republica plura ſcribam, & fortaſſe jam certiora his litteris, quas Veteri noſtro cogitabam dare.

EPISTOLA X.

CICERO BRUTO, S.

NUllas adhuc à te litteras habebamus: ne famam quidem quæ declararet, te, cognita ſenatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idque maturares, magnopere deſiderabat respublica. Ingraveſcit enim in dies inteſtinum malum, nec externis hoſtibus magis quàm domeſticis laboramus, qui erant omnino ab initio belli, ſed faciliùs frangebantur. Erectior ſenatus erat, non ſententiis ſolùm noſtris, ſed etiam cohortationibus excitatus. Erat

1. *Et eſt verendum in tam gravi vulnere.*] Sic eſt ſine dubio legendum, non ut eſt in libris omnibus, *& eſt dolendum.* Sic enim loquuntur Latini, *verendum eſt ne*, non, *dolendum eſt ne.* Lamb.

Et eſt dolendum, in tam gravi &c.] Lambinus libris omnibus invitis ſubſtituerat, *eſt verendum*, nulla alia de cauſa, quàm quod minus adſequeretur connexum argumentationis Ciceronianæ. *Grut.*

[1] Erat in senatu satis vehemens & acer Pansa, cùm in ceteros hujus generis, tum maximè in socerum: cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes; nonnulla in Hirtio. hujus belli fortuna, ut in secundis, fluxa: ut in adversis, bona. erat victrix respublica, cæsis Antonii copiis, ipso expulso à Bruto. Deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret è manibus, perterritos, inermes, saucios non sunt nostri duces persecuti: datumque Lepido tempus est, in quo levitatem ejus sæpè perspectam majoribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, sed rudes, Bruti, & Planci. Sunt fidelissima, & maxima auxilia Gallorum. sed Cæsarem meis consiliis adhuc gubernatum, præclara ipsum indole admirabilique constantia, improbissimis litteris quidam fallacibusque interpretibus ac nuntiis impulerunt in spem certissimam consulatus. Quod simulatque sensi; neque ego illum absentem litteris monere destiti, nec accusare præsentes ejus necessarios, qui ejus cupiditati suffragari videbantur: nec in senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitavi: nec verò ulla in re memini, aut senatum meliorem, aut magistratus. Numquam enim in honore extraordinario potentis hominis vel potentissimi potiùs (quando quidem potentia jam in vi posita est & armis) accidit, ut nemo tribunus plebis, nemo alio magistratu, nemo privatus, auctor exsisteret. sed in hac constantia atque virtute erat tamen sollicita civitas. Illudimur enim, Brute, cùm militum delitiis, [2] tum imperatoris insolentia. [3] Tantum quisque se in republica

1. *Erat in Senatu.*] Pal. tert. ab eadem manu habebat inter lineas, *erat praterea in Sen.* idemque in pr. à dextra alien. *Grut.*

2. *Tum imperatoris insolentia*] videtur legendum, *imperatorum*, & in MS. est, *Impp.* Ursinus.

3. *Tantum quisque in Rep.*] Nostri, *tantum quisque se in Rep.* Malasp.

ca posse postulat, quantum habet virium. non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet: non judicium, non existimatio civium, non posteritatis verecundia. Hæc ego multo antè prospiciens fugiebam ex Italia, tum cùm me vestrorum edictorum fama revocavit. Incitavisti verò tu me, Brute, Veliæ. quamquam enim dolebam in eam me urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberavisses, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo simili, casu tristiore: perrexi tamen, Romamque perveni, nulloque præsidio quatefeci Antonium: contraque ejus arma nefanda, præsidia, quæ oblata sunt, Cæsaris consilio & auctoritate firmavi. qui si steterit idem, mihique paruerit: satis videmur habituri præsidii. sin autem impiorum consilia plus valuerint; quàm nostra; aut imbecillitas ætatis non potuerit gravitatem rerum sustinere: spes omnis est in te. Quam ob rem advola, obsecro, atque eam rempublicam, quam virtute atque animi magnitudine magis quam eventis rerum liberasti, exitu libera. omnis omnium concursus ad te futurus est. Hortare idem per litteras Cassium. Spes libertatis nusquam nisi [4] in vestrorum castrorum principiis est. Firmos omnino & duces habemus ab occidente, & exercitus. Hoc adolescentis præsidium equidem adhuc firmum esse confido. sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam. Habes totum reipublicæ statum: qui quidem tum erat, cùm has litteras dabam. Velim deinceps meliora sint: sin aliter fuerit (quod dii omen avertant!) reipublicæ vicem dolebo, quæ immortalis esse debebat. [5] mihi quidem quantulum reliqui est?

EPI-

4. *In vestrorum castrorum principiis.*] Ita editio Victorii, ita Pal. pr. sec. text. nam quartus *præsidiis*. quod quis non sentit interpretationem esse dictionis prioris. *Grut.*

5. *Mihi quidem vita quantulum reliqua est.*] Vel sic legendum, non ut in libris vulgatis, *reliqui est*, vel, *quantulum reliquum est*. *Lambinus.*

Mihi quidem quantulum reliqui est? Lambinus finxit *vita qu. reliqua*, nisi velimus, inquit, *reliquum*. erat in MS. ali-

EPISTOLA XI.

BRUTUS CICERONI, S.

VEteris Antiſtii [1] talis animus eſt in rempublicam, ut non dubitem, quin & in Cæſare & Antonio ſe [2] præſtaturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis, ſi occaſioni potuiſſet occurrere. Nam qui in Achaja congreſſus, P. Dolabella milites atque equites habente, quodvis adire periculum, ex inſidiis paratiſſimi ad omnia latronis, maluerit, quàm videri aut coactus eſſe pecuniam dare, aut libenter dediſſe homini nequiſſimo atque improbiſſimo: is nobis ultro & pollicitus eſt, & dedit H-S xx. ex ſua pecunia: &, quod multo carius eſt, ſeipſum obtulit, & conjunxit. Huic perſuadere cœpimus, ut imperator in caſtris remaneret, remque publicam defenderet. [3] ſtatuit id ſibi, quoniam exercitum dimiſiſſet. ſtatim verò rediturum ad nos confirmavit, legatione ſuſcepta, niſi prætorum comitia habituri eſſent conſules. Nam illi ita ſentienti de republica magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis ſuæ. cujus factum omnibus gratum eſſe debet, [4] qui modò judicant, hunc exercitum eſſe reipublicæ; tibi tanto gratius, quanto & majore

aliquot, item Pall. duobus *aliquantulum*; quod mutabat in, *mihi quidem mali quantulum reliqui eſt?* Gulielmius. *Grut.*

1. *Talis animus eſt in rempublicam.*] Balliol. *republica.* Quod ego non minorem Venerem habere opinor, ac vulgatum. & vel Ciceronis lingua dignum. Non enim aliter loquitur epiſt. 13. *Nihil ego poſſum in ſororis meæ liberis facere*, ut jam edunt viri docti, ubi olim legebatur a quibuſdam *liberos.* Unde etiam non dubitavi in epiſtola Bruti 16. ex MS. iſto & editis anquis reddere. *Quod pulcherrime feciſti ac facis in Antonio.* Gron.

2. *Præſtaturus fuit.*] Sic erat in editione veteri, neque aliter Victoriana, aut MS. Pall. intermediæ, *præſtiturus*; non neceſſario. *Grut.*

3. *Statuit id ſibi.*] Lambinus, *ſtatuit eundum ſibi.*

Statuit id ſibi, quoniam.] Haud aliter Pall. tres. nam tert. *ſibi eundum, quoniam.* P. Manutius expreſſit *ſtatuit eundum ſibi, quoniam.* quod & retinuit Lambinus. neutra lectio ſatisfacit. *Grut.*

4. *Qui modo judicarint.*] Noſtri, judicant. *Malaſp.*

fore animo gloriaque libertatem nostram defendis [5] & dignitatem; si contigerit nostris consiliis exitus, quem optamus, [6] persuncturus es. Ego etiam, mi Cicero, propriè familiariterque te rogo, ut Veterem ames, velisque esse quàm amplissimum: qui etsi nulla re deterreri à proposito potest, tamen excitari tuis laudibus indulgentiaque poterit, quo magis amplexetur ac tueatur judicium suum. [7] & mihi gratissimum erit.

EPISTOLA XII.

CICERO BRUTO, S.

ETsi daturus eram Messalæ Corvino continuò litteras, tamen Veterem nostrum ad te sine litteris meis venire nolui. Maximo in discrimine respublica, Brute, versatur, victoresque rursus decertare cogimur. id accidit M. Lepidi scelere & amentia. Quo tempore cùm multa propter eam curam quam pro republica suscepi, graviter ferrem, tum nihil tuli gravius, quàm me non posse matris tuæ precibus cedere, non sororis. nam tibi, quod mihi plurimi est, facilè me satisfacturum arbitrabar. Nullo enim modo poterat causa Lepidi [1] distingui ab Antonio: omniumque

5. *Et dignitatem, si contigerit nostris consiliis exitus, quem optamus, perfructurus es.*] Sic jam pridem emendaram in meo codice: quam conjecturam multo nunc magis amplector, cum idem Paulo Manutio placere video. Admonui autem in comment. Lucretianis veteres conjungere solitos verbum, *perfruor*, cum accusandi casu. Lucret. lib. 3. *Omnia perfructus vitaï præmia marces.* Sed velim addi adjectivum *majorem*, ut hoc modo legatur, *& majorem dignitatem* &c. *Lambinus.* Gruterus putat voces, *perfuncturus*, vel *perfructurus es*, Ciceronis non esse. an sic, *quanto & majore animo gloriaque —— & dignitate &c. si cont. exitus quem optamus.*

6. *Perfuncturus es.*] Pal. tert. à manu emendatrice, *perfunctus es.* P. Manutius conjecit, *perfructurus es*; quod recepit Lambinus, præter libros. mihi binæ istæ voculæ videntur librarii potius alicujus quàm Tullii. *Grut.*

7. *Et mihi gratissimum erit.*] Lambinus, *id mihi*, quod & reperi in Pal. quarto. *Idem.*

Et mihi gratissimum erit.] Romanus, Antónianus, *id mihi.* Malasp.

1. *Distingui ab Antonio.*] Lambiniana, *ab Antonii*: non malè, nisi contrairent vetustius cusi, & MS. nostri. *Grut.*

que judicio etiam durior erat, quòd, cùm honoribus amplissimis à senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis antè diebus præclaras litteras ad senatum misisset: repentè non solùm recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra marique gerit: cujus exitus qui futurus sit, incertum est. Itaque cùm rogamur ut misericordiam liberis ejus impertiamus, nihil affertur quò minùs summa supplicia, si (quod Jupiter omen avertat!) pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec verò me fugit, quàm sit acerbum, parentium scelera filiorum pœnis lui. Sed hoc præclarè legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is qui Lepidum hostem judicat. Atque ille si, armis positis, de vi damnatus esset, quo in judicio certè defensionem non haberet, eandem calamitatem subirent liberi, bonis publicatis. quamquam quod tua mater, & soror deprecatur pro pueris, idipsum & multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, & reliqui hostes denuntiant. Itaque maximam spem hoc tempore habemus in te atque exercitu tuo. Cùm ad reipublicæ summam, tum ad gloriam & dignitatem tuam vehementer pertinet, te in Italiam, ut antè scripsi, venire quamprimùm. Eget enim vehementer cùm viribus tuis, tum etiam consilio respublica. Veterem pro ejus erga te benevolentia singularique officio libenter ex tuis litteris complexus sum: eumque cùm tui, tum reipublicæ studiosissimum amantissimumque cognovi. Ciceronem meum propediem, ut spero, videbo. [2] tecum enim illum & te in Italiam celeriter esse venturum confido,

EPI-

2. *Tecum enim illum, & te in Italiam cel. esse vent. conf.*] Lambinus omisit *&* *te* ut supervacuas. P. Manutius mutabat in *esse*, delebatque alterum *esse*, quod mox sequebatur. nostri nihil variant, nisi quod quart. non agnoscat *te*, retinueritque solùm *&*. *Grut.*

EPISTOLA XIII.

BRUTUS CICERONI, S.

DE M. Lepido vereri me cogit reliquorum timor: [1] qui si eripuerit se nobis (quod velim temerè atque injuriosè de illo suspicati sint homines) oro atque obsecro te, Cicero, necessitudinem nostram tuamque in me benivolentiam obtestans, sororis meæ liberos obliviscaris esse Lepidi filios, meque his in patris locum successisse existimes. hoc si à te impetro, [2] nihil profectò dubitabis pro his suscipere. Aliter alii cum suis vivunt. [3] nihil ego possum in sororis meæ liberis facere, quo possit expleri voluntas mea aut officium. Quid verò aut mihi tribuere boni possunt, si modò digni sumus quibus aliquid tribuatur: aut ego matri, ac sorori, puerisque illis præstaturus sum, si nihil valuerit apud te reliquumque senatum, contra patrem Lepidum Brutus avunculus? Scribere multa ad te neque possum præ sollicitudine ac stomacho, neque debeo. Nam si in tanta re tamque necessaria verbis mihi opus est ad te excitandum & confirmandum: nulla spes est, facturum te quod volo, & quod oportet. Quare noli exspectare longas preces. intuere meipsum, [4] qui hoc à te, vel à Cicerone conjunctissimo ho-

1. *Qui si eripuerit se nobis.*] Gulielmius adnotat forsan legendum *bonis.* Idem.

2. *Nihil profectò dubitabis pro his suscipere.*] Pal. pr. item Wouverianus notatus littera T. *pro me suscipere.* Idem.

Nihil profecto dubitabis pro his suscipere. Aliter] In libro qui fuit Leoniceni scriptum est, *nihil profecto dubitabis pro me suscipere; quod ad salutem* eorum pertineat. *Ursinus.*

3. *Nihil ego non possum in sororis meæ liberos facere.*] Sic est legendum. negatio enim aberat ab omnibus libris ante verbum, *possum. Lambinus.* non recte, ut puto, Lambinus. sic accipe, *nihil ego possum facere, quo possit expleri*, id est, *quicquid fecero, minus erit voluntate mea atque officio. nihil possum pro iis facere aut suscipere, quo possit expleri.*

Nihil ego possum in sororis.] Reclamantibus MS. libris, intrusit Lambinus negativam, *nihil ego non possum &c.* quæ licentia? *Grut.*

4. *Qui hoc a te vel ab Cic.*] Voculæ *a te* non erant in Balliolensi codice, & magnifice magis extollitur oratio, si absint. Sed Tullii manus consideretur. *Gron.*

homine privatim; vel à consulari tali viro remota necessitudine privata impetrare debeo. Quid sis facturus, velim mihi quamprimùm rescribas. Kalend. Quint. ex castris.

EPISTOLA XIV.

CICERO BRUTO, S.

BReves tuæ litteræ: breves dico? immò nullæ. tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me? [1] nihil scripsissem potiùs. & requiris meas. Quis umquam ad te tuorum sine meis venit? Quæ autem epistola non pondus habuit? Quæ si ad te perlatæ non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni scribis te longiorem daturum epistolam. rectè id quidem: sed hæc quoque debuit esse plenior. Ego autem cùm ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi tabellarios, litterasque ad Ciceronem; ut, etiam si in Italiam venisset, ad te rediret. nihil enim mihi jucundius, nihil illi honestius. quamquam aliquoties ei scripseram, sacerdotum comitia, mea summa contentione in alterum annum esse rejecta: quod ego cùm Ciceronis causa elaboravi, tum Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam scripseram. Sed videlicet cùm illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omni studio à te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, [2] tecumque adducas: quod ipsum, si rempublicam, cui susceptus es, respi-

1. *Nihil scripsissem potius.*] Placet Faerni conjectura, qui *scripsisse* putabat legendum. *Ursinus.* post paulo forte, *litterasque ad Ciceronem* misi, *ut.* & postea, *quam sint & incerti animi hominum infecti partibus.*

2. *Tecumque adducas.*] Editio Juntæ *deducas*, Balliolensis MS. *tecumque ducas.* Utrumvis certe probabilius vulgato, quum & illud sit proprium de provincia in Italiam redeuntibus; hoc satis eleganter, ut istud libr. III. ad Quintum ep. 3. *Eat nobiscum puerumque ducat.* IV. ad Attic. II. *Ego mecum præter Dionysium duxi neminem.* Gron.

respicis, tibi jam jamque faciendum est. [3] renatum enim bellum est: idque non parvo scelere Lepidi. Exercitus autem Cæsaris, qui erat optimus, non modò nihil prodest, sed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui si Italiam attigerit, erit civis nemo (quem quidem civem appellari fas sit) qui se non in tua castra conferat. etsi Brutum præclarè cum Planco conjunctum habemus. sed non ignoras, quàm sint incerti animi hominum & infecti partibus, & exitus prœliorum. Quin etiam, si, ut spero, vicerimus, tamen [4] magnam gubernationem tui consilii tuæque auctoritatis res desiderabit. Subveni igitur, per deos, idque quamprimùm; tibique persuade, non te idibus Martiis, quibus servitutem à tuis civibus repulisti, plus profuisse patriæ, quàm, si maturè veneris, profuturum. II. idus Quint.

EPISTOLA XV.

CICERO BRUTO, S.

Messalam habes. Quibus igitur litteris tam accuratè scriptis assequi possum, subtiliùs ut explicem, quæ gerantur, quæque sint in republica, quàm tibi is exponet, qui & optimè omnia novit, & elegantissimè expedire & deferre ad te potest? Cave enim existimes, Brute, (quamquam non est necesse ea me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio præterire) cave putes, probitate, constantia, cura, studio reipublicæ quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad

3. *Renatum enim bellum est, idque non parvo scelere Lepidi.*] Assentior Gulielmio autumanti legendum, *ut parvum.* Grut.

4. *Magnam gubernationem tui consilii.*] Suspectum mihi, *magnam gubernationem*, tanquam adpictum ad aliam quam vocem verè Ciceronis. *Idem.*

ad laudandum habere videatur. [1] quamquam in hac ipsa, sapientia plus apparet, ita gravi judicio multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, [2] tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est) gratia habenda videatur. Sed provehor amore. non enim id propositum est huic epistolæ, Messalam ut laudem, præsertim ad Brutum, cui & virtus illius non minùs, quàm mihi, nota est, & hæc ipsa studia, quæ laudo, notiora: quem cùm à me dimittens graviter ferrem, hoc levabar uno, quòd ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens, & officio fungebatur, [3] & laudem maximam sequebatur. Sed hæc hactenus. Venio nunc longo sanè intervallo ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens, unum reprehendebas, quòd in honoribus decernendis essem nimius, & tamquam prodigus. Tu hoc: alius fortasse, quòd in animadversione pœnaque durior; [4] nisi fortasse utrumque tu. Quod si ita est, utriusque rei meum judicium tibi cupio esse notissimum: neque solùm, ut Solonis dictum usurpem, qui [5] & sapientissimus

1. *Quanquam in hac ipsa sapientia plus apparet.*] Faernus legebat *sapientiæ* pro *sapientia*, longe meliore sententia. *Ursinus.*

2. *Tantumque evigilat in studio.*] Gulielmius margini adscripsit, legendum videri, *vigilat*. Grut.

3. *Et laudem maximam sequebatur.*] Err. Stephanus legendum censet, *assequebatur*, seu, *consequebatur*. quod non improbo, sed tamen lectionem receptam non muto. *Lambinus.*

4. *Nisi fortasse utrumque tu.*] Prorsus rarum est, & haud scio an singulare, ut cum *nisi*, *fortasse*, non autem *forte*, jungatur. Illa enim, *forsan*, *forsitan*, *fortasse*, *fortassis*, vim habent eam ut quibus addantur, ea fieri posse ut evenerint, eveniant: hoc est, eventus facultatem significent. *Forte* vero, ipsius eventus casum. Itaque vel his tantum jungitur, quæ fortuito contingunt, ut in illo Terentii And. *Forte, ita ut fit, filium perduxere*; vel dictionibus fortuitum casum significantibus: cujusmodi illæ sunt, *si*, *ne*, *nisi*. Cic. 1, Verrina. *Siquis vestrum forte miratur*; Item II. de Orat. *Ne forte hôc magnum & mirabile videatur*. Pro Flacc. *Nisi forte*. Quo modo hic suspicor esse legendum, ut proximum superius *fortasse*, hujus occasionem dederit supinis scriptoribus. *Malasp.*

Nisi forte utrumque tu.] Sic legendum libris omnibus invitis. sic enim loquuntur Latini, *si forte*, *nisi forte*, nunquam, *nisi fortasse*, quod & Malaspina observavit. *Lambinus.*

5. *Et sapientissimus è septem.*] Lectionem istam eruit è fidelissimo exemplari & tuetur libro XXIV. Var. lect. cap. 7. P. Victorius. pervulgata enim, *& sapiens unus è septem*. Grut.

Qui sapientissimus fuit ex septem.] Magis placet ut est in MS. *qui & sapiens fuit unus ex septem*. *Ursinus.*

ſimus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem; Is rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna. eſt ſcilicet utriuſque rei modus, ſicut reliquarum, & quædam in utroque genere mediocritas: ſed non tanta de re propoſitum eſt hoc loco diſputare. Quid ego autem ſecutus hoc bello ſim in ſententiis dicendis, aperire non alienum puto. Poſt interitum Cæſaris, & veſtrás memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego prætermiſſum à vobis, quantamque impendere reipublicæ tempeſtatem dixerim, non es oblitus. Magna peſtis erat depulſa per vos, magna populi Romani macula deleta: vobis verò parta divina gloria: ſed inſtrumentum regni delatum ad Lepidum & Antonium: quorum alter inconſtantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus perturbandæ reipublicæ cupiditate, quod opponi poſſet præſidium, non habebamus. Erexerat enim ſe civitas in retinenda libertate conſentiens. Nos tum nimis acres: [6] vos fortaſſe ſapientiùs exceſſiſtis urbe ea, quam liberaratis: Italiæ ſua vobis ſtudia profitenti remiſiſtis. Itaque cùm teneri urbem à parricidis viderem, nec te in ea nec Caſſium tutò eſſe poſſe, eamque armis oppreſſam ab Antonio: mihi quoque ipſi eſſe excedendum putavi. Tætrum enim ſpectaculum, oppreſſa ab impiis civitas, opitulandi poteſtate præciſa. Sed animus idem, qui ſemper infixus eſt in patriæ caritate, diſceſſum ab ejus periculis ferre non potuit. itaque in medio Achaico curſu, cùm Eteſiarum diebus Auſter me in Italiam, quaſi diſſuaſor mei conſilii, retuliſſet, te vidi Veliæ, doluique vehementer. Cedebas enim, Brute, cedebas,

6. *Vos fortaſſe ſapientius exceſſiſtis urbe ea, quam liberaratis.*] Ita jam præceſſit in epiſt. 10. Sed hîc Balliol. MS. *quam liberaſtis*, ut τὸ *quam* haberi velit loco adverbii, ut ſemper Cicero cædem Antonii inconſulte omiſſam & ubique objicit. *Gron.*

bas, quoniam [7] Stoici nostri negant fugere sapientis. Romam ut veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementiæ: quem cùm in me incitavissem, consilia inire cœpi Brutina planè (vestri enim hæc sunt propria sanguinis) reipublicæ liberandæ. Longa sunt, quæ restant, prætereunda: sunt enim de me: tantùm dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti à me honores nulli quidem, Brute, nisi debiti: nulli, nisi necessarii. Ut enim primùm libertatem revocare cœpimus, cùm se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commovisset ut jam id scire possemus: atque omne præsidium esset in puero, qui à cervicibus nostris avertisset Antonium: [8] quis honos ei non fuit decernendus? quamquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. Decrevi etiam imperium: quod quamquam videbatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid enim est sinè imperio exercitus? Statuam Philippus decrevit, celeritatem petitionis primò Servius, pòst majorem etiam Servilius. nihil tum nimium videbatur. Sed nescio quomodo faciliùs in timore benigni, quam in victoria [9] grati reperimur. Ego enim, D. Bruto liberato, cùm lætissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset: decrevi ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur. in eoque

sum

7. *Stoici nostri.*] Sic MS. nostri omnes editioque Victorii. aliæ pleræque *vestri*. Grut.

Stoici nostri negant fugere sapientis.] Potius, *vestri*.

8. *Quis honos ei fuit decernendus.*] Sic edidit Gruterus, eumque more solito sequuntur inertes posteri. At ego opinatus vitio typorum excidisse voculam *non*, quæ est in prioribus editis, haberurque etiam in Balliol. MS. eam reposui. *Gron.*

9. *Grati reperimur.*] Omnino *reperiuntur* legendum puto; ut est scriptum in libris antiquis. nam subintellig. *homines*, quod est usitatissimum scriptoribus omnibus & Græcis & Latinis. *Lambinus.*

Grati reperimur.] Pall. nostri accedunt Manutianis MS. & Lambinianis, in quibus *reperiuntur*. Grut.

ſum majorum exemplum ſecutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro facere ſoletis. quod ego cùm dabam Bruto, [10] notam eſſe in faſtis gratiſſimæ victoriæ ſempiternam volebam. atque illo die cognovi paullo plures in ſenatu malivolos eſſe quàm gratos. Eos per ipſos dies effudi (ſi ita vis) honores in mortuos Hirtium & Panſam, Aquilam etiam. quod quis reprehendit, niſi qui, depoſito metu, præteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficii memoriam gratam ratio illa, quæ etiam poſteris eſſet ſalutaris. Exſtare enim volebam in crudeliſſimos hoſtes monumenta odii publici ſempiterna. Suſpicor illud minùs tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, ſed in republica rudibus, non probatur, quòd, ut ovanti introire Cæſari liceret, decreverim. Ego autem (ſed erro fortaſſe: [11] nec tamen is ſum, ut mea me maximè delectent) nihil mihi videor hoc bello ſenſiſſe prudentiùs. Cur autem ita ſit, aperiendum non eſt, ne magis videar providus fuiſſe quàm gratus. hoc ipſum nimium. quare alia videamus. D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco. Præclara illa quidem ingenia, quæ gloria invitantur: ſed ſenatus etiam ſapiens, qui, qua quemque re putat, modò honeſta, ad rempublicam juvandam poſſe adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui cùm ſtatuam in roſtris ſtatuiſſemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore ſtuduimus à furore revocare. vicit amentia leviſſimi hominis noſtram prudentiam. nec ta-

10. *Notam eſſe in faſtis gratiſſimæ victoriæ ſempiternam volebam.*] Deleta voce, *memoriam*, quæ ab aliquo ſemidocto, ut Manutius rectè judicat, fuerat inculcata, ſic edendum curavi. ſic autem dictum, *notam ſempiternam*, ut *ſempiternum monumentum* & ſimilia. *Lambinus.*

Notam eſſe in faſtis gratiſſimæ victoriæ ſempiternam volebam.] Olim editi, *ſempiternam memoriam volebam.* ſed intermedia vox in nullo viſitur Palatino, non magis quàm Manutianis. *Grut.*

11. *Nec tamen is ſum.*] Ineptè Lambinus, *nec enim is ſum*; & contra editos calamoque exaratos codices; quamvis pedibus iverit in ſententiam ejus Gulielmius. *Grut.*

tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda, boni. Satis multa de honoribus. nunc de pœna pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis sæpe litteris, te in iis, quos bello devicisti, clementiam tuam velle laudari. Existimo equidem nihil à te, nisi sapienter. Sed sceleris pœnam prætermittere (id enim est quod vocatur ignoscere) etiam si in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. Nullum enim bellum civile fuit in nostra republica omnium, quæ memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracumque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura reipublicæ. hoc bello victores quam rempublicam simus habituri, non facilè affirmarim: victis certe nulla umquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum severas: neque tam ulciscendi causa, quàm ut & in præsens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem: & [12] in posterum, documentum statuerem, nequis talem amentiam vellet imitari. quamquam hæc quidem sententia, non magis mea fuit, quàm omnium. In qua videtur illud esse crudele, quòd ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit. Sed id & antiquum est, & omnium civitatum: siquidem etiam [13] Themistocli liberi eguerunt. &, si judicio damnatos eadem pœna sequitur cives, qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autem queri potest quisquam de me, qui si vicisset, acerbiorem se in me futurum fuisse confiteatur necesse est? Habes rationem mea-

12. *In posterum documentum statuerem.*] Vox *documentum*, suspecta mihi, tanquam à scriba potius, quàm Tullio. *Grut.* An potuit vir optimis scriptoribus ita adsuetus tale quid suspicari, nedum manu sua profiteri? Nos illi non obsequimur, quos meliora docuit pater in libro IV. observationum cap. XI. *Gronov.*

13. *Themistoclis liberi eguere.*] Explicat Cælius Rhodiginus libro XIV. Antiquar. Lect. cap. 12. *Grut.* Sed quum Gruterus in prioribus adeo se studiosum nitoris Tulliani declaraverit, cur nunc sic edit, quum Rob. Stephanus & Antonius Juntas ex Victoria jam exhibuerint *Themistocli*, quod sine dubio secutus fui. Mox etiam iidem *quid autem queri potest quisquam de se*, ubi queri est deplorare. *Idem.*

meârum sententiarum, de hoc genere duntaxat honoris & pœnæ. Nam de ceteris rebus quid senserim, quidque censuerim, audisse te arbitror. Sed hæc quidem non ita necessaria. illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quàm primùm. summa est exspectatio tui: [14] quod si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. Sive enim vicerimus: (qui quidem pulcherrimè viceramus, nisi Lepidus perdere omnia, & perire ipse cum suis concupivisset) tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum: sive etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est cùm in auctoritate tua, tum in exercitus tui viribus. Sed propera, per deos. scis enim, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate. Sororis tuæ filiis quàm diligenter consulam, spero te ex matris & ex sororis litteris cogniturum. qua in causa majorem habeo rationem tuæ voluntatis, quæ mihi carissima est, quàm, ut quibusdam videor, constantiæ meæ. sed ego nulla in re malo quàm te amando constans & esse & videri.

EPISTOLA XVI.

BRUTUS CICERONI, S.

PArticulam litterarum tuarum, quas misisti Octavio, legi, missam ab Attico mihi. Studium tuum curaque de salute mea nulla me nova voluptate affecit. Non solùm enim usitatum sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorificè dixeris aut feceris. At dolore, quantum animo maximum capere possum, eadem illa pars epistolæ scriptæ ad Octavium de nobis, affecit. Sic

14. *Qui si Italiam attigeris.*] Plane id non probo præ illo, quod est in Balliol. MS. & iisdem editis, *quod si*, usitatissimæ apud Latinos & Tullium elegantiæ pleonasmo. Unde id recepi. *Grævr.*

Sic enim illi gratias agis de republica, tam suppliciter ac demisse, (quid scribam? pudet conditionis ac fortunæ: sed tamen scribendum est. Commendas nostram salutem illi, quæ morte qua non perniciosior?) ut prorsus præ te feras, non sublatam dominationem, sed dominum commutatum esse. Verba tua recognosce, & aude negare, servientis adversus regem istas esse preces. Unum ais esse, quod ab eo postuletur & exspectetur: ut eos cives, de quibus viri boni populusque Romanus bene existimet, salvos velit. Quid si nolit? non erimus? Atqui, non esse, quàm esse per illum, præstat. Ego, medius fidius, non existimo tam omnes deos aversos esse à salute populi Romani, ut Octavius orandus sit pro salute cujusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. Juvat enim magnificè loqui: & certè decet, adversus ignorantes, quid pro quoque timendum, aut à quoque petendum sit. Hoc tu, Cicero, posse fateris Octavium, & illi amicus es? aut, si me carum habes, vis Romæ videri; cùm, ut ibi esse possem, commendandus puero illi fuerim? Cui quid agis gratias, si, ut nos salvos esse velit & patiatur, rogandum putas? An hoc pro beneficio est habendum, quòd se, quàm Antonium, esse maluerit, à quo ista petenda essent? [1] Vindici quidem alienæ dominationis, non vicario, ecquis supplicat, ut optimè meritis de republica liceat esse salvis? Ista verò imbecillitas & desperatio, cujus culpa non magis in te residet quàm in omnibus aliis, & Cæsarem in cupiditatem regni impulit, & Antonio post interitum illius persuasit ut interfecti locum occupare conaretur: & nunc puerum istum extulit, ut tu judicares precibus esse impetrandam

1. *Vindici illi quidem.*] Veteres codices, *vindici quidem alienæ dominationis* &c. quia tamen hunc locum suspectum habemus, consuetam notam adposuimus. Alii, ut planior sententia esset, *supplica* de suo addiderunt, leguntque *supplica illi quidem*. Victorius.

dam salutem talibus viris: misericordiaque unius vix etiam nunc viri tutos fore nos, haud ulla alia re. Quòd si Romanos nos esse meminissemus, non audaciùs dominari cuperent postremi homines [2] quàm id nos prohiberemus: neque magis irritatus esset Antonius regno Cæsaris, quàm ob ejusdem mortem deterritus. Tu quidem consularis & tantorum scelerum vindex (quibus oppressis vereor ne in breve tempus dilata sit abs te pernicies) qui potes intueri quæ gesseris, simul & ista vel probare, vel ita demissè ac facilè pati, ut probantis speciem habeas? Quod autem tibi cum Antonio privatum odium? nempe quia postulabat hæc, salutem ab se peti: precariam nos incolumitatem habere, à quibus ipse libertatem accepisset: esse arbitrium suum de republica. Quærenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur: scilicet, ut illo prohibito, rogaremus alterum, qui se in ejus locum reponi pateretur, an ut esset sui juris ac mancipii respublica? nisi fortè non de servitute, sed de conditione serviendi recusatum est à nobis. Atqui non solùm bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiam beneficiis atque honoribus, ut participes, frui quantis vellemus. quid enim neget iis, quorum patientiam videret maximum suæ dominationis præsidium esse? Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram & libertatem. Hic ipse puer, quem Cæsaris nomen incitare videtur in Cæsaris interfectores, quanti æstimet (si sit commercio locus) posse, nobis auctoribus, tantum, quantum profectò poterit, quoniam vivere, & pecunias habere, & dici consulares volumus? ceterùm nequicquam perierit ille: cujus interitu quid gavisi sumus, si mortuo nihilo

2. *Quam id nos prohiberemus.*] Sic integrum edidi, quod erat in MS. & editis vetustis, unde Gruteriana prætermisit voculam *id*, & in ea imitanda cæcos videas posteriores. Mox *non de servitute, sed de conditione serviendi*, geminata particula exhibui ex editis priscis & MS. Balliol. *Grem.*

hilo minùs servituri eramus? [3] Nulla cura adhibeatur. Sed mihi priùs omnia dii deæque eripuerint, quàm illud judicium, quo non modò heredi ejus quem occidi non concesserim quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reviviscat, ut, patiente me, plus legibus ac senatu possit. An hoc tibi persuasum est, fore ceteros ab eo liberos, quo invito nobis in ista civitate locus non sit? Quî porrò id, quod petis, fieri potest, ut impetres? Rogas enim velit nos salvos esse. Videmur ergo tibi salutem accepturi, cùm vitam acceperimus? quam, si priùs dimittimus dignitatem & libertatem, quî possumus accipere? An tu Romæ habitare, id putas incolumem esse? Res non locus oportet præstet istuc mihi. neque incolumis fui Cæsare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus: neque usquam exsul esse possum, dum servire & pati contumelias pejus odero malis omnibus aliis. [4] Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, quum ab eo, qui tyranni nomen ascivit sibi, (cùm in Græcis civitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur) petitur, ut vindices atque oppressores dominationis salvi sint? Hanc ego civitatem videre velim, aut putem ullam, quæ ne traditam quidem at-

3. *Nulla cura adhibeatur.*] Sic habent omnes libri & vulgati & manuscripti. quibus invitis quidam legi volunt, *nulla cura adhibetur*; quos olim secutus sum. nunc vulgatam lectionem retineo, atque hæc verba sic accipio, ut sit concessio quædam stomachosa, hoc modo: *faciant, quod volent, alii, nullam curam adhibeant, & servitutem æquo animo patiantur. Mihi vero prius omnia* &c. *Lambinus.*

Nulla cura adhibeatur.] Pall. omnes *adhibetur*: etiam duo præterea addunt, *Nulla cura ab aliis adhibetur*, quod & in Aldina vetere. filius ejus secundum admisit; *Nulla cura adhibetur*, quod injuriè suggillat Lambinus, tamquam nullis suffultum manuscriptis. *Gruter.*

4. *Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, quum ab eo.*] Ita suppleverunt, qui putabant hiatum esse, quum τὸ *quum* non legatur vel in MS. Balliol. vel in Victorianis tam Antonii Juntæ quam Rob. Stephani exemplaribus. Et certe si suppleri deberet, lenius interponi poterat τὸ *si*, quasi absorptum ab præcedente *recidisse*. Sed cur talia inculcantur? Oratio est plenissima. *Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse?* Hoc quod agis, quodque nunc tibi propono, plane eandem miseriam continet ac secum trahit, quæ modo nos ante Idus Martias premebant? Quid illud? nempe *ab eo, qui tyranni nomen adscivit sibi . . . petitur, ut* &c. Aperio auctoritatem meam: sed ut nunc est, reliqui vulgatum. *Gronov.*

atque inculcatam libertatem recipere poſſit? plusque timeat in puero nomen ſublati regis quàm confidat ſibi, cùm illum ipſum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute ſublatum videat? Me verò poſthac ne commendaveris Cæſari tuo: ne te quidem ipſum, ſi me audies. [5] Valdè carè æſtimas tot annos quot iſta ætas recipit, ſi propter eam cauſam puero iſti ſupplicaturus es. Deinde quod pulcherrimè feciſti ac facis in Antonio, vide ne convertatur à laude maximi animi ad opinionem formidinis. Nam ſi Octavius tibi placet, à quo de noſtra ſalute petendum ſit: non dominum fugiſſe ſed amiciorem dominum quæſiſſe videberis. Quem quòd laudas ob ea, quæ adhuc fecit, planè probo. ſunt enim laudanda, ſi modò contra alienam potentiam, non pro ſua ſuſcepit eas actiones. Cùm vero judicas, tantum illi non modò licere ſed etiam à te ipſo tribuendum eſſe, ut rogandus ſit ne nolit eſſe nos ſalvos, nimiùm magnam mercedem ſtatuis. Id enim ipſum illi largiris, quod per illum habere videbatur respublica. Neque hoc tibi in mentem venit, ſi Octavius ullis dignus ſit honoribus quia cum Antonio bellum gerat, iis, qui illud malum exciderint cujus iſtæ reliquiæ ſunt, nihil, quo expleri poſſit eorum meritum, tributurum unquam populum Romanum, ſi omnia ſimul congeſſerit. At vide, quanto diligentiùs homines metuant, quàm meminerint, quia Antonius vivat, atque in armis ſit. De Cæſare verò, quod fieri potuit ac debuit, transactum eſt: [6] neque jam revocari in integrum poteſt. Octavius is eſt, qui quid de nobis judicaturus ſit, exſpectet populus Romanus? nos hi ſumus, de quorum ſa-

5. *Valde care æſtimas tot annos quot.*] Id eſt, *tam paucos annos, quam paucos ætas iſta capere poteſt.* Nam cum ſis annos natus fere ſexaginta tres, breve tibi vitæ ſpatium ſupereſſe neceſſe eſt. *Lambinus.*

6. *Neque jam revocari in integrum poteſt.*] Ita quidem edd. poſteriores. verum priores, *provocari*, quod & in quatuor Pall. neutram lectionem habuerim pro genuina. *Grut.*

ſalute unus homo rogandus videatur? Ego verò, ut iſtuc revertar, is ſum, qui non modò non ſupplicem, ſed etiam coerceam poſtulantes, [7] ut ſibi ſupplicetur. Aut longè a ſervientibus abero, [8] mihique eſſe judicabo Romam, ubicumque liberum eſſe licebit: ac veſtri miſerebor, quibus nec ætas, neque honores, neque virtus aliena dulcedinem vivendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus eſſe videbor, ſi modò conſtanter ac perpetuò placebit hoc conſilium, ut relatam putem gratiam pietati meæ. Quid enim eſt melius quàm memoria recte factorum, & libertate contentum negligere humana? Sed certè non ſuccumbam ſuccumbentibus, nec vincar ab iis qui ſe vinci volunt: experiarque & tentabo omnia, neque deſiſtam abſtrahere à ſervitio civitatem noſtràm. Si ſecuta fuerit, quæ debet, fortuna, gaudebimus omnes: ſin minùs, ego tamen gaudebo. quibus enim potiùs hæc vita factis aut cogitationibus traducatur, quàm iis quæ pertinuerint ad liberandos cives meos? Te, Cicero, rogo atque hortor, ne defatigere, neu diffidas: ſemper in præſentibus malis prohibendis, futura quoque, niſi antè ſit occurſum, explores, ne ſe inſinuent. Fortem & liberum animum, quo & conſul & nunc conſularis rempublicam vindicaſti, ſine conſtantia & æquabilitate nullum eſſe putaris. Fateor enim duriorem eſſe conditionem ſpectatæ virtutis quàm incognitæ. Benefacta pro debitis exigimus. [9] quæ ſi aliter eveniunt, ut decepti ab his, infeſto ani-

7. *Ut ſibi ſupplicetur.*] Videri queant à liberali manu librariorum. ſanè Pal. ſec. ac tert. *ne ſibi ſuppl.* Grut.

8. *Mihique eſſe judicabo Romam.*] Forte, *ibique* eſſe, cum Lambino; idem, *libero eſſe licebit.*

Mihique eſſe judicabo Romam &c.] Gulielmius conjiciebat, *inibique eſſe*; non abſurde. Lambinus ediderat *ibique*, proculdubio etiam ab ingenio. Grut.

9. *Quæ ſi aliter eveniunt &c.*] Abeſt a meis conjunctio *ſi*: & quidem omnibus: nec dubito quin recte. Neque enim *quæ*, benefacta refert, ſed infinite accipitur; hoc modo, *quæ aliter ac volumus atque oportet eveniunt, infeſto animo reprehendimus: ita ut benefactis nullam gratiam habeamus, ſed ea tanquam debita exigamus: quæ ſecus eveniunt, iniquo animo reprehendimus.* Vel *aliter*, male ſignificat, ut ad Atticum li-

animo reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna laude dignum est, tamen quia ille consul hunc consularem meritò præstare videtur, nemo admiratur. Idem Cicero si flexerit adversus alios judicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modò reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam præterita evanescere coget. Nihil enim per se amplum est, nisi in quo judicii ratio exstat. Quia neminem magis decet, quàm te, rempublicam amare, libertatisque defensorem esse, vel ingenio, rebus gestis, vel studio atque efflagitatione omnium. Quare non Octavius est rogandus ut velit nos salvos esse: magis tu te exsuscita, ut eam civitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putes, si modò sint populo duces ad resistendum improborum consiliis.

EPISTOLA XVII.

BRUTUS ATTICO, S.

SCribis mihi mirari Ciceronem quòd nihil significem umquam de suis actis. Quoniam efflagitas, coactu tuo scribam quæ sentio. Omnia fecisse Ciceronem optimo animo, scio. quid enim mihi exploratius esse potest, quàm illius animus in rempublicam? Sed quædam mihi videtur, quid dicam? imperitè vir

libro VII. *Illum aliter cum aliis locutum esse audiebam.* Quo sensu etiam *secus* accipitur. Idem Thoranio, lib. epist. ad Torquatum. *Magna enim consolatio est, cum recordare, etiam si secus acciderit, te tamen recte vereque sensisse.* In sequenti autem sententia, *Ille Consul, & hunc consularem.* Ad unum Ciceronem, & *ille* & *hunc*, debent referri. Non miramur inquit Ciceronem resistere Antonio. Id enim ab illo non solùm postulatur, sed ut debitum exigitur. Talis enim in Consulatu fuit, ea gessit, ut nisi nunc consularis eadem præstet, illa videatur casu fecisse, nec dignitatem suam tueatur. Quare, si paululum offenderit, remissiorque ac dissolutior fuerit, etiam futuri temporis gloriam eripuerit sibi, & præteriti extinxerit; quasi non judicio illa sed casu quodam fecerit. Nihil autem per se amplum est, nisi in quo judicii ratio extet. *Malasp.*

vir omnium prudentissimus, an ambitiosè fecisse; qui valentissimum Antonium suscipere pro republica non dubitarit inimicum? Nescio quid scribam tibi, nisi unum; pueri & cupiditatem & licentiam potiùs esse irritatam quàm repressam à Cicerone: tantumque eum tribuere huic indulgentiæ ut se maledictis non abstineat, iis quidem quæ in ipsum dupliciter recidunt, quod & plures occidit uno, seque priùs oportet fateatur sicarium quàm objiciat Cascæ quod objicit: & imitatur in Casca Bestiam. An quia non omnibus horis jactamus idus Martias, similiter atque ille nonas Decembres suas in ore habet, eò meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quàm Bestia & Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antonii rogatus Cicero noster. quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur in Antonii locum successio: & si vindex illius mali auctor exstitit alterius fundamentum & radices habituri altiores, si patiamur? ut jam ista, [1] quæ facit, non dominationem, non, sed dominum Antonium timentis sint. Ego autem gratiam non habeo, si quis, dum ne irato serviat, rem ipsam non deprecatur: [2] immo triumphus & stipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur. [3] Pudeat concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit

1. *Quæ facit, non dominationem, non; sed dominum Antonium timentis sint.*] Hodie quidem sic legimus, sed contra vett. edd. & MS. Pall. in quibus nulla litera variante. *quæ facit, dominationem, an dominum, an Antonium timentis sint.* neque secus publicati à Victorio. *Grut.*

2. *Imo triumphus, & stipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur.*] Haud aliter quidem lectio vulgata. sed enim aliter MS Pal. pr. habet, *stipendium & omnibus decretis hortationis*, omisso illo *decernitur*, quod & reliquis fere abest. quippe sec. *Imò triumphum & stipendium & omnibus decretis hortationibus pudeat concupiscere &c.* quod & à prima manu in tertio, qui emendatum habet eodem atramento, *decretis ornatur. cùm pudeat.* at quartus exhibet. *Imò triumphus & stipendium decernitur, & om. decretis hortatur. cum pudeat.* omnes mendosè. *Grut.*

3. *Pudeat concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit an consularis an Cicero?*] Secutus sum utriusque scripturæ & vulgatæ & veteris vestigia; nihil de meo addidi, nisi quod *pudeat* quod est in vulgatis retinui, cum illi habeant, *pudet*. In eo præterea a ma-

perit consularis, ut Ciceronis est. Quoniam mihi tacere non licuit, leges quæ tibi necesse est molesta esse. Etenim ipse sentio, quanto cum dolore hæc ad te perscripserim: nec ignoro, quid sentias in republica; & quàm desperatam quoque sanari putes posse. Nec meherculè te, Attice, reprehendo. Ætas enim, mores, liberi, segnem efficiunt: quod quidem etiam [4] ex Flavio nostro perspexi. Sed redeo ad Ciceronem. Quid inter [5] Salvidenum, & eum interest? Quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli civilis. Quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam ejus, qui exercitum victorem habeat, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse? [6] An hoc ipsum ea re facit, quòd illi propter amplitudinem omnia jam ultroque

manuscript. discessi quod, *an Cicero* edendum curavi, pro *an Ciceronis est.* Non displicet mihi tamen amici cujusdam mei conjectura sic reponentis, *cujus nomen susceperit & consularis & Cicero.* Aliquanto post, Leonardum Malaspinam secutus sic edendum curavi: *Ego certe, quin cum ipsa re bellum geram* &c. *qua deterrear* &c. *Lambinus.*

Pudeat concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit Consularis, ut Ciceronis] Non abii à Victoriana editione firmata à Pal. sec tert. nam pr. & quart. *susceperit Consularis aut Ciceronis est.* Aldi vetus: *pudeat conspicere fortunam cujus nomen susceperis. Consularis hoc, an Ciceronis est?* nulla lectionum animo facit satis. nam Lambini; ne producere quidem libet, adeo fatua est. *Grut.*

4. *Ex Flavio nostro perspexi.*] Antonianus liber *in Flavio.* & probatur. ut se dicat Brutus Attici consilium perspexisse, non ex sermone Flavii, sed in facto Flavii: cum Atticus ab eo appellatus ut princeps esse vellet, privati ærarii C. Cæsaris, illius interfectoribus constituendi; prorsus negavit. Hoc totum scribitur a Nepote, in ipsius Attici vita. *Malasp.*

5. *Salvidenum.*] Opinor scribendum esse *Salvidienum.* a *Salvidia* enim familia *Salvidienus* nomen deductum est, ut a *Nasidia*, *Nasidienus.* & ita habent veteres lapides & libri. *Ursinus.*

6. *An hoc ipsum ea re facit,*] Manuscripti libri, *caresacit*: etsi novum verbum, non tamen contemnendum, quia visus est nobis valde considerandus, & huic etiam loco notam adposuimus, & quam habent meliores libri varietatem proposuimus. Non multo supra in hac ipsa epistola locus est non minus obscurus, & in antiquis codicibus valde perturbatus & mancus, quorum nos lectionem in medium proponemus, ut judicium faciant doctiores, sitne habendus & ipse inter depravatos. Est autem hic, *imo triumphus & stipendium & omnibus decretis hortationis: pudeat concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit consularis ut Ciceronis est.* Nos tantopere perversione horum verborum & defectu etiam conturbati sumus, ut quid dicamus non succurrat. *Victorius.* sic Lambinus, *immo triumphum & stipendium ei decernit, & omnibus eum decretis ornat. Pudeat* &c. vide Lambi. notam.

que deferenda putat? O magnam ſtultitiam timoris; id ipſum, quod verearis, ita cavere, ut, cùm vitare fortaſſe potueris, ultro arceſſas, & attrahas! Nimiùm timemus mortem, & exſilium, & paupertatem. hæc videntur Ciceroni ultima eſſe in malis: &, dum habeat à quibus impetret quæ velit, & à quibus colatur, ac laudetur; ſervitutem, honorificam modò, non aſpernatur: ſi quidquam in extrema ac miſerrima contumelia poteſt honorificum eſſe. Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, [7] referat omnia, laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, verba rebus eſſe contraria. Quid enim tam alienum ab humanis ſenſibus eſt, quàm eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero ſit? Atqui eò tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, ut ſit illi Octavius propitius. Ego verò jam iis artibus nihil tribuo, quibus ſcio Ciceronem inſtructiſſimum eſſe. Quid enim illi proſunt, quæ pro libertate patriæ, de dignitate, quæ de morte, exſilio, paupertate ſcripſit copioſiſſimè? Quanto autem magis illa callere videtur Philippus, qui privigno minùs tribuerit, [8] quàm Cicero alieno tribuat? Deſinat igitur gloriando etiam inſectari dolores noſtros. Quid enim noſtra, victum eſſe Antonium, ſi victus eſt, ut alii vacaret quod ille obtinuit? tametſi tuæ litteræ dubia etiam nunc ſignificant. Vivat hercule Cicero, qui poteſt, ſupplex & obnoxius, ſi neque ætatis, neque honorum, neque rerum geſtarum pudet. Ego certè, quin cum ipſa re bellum geram, hoc eſt, cum regno, & imperiis extraordinariis, & dominatione, & potentia, quæ ſupra leges ſe eſſe velit, nulla erit tam

7. *Referat omnia, laudet. &c.*] Peſſimè Lambinus, *referat et accepta omnia, laudet.* certè contra omnia MS. exemplaria. *Grut.*

8. *Quam Cicero alieno tribuat,*] Videntur *alieno tribuat*, nata in concilio ſcribarum. certè MS. noſtri variant, veluti teſtes in cauſa falſa; habentque *quàm Cicero, qui alieno trib.* aut, *quidem qui aliena tr.* Idem.

tam bona conditio serviendi, [9] qua deterrear, quamvis sit vir bonus, ut scribis, Antonius: quod ego numquam existimavi. Sed dominum, ne parentem quidem, majores nostri voluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quantum Ciceroni persuasum est [10] diligi ab Octavio: hæc ad te non scripsissem. Dolet mihi, quòd tu nunc stomacharis, amantissimus tum tuorum omnium, tum Ciceronis. sed persuade tibi, de voluntate propria mea nihil esse remissum, de judicio largiter. Neque enim impetrari potest, quin, quale quidque videatur ei, talem quisque de illo opinionem habeat. Vellem mihi scripsisses, quæ conditiones essent Atticæ nostræ. potuissem aliquid tibi de meo sensu perscribere. Valitudinem Porciæ meæ tibi curæ esse non miror. Denique quod petis, faciam libenter. nam etiam sorores me rogant. & hominem noro, & quid sibi voluerit.

EPISTOLA XVIII.

CICERO BRUTO, S.

Cum sæpe te litteris hortatus essem, ut quàm primùm reipublicæ subvenires, in Italiamque exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios: rogatus sum à prudentissima & diligentissima fæmina matre tua, cujus omnes curæ ad te referuntur, & in te consumuntur, ut venirem ad se a. d. IIX. kal. Sext. quod ego, ut debui, sine mora feci.

9. *Qua deterrear.*] Malè vulgata cum negativâ, *qua non deterrear*, contraque mentem auctoris & Pall. nostrorum, excluseratque etiam Victorius, & miror retentam à P. Manutio. *Grut.*

Qua non deterrear.] Negatio illa, in nullo meorum invenitur, quod argumento est, recte supra *quin* in Poggiano & Antoniano scriptum esse, illo & sensu & ordine. *Nulla erit tam bona condicio serviendi, qua ego deterrear, quin cum ipsa re bellum geram*, hoc est, *cum regno*, & quæ sequuntur. Valet autem *Deterrear*, *Avocer*, *Avertar*, *Repellar.* Etiam sententia, nisi fallor, non paulo melior est. *Malasp.*

10. *Diligi ab Octavio.*] Faerni liber, *diligi se ab Octavio.* Idem.

feci. Cùm autem venissem, Casca aderat, & Labeo, & Scaptius. At illa retulit: quæsivitque, quidnam mihi videretur: arcesseremusne te atque id tibi conducere putaremus, an tardare & commorari te melius esset. Respondi id quod sentiebam & dignitati & existimationi tuæ maximè conducere, te primo quoque tempore ferre præsidium [1] labenti & inclinatæ reipublicæ. Quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? & in quo incolumis imperator, honoribus amplissimis fortunisque maximis, conjuge, liberis, vobis affinibus ornatus, bellum reipublicæ indixerit? Quid dicam in tanto senatus populique consensu, cùm tantum resideat intra muros mali? maximo autem, cùm hæc scribebam, afficiebar dolore, quòd cùm me pro adolescentulo ac pænè puero respublica accepisset vadem, [2] vix videbar, quod promiseram, præstare posse. Est autem gravior & difficilior animi & sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ, obligatio. Hæc enim solvi potest, & est rei familiaris jactura tolerabilis. reipublicæ quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facilè patitur, pro quo spoponderis? quamquam & hunc (ut spero) tenebo multis repugnantibus. videtur enim in eo esse indoles; sed flexibilis ætas, multique ad depravandum parati: qui, splendore falsi honoris objecto, [3] aciem boni ingenii præ-

1. *Labenti & inclinatæ reipubl.*] MS. Balliol. auctior *& pene inclinatæ reip.* quam vocem habent & Victorii editiones. Nec sane aliud est, quod libro 11. epist. 19. usurpavit, *qui ab excitata fortuna ad inclinatam & prope jacentem desciscerem.* Gronov.

Et inclinatæ reip.] Manuscripti nostri, *& inclinatæ pene reip.* Utra melior lectio, non habeo dicere. *Malasp.*

2. *Vix videbar, quod promiseram, præstare posse.*] Verbum posterius non est in Balliolensi codice: & ut putem abesse oportere, nec Ciceronis esse, facit iterata toties hujus consuetudo, præsens illud tempus pro futuro adhibentis. *videbar præstare*, id est, præstiturus. *Gronov.*

3. *Aciem boni ingenii præstingui.*] Tot jam locis & toties docuimus sic esse legendum in talibus locis, ut verear ne videar diffidere ingenio lectoris. Verumtamen quia tanta est in plerisque pervicacia & contumacia, ut quæ semel

præstringi posse confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis. quamquam quæ temeritas est? magis enim illum, pro quo spopondi, [4] quàm me obligavi. Nec verò pœnitere potest rempublicam me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis cùm suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autem (nisi me fortè fallit) in republica nodus est, inopia rei pecuniariæ. [5] obdurescunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum præmiis omne consumitur. Impendent autem infiniti sumptus cùm in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum verò in tuum. Nam Cassius noster videtur posse satis ornatus venire. Sed & hæc, & multa alia coràm cupio, idque quàm primùm. De sororis tuæ filiis non exspectavi, Brute, dum scriberes. Omnino jam tempora (bellum enim ducetur) integram tibi causam reservant. Sed ego à principio, cùm divinare de belli diuturnitate non possem, ita causam egi puerorum in senatu, ut te arbitror è matris litteris potuisse cognoscere. Nec verò ulla res erit umquam, in qua ego non vel vitæ periculo ea dicam eaque faciam, quæ te velle quæque ad te pertinere arbitror. Vale VI. kalend. Sext.

mel male didicerint, dediscere aut nolint aut non possint, nisi sæpius eadem iterentur, idcirco toties eandem cantilenam canimus. Et tamen etiam in Commentariis Plantinis non minus suo loco de eodem verbo sat multa dicentur. *Lambinus.* Omnes tamen editiones, *præstringi* adhuc habent.

4. *Quàm me obligavi.*] Antonianus & alii, *quàm me ipsum.* Malasp.

5. *Obsurdescunt.*] Sic reposui, libris omnibus reclamantibus. Neque vero dubium est quin ita sit legendum, & vulgata lectio, *obdurescunt*, rejicienda. *Lambinus.*

Obdurescunt enim magis &c.] Lambinus libris omnibus, ut ipse testatur, reclamantibus, reposuit, *Obsurdescunt*, sibi habeat. *Grut.*



M. TULLII CICERONIS EPISTOLÆ AD BRUTUM NON ITA PRIDEM A GERMANIS REPERTÆ ET EDITÆ.[1]

EPISTOLA I.

CICERO BRUTO, S.

QUum hæc scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen. tristes enim de Bruto nostro litteræ nuntiique adferebantur. Me quidem non

1. Sex has Epistolas, ut a Germanis accepimus, ita damus. quamvis enim in nullo veteri exemplari invenerimus, tamen nec Germanorum fidem improbare (qui se in vetusto codice eas reperisse testati sunt) nec nostrum ullam in partem judicium interponere voluimus. *Victorius.*

Has Ciceronis Epistolas tres integras, & unam extremo carentem, & unam Bruti integram, ut a Germanis accepimus, ita tibi, Lector, reddimus; atque inter Fragmenta, secuti Andream Patricium Nidecicum, collocavimus. Quamvis enim eas in nullo veteri exemplari invenerimus, tamen nec Germanis fidem derogare (qui se in vetusto codice eas reperisse testati sunt) nec nostrum alterutram in partem judicium interponere voluimus. Si quis tamen sententiam nostram exquirat, videntur nobis germanæ Bruti & Ciceronis esse. *Lambinus.*

non maximè conturbabant. his enim exercitibus ducibusque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. neque assentiebar majori parti hominum. fidem enim consulum non condemnabam, quæ suspecta vehementer erat. desiderabam nonnullis in rebus prudentiam & celeritatem, qua si essent usi, jampridem rempublicam recuperassemus. Non enim ignoras quanta momenta sint in republica temporum, & quid intersit, idem illud utrùm antè an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia quæ severè decreta sunt hoc tumultu, si aut, quo die dixi sententiam, perfecta essent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt ut agerentur, non tardata & procrastinata, bellum jam nullum haberemus. Omnia, Brute, præstiti reipublicæ quæ præstare debuit is, qui esset in eo in quo ego sum gradu, senatus populique judicio collocatus: nec illa modò, quæ nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriæ caritatem: ea sunt enim, quæ nemo est qui non præstare debeat. Ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de republica, puto etiam prudentiam esse præstandam. nec me, quum mihi tantum sumpserim ut gubernacula reipublicæ prenderem, minùs putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quàm si infideliter. Acta quæ sint, quæque agantur, scio perscribi ad te diligenter. Ex me autem illud est quod te velim habere cognitum, meum quidem animum [2] in aciem esse, neque respectum ullum quærere, nisi me utilitas civitatis fortè converterit. majores autem partes animi te Cassiumque respiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rempublicam esse faciendam: aut, siquid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

EPI-

2. *In aciem esse.*] Cur sic edidit Gruterus? sane quidem ex Hervagiano, sed pari vetustate alii habent *acie*, Gronov.

EPISTOLA II.

CICERO BRUTO, S.

PLanci animum in rempublicam egregium, legiones, auxilia, copias ex litteris ejus, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi tui necessarii, qui secundùm fratrem affines habet, quos oderit proximos, levitatem & inconstantiam, animumque semper inimicum reipublicæ jam credo tibi ex tuorum litteris esse perspectum. nos exspectatio sollicitat, quæ est omnis jam in extremum adducta discrimen. Est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotii Servilio, quem tuli diutiùs quàm dignitas mea patiebatur: sed tuli reipublicæ causa, ne darem perditis civibus hominem parùm sanum illum quidem sed tamen nobilem, quò concurrerent: quod faciunt nihilominus: sed eum alienandum à republica non putabam. Finem feci ejus ferendi; cœperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci verò causa exarsit incredibili dolore, mecumque per biduum ita contendit, & à me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa, quum maximè res ageretur a. d. v. id. April. litteræ mihi in senatu redditæ sunt à Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria: quas statim cùm recitavissem, cecidit Servilius, complures præterea. sunt enim insignes aliquot, qui improbissimè sentiunt: sed acerbissimè tulit Servilius assensum esse mihi de Planco. Magnum illud monstrum in repub. est ** *Deest hujus epistolæ pars extrema.*

EPISTOLA III.

BRUTUS CICERONI, S.

Deest principium epistolæ.

* * ſed quo nos amiſiſſe: quem ſic vexari à Dolabella audio, ut jam non videatur crudeliſſimum ejus facinus interfectio Trebonii. Vetus Antiſtius me tamen pecunia ſublevavit. Cicero filius tuus ſic mihi ſe probat, induſtria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorſus numquam dimittere videatur cogitationem cujus ſit filius. Quare quoniam efficere non poſſum, ut pluris facias eum qui tibi eſt cariſſimus, illud tribue judicio meo ut tibi perſuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiſcatur honores paternos. Kalend. April. [1] Carachio.

EPISTOLA IV.

CICERO BRUTO, S.

DAtis manè a. d. v i. id. April. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi kal. April. Dyrrachio datas veſperi. itaque manè prid. id. Apr. cùm à Scaptio certior factus eſſem, non eſſe eos profectos quibus pridie dederam & ſtatim ire, hoc paullulum exaravi ipſa in turba matutinæ ſalutationis. De Caſſio lætor & reipublicæ gratulor: mihi etiam, qui repugnante & iraſcente Panſa ſententiam dixerim, ut Dolabellam bel-

1. *Carachio.*] Editiones Victorii & Hervagiana *Charachio*. Ortelius ex reſponſo Ciceronis ad eandem putat patere *Dyrrachio* ſcribendum: quum planè non conſtet ſequentem epiſtolam eſſe reſponſum. *Gronov.*

Kalend. April. Carachio.] Videtur ſcribendum, *Dyrrachio* ex epiſtola proxima *Urſinus.*

bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro senatusconsulto jam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum quæ dicenda putavi. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris. Quòd me de Antonio consulis, quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his litteris, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, & in ea se gerere teterrime. Compluribus autem scripsisti Dolabellam à Rhodiis esse exclusum: qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum: sin eam semel cepit, mihi crede, ** non erit. Id. April.

EPISTOLA V.

BRUTUS CICERONI, S.

Litteras tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum, & de morte Trebonii: non enim dubito quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere & civem optimum amisimus, & provinciæ [1] possessione depulsi sumus, quam recuperari facile est. neque minùs turpe aut flagitiosum erit, si potest, non recuperari. Antonius adhuc est nobiscum: sed mediusfidius & moveor hominis precibus, & timeo ne illum aliquorum furor excipiat: planè æstuo. Quod si scirem quid tibi placeret, sine sollicitudine essem. id enim optimum esse persuasum esset mihi. Quare quàm primùm fac me certiorem quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem à Murco & à Marcio & ab exercitu ipso arcessitus. Ego scripsi [2] ad Tertiam

1. *Possessione depulsi.*] Eædem editiones *pulsi*. Gronov.

2. *Ad Tertiam sororem & matrem.*] Michael Brutus apud Gryphium edidit *& ad matrem*. Idem.

tiam sororem & matrem, ne priùs ederent hoc, quod optimè ac felicissimè gessit Cassius, quàm tuum consilium cognovissent, tibique visum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera kal. Jan. usus es: altera de litteris meis, quæ habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio animi an ingenii tui major in his libellis laus contineatur. Jam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola jocans scripsisti. Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia & supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis, vel secreto consilio adversus Pansam vel actione in senatu: altera, quæ magis est necessaria, neque meo exercitui magis quàm reliquorum. Hoc magis doleo Asiam * * at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.

EPISTOLA VI.

CICERO BRUTO, S.

QUod egere te duabus necessariis rebus scribis, supplemento & pecunia, difficile consilium est. non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse videam, præter illas, quas senatus decrevit, ut pecunias à civitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non video quid fieri possit. tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam molestè ferat tam multos ad te ire voluntarios: quomodo equidem credo, quòd his rebus quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur: quomodo autem multi suspicantur, quòd ne te quidem nimis firmum esse velit: quod ego non suspicor. Quod scribis te ad Tertiam sororem

scrip-

ſcripſiſſe, ut ne priùs ederent ea quæ geſta à Caſſio eſſent quàm mihi viſum eſſet, video te veritum eſſe id quod verendum fuit, ne animi partium Cæſaris, quomodo etiam nunc partes appellantur; vehementer commoverentur. Sed antè quàm tuas litteras accepimus, audita res erat & pervulgata: tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos litteras attulerant. Quare neque ſupprimenda res erat, præſertim cùm id fieri non poſſet, neque ſi poſſet, non divulgandam potiùs quàm occultandam putaremus. De Cicerone meo, & ſi tantum eſt in eo quantum ſcribis, tantum ſcilicet quantum debeo gaudeo: & ſi, quòd amas eum eò majora facis: id ipſum incredibiliter gaudeo à te eum diligi.

EPISTOLA VII.

CICERO BRUTO, S.

QUæ litteræ tuo nomine recitatæ ſint id. April. in ſenatu, eodemque tempore Antonii, credo ad te ſcripſiſſe tuos: quorum ego nemini concedo. Sed nihil neceſſe erat eadem omnes: illud neceſſe me ad te ſcribere, quid ſentirem de tota conſtitutione hujus belli, & quo judicio eſſem, quaque ſententia. voluntas mea, Brute, de ſumma republica ſemper eadem fuit, quæ tua: ratio quibusdam in rebus (non enim omnibus) paullo fortaſſe vehementior. Scis mihi ſemper placuiſſe non rege ſolùm, ſed regno liberari rempublicam. Tu leniùs, immortali omnino cum tua laude: ſed quid melius fuerit, magno dolore ſenſimus, magno periculo ſentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterant: ego omnia ad libertatem, quæ ſine pace nulla eſt: pacem ipſam bello atque armis effici poſſe arbitra-

bitrabar. Studia non deerant arma poscentium, quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus. Itaque res in eum locum venerat, ut nisi Cæsari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis, & turpissimi M. Antonii veniendum fuerit: quocum vides hoc tempore ipso quod sit quantumque certamen. Id profectò nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius. Sed hæc omitto. res enim à te gesta memorabilis & pænè cælestis repellit omnes reprehensiones: quippe quæ ne laude quidem satis idonea affici possit. Exstitisti nuper vultu severo; exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparasti. Dii immortales! qui ille nuntius, quæ illæ litteræ, quæ lætitia senatus, quæ alacritas civitatis erat! nihil umquam vidi tam omnium consensione laudatum Erat exspectatio reliquiarum Antonii; quem equitatu, legionibusque magna ex parte spoliaras. ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuæ litteræ, quæ recitatæ in senatu sunt, & imperatoris consilium, & militum virtutem, & industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his litteris referri, & nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansæ consulis incidissent, honos quoque justus & debitus diis immortalibus decretus esset. Ecce tibi idib. April. advolat manè celer Pilus, qui vir! dii boni, quàm gravis! quàm constans! quàm bonarum in republica partium! Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii. dat Servilio tribuno plebis. ille Cornuto: recitantur in senatu. ANTONIUS PROCOS. magna admiratio, ut si esset recitatum, DOLABELLA IMPERATOR, à quo quidem venerant tabellarii: sed nemo Pili similis, qui proferre litteras auderet, aut magistratibus reddere. Tuæ recitantur, breves illæ quidem, sed in Antonium admo-

admodum lenes: vehementer admiratus senatus. mihi autem non erat explicatum, quid agerem. falsas dicerem? quid si tu eas approbasses? confirmarem? non erat dignitatis tuæ. itaque ille dies silentio. Postridie autem cùm sermo increbruisset, Pilusque oculos vehementiùs hominum offendisset, natum omnino est principium à me. De procos. Antonio multa: Sextius causæ non defuit. Post mecum: quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum duceret, si contra procos. arma tulissent. nosti hominem: causæ non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo verò noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres. hoc cogere volebat, falsas litteras esse, & si quæris probabat. Nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli. Video te lenitate delectari, & eum putare fructum esse maximum: præclarè quidem, sed aliis rebus, aliis temporibus locus esse solet debetque clementiæ. Nunc quid agitur, Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium & perditorum spes, nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrùm simus, necne. cui parcimus, aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrûm nullum relinquetur? Nam quid interest inter Dolabellam, & quemvis Antoniorum trium? quorum sicui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc ut ita sentiret senatus populusque Romanus, etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. neque dissolutum à te quidquam homines exspectant, neque crudele. Hujus rei moderatio facilis est, ut in duces vehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, velim quàm plurimùm tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem

rem reperiet nullam, quàm contemplationem atque imitationem tui. XIII. kalend. Maji.

EPISTOLA VIII.

CICERO OCTAVIO S.

Hæc epistola non est Ciceronis, sed declamatoris alicujus.

SI per tuas legiones mihi licitum fuisset, quæ nomini meo, populoque Romano sunt inimicissimæ, venire in senatum, coramque de republica disputare:

Extabat illhæc item Declamatio in Pall. priorib. quattuor: sed ii planè tuebantur scripturam vulgatam. erat adhuc alter Pal. qui ferè habebat variantes eas lectiones, quas prodidit optimus lib. XVI. Adversariorum cap. 4. itaque nihil illis huic enotandum duxi: utique cùm constet non agnoscere auctorem Tullium. *Gruter.*

In epistola ad Octavium non gravabimur operæ paulum consumere: non quia Ciceronis eam esse existimemus: sed quando in hunc librum conjecta est, ne quid desideretur a nobis, quod studiosæ juventuti prodesse possit. Etsi enim divina in ea Tullianæ dictionis vis minus conspicitur: apparet tamen studiosi alicujus adolescentis fuisse, ad eam se stylo exercitationeque formantis, & plane seculi non infelicis. Nam & Seneca scriptum reliquit illis temporibus complures declamatores fuisse, qui pro Cicerone & contra Ciceronem orationes scripserint: cujusmodi est illa Latronis in Catilinam, Sallustii in Ciceronem, & hujus in illum. *Malasp.*

Quædam in epistola ad Octavium ex veteribus exemplaribus castigavimus: quæ quia satis firma sunt & per se plana omittemus, properantes ad epistolas ad Atticum, in quibus multus se nobis offert labor; quem tamen non fugiemus, ut fidem nostram solvamus, argumenta & rationes afferentes quibus ducti majoris momenti locos (nam omnia quæ mutavimus infinitum esset retractare) restituerimus. Hanc autem epistolam non pauci docti & ingeniosi viri minime Ciceronis esse arbitrantur, falsoque illi attributam esse judicant, scriptam autem ab aliquo, qui non solum personam illius & consilia exprimere vellet, sed stilum etiam imitari. Quod sane si ita est, ut hi opinantur, egregie quicunque ille fuit quod voluit consecutus est. nam quum sententiæ ipsius conveniat, & stomacho quem extremis illis temporibus contra Octavianum habuit, cum se ab eo delusum sensit, & rempublicam, scelerata regni societate ab eo cum Antonio & Lepido inita, deletam, dubitari non potest: cum cogitasse etiam eum tradat Plutarchus, audita nefaria illa proscriptione, domum Cæsaris junioris clam ingredi, ibique se in penetralibus domus jugulare, manesque suos iratos qui eum semper exagitarent ita in illum domumque ejus immittere, ut facile credi possit voluisse quoque Ciceronem hac acerbissima epistola dolorem animi sui effundere, Octavianoque, cùm aliter non posset, his conviciis & maledictis dolorem adferre. Nobis igitur nec verbis nec sententiis videtur valde ab illo discrepare. Nunc suum quisque judicium consulat, & quod ei rectum videtur id sequatur. *Victorius.*

putare, fecissem: neque tam libenter, quàm necessariò. nulla enim remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumseptus senatus, nihil aliud verè potest decernere, nisi timere: (in Capitolio signa sunt, in urbe milites vagantur, in Campo castra ponuntur, & Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad servitutem adductis, equitatuque exterarum nationum distinetur) cedam tibi in præsentia foro, curia, & sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus, reviviscente jam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. pòst etiam paullo, temporibus ita postulantibus, cedam urbe: quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. cedam vita, quæ quamquam sollicita est, tamen, si profutura est reipublicæ, bona spe posteritatis me consolatur: qua sublata, non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna judicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud verò, quod & præsentis doloris est indicium, & præteritæ injuriæ testimonium, & absentium sensus significatio, non prætermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim: siquidem mea salus aut utilis reipublicæ est, aut conjuncta certè publicæ saluti. Nam, per deûm immortalium fidem! (nisi fortè frustra eos appello, quorum aures atque animus à nobis abhorrent) perque fortunam populi Romani (quæ quamquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, &, ut spero, futura est) quis tam expers humanitatis, quis hujus urbis nomini ac sedibus usque adeò est inimicus, ut ista aut dissimulare possit aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nam, ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum,

tremum, & novissima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore? & quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo Romano illuxit? M. Antonius, vir animi maximi (utinam etiam sapientis consilii fuisset!) C. Cæsare fortissimè sed parum feliciter à reipublicæ dominatione summoto, concupierat magis regium, [2] quàm libera civitas pati poterat, principatum. publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat vectigalia, [3] donabat civitates, ex commentario dictaturam gerebat; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiscito; [4] ipse regnabat in consulatu: provincias unus omnes concupiebat. cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumpserat Cæsar, quid de hoc sperare aut exspectare nos oportebat? Exstitisti tu vindex nostræ libertatis, ut tunc quidem, optimus (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset!) & veteranis in unum conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad salutem avocatis, subitò propè jam

2. *Quam libera civitas.*] Faerni liber & Ant. *Quam quem libera civitas.* ut ita verba ordinentur, *Concupierat principatum magis regium, quàm quem libera civitas pati posset.* Posse enim habent mei, præter Antonianum, omnes. *Malasp.*

3. *Donabat civitates, ex commentario.*] Emendo *civitate*, hoc est, jure civium Romanorum. Neque enim erat magnum, aut ingentis beneficii loco habebatur, reliquarum gentium civitatibus donari, nec valde expetebatur: *civem Romanum fieri*, id vero tanti putabatur, ut nullis artibus non solum Itali sed etiam exteri abstinerent, quo eo arreperent. Quòd siquis hic *civitates*, *urbes* interpretatur, is videat, ne vim utriusque nominis parum tenere videatur. Cicero quidem urbes ex domiciliis conjunctis constare dicit; civitates ex conventiculis hominum, inque urbibus habitare. Sed quid verbis opus est? Omnem ipsemet Cicero dubitationem aufert Philippica prima, de hoc ipso Antonii facto sic scribens ad verbum, *de exilio reducti a mortuo: civitas data non solum singulis, sed etiam nationibus & provinciis universis.* Idem.

4. *Ipse regnabat in consulatu.*] MS. Balliolensis, in quo etiam hæc epistola erat, sed inscripta *Octaviano*, hoc loco non aliter habebat, ac priores editi *prohibebat dictatorem creari legibus SC ipse repugnabat in senatu.* Quod cur non sic commode explanem? *prohibebat dictatorem creari; legibus, senatusconsultis ipse repugnabat; in senatu provincias unus omnes concupiebat.* Quod postremum verbum satis docet male Gruterum paulo ante maluisse sequi alios edendo *concupiverat*, quam illos, qui exhibuerunt *concupierat*, quod habuit & MS. Ball. ut infra *concupivisti*, quum meliores *concupisti*, quod secutus sum & ipse. *Gron.*

putare, fecissem: neque tam libenter, quàm necessariò. nulla enim remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumseptus senatus, nihil aliud verè potest decernere, nisi timere: (in Capitolio signa sunt, in urbe milites vagantur, in Campo castra ponuntur, & Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad servitutem adductis, equitatuque exterarum nationum distinetur) cedam tibi in præsentia foro, curia, & sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus, reviviscente jam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. pòst etiam paullo, temporibus ita postulantibus, cedam urbe: quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. cedam vita, quæ quamquam sollicita est, tamen, si profutura est reipublicæ, bona spe posteritatis me consolatur: qua sublata, non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna judicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud verò, quod & præsentis doloris est indicium, & præteritæ injuriæ testimonium, & absentium sensus significatio, non prætermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim: siquidem mea salus aut utilis reipublicæ est, aut conjuncta certè publicæ saluti. Nam, per deûm immortalium fidem! (nisi fortè frustra eos appello, quorum aures atque animus à nobis abhorrent) perque fortunam populi Romani (quæ quamquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, &, ut spero, futura est) quis tam expers humanitatis, quis hujus urbis nomini ac sedibus usque adeò est inimicus, ut ista aut dissimulare possit aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nam, ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum,

tremum, & novissima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore? & quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo Romano illuxit? M. Antonius, vir animi maximi (utinam etiam sapientis consilii fuisset!) C. Cæsare fortissimè sed parum feliciter à reipublicæ dominatione summoto, concupierat magis regium, [2] quàm libera civitas pati poterat, principatum. publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat vectigalia, [3] donabat civitates, ex commentario dictaturam gerebat; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiscito; [4] ipse regnabat in consulatu: provincias unus omnes concupiebat. cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumpserat Cæsar; quid de hoc sperare aut exspectare nos oportebat? Exstitisti tu vindex nostræ libertatis, ut tunc quidem, optimus (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset!) & veteranis in unum conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad salutem avocatis, subitò propè

[illegible]

jam

2. *Quam libera civitas.*] Faerni liber & Ant. *Quam quem libera civitas.* ut ita verba ordinentur, *Concupierat principatum magis regium, quàm quem liberam civitas pati posset.* Posse enim habent mei, præter Antonianum, omnes. *Malasp.*

3. *Donabat civitates, ex commentario.*] Emendo *civitate*, hoc est, jure civium Romanorum. Neque enim erat magnum, aut ingentis beneficii loco habebatur, reliquarum gentium civitatibus donari, nec valde expetebatur: *civem Romanum fieri*, id vero tanti putabatur, ut nullis artibus non solum Itali sed etiam exteri abstinerent, quo eo arreperent. Quòd siquis hic *civitates*, *urbes* interpretatur, is videat, ne vim utriusque nominis parum tenere videatur. Cicero quidem urbes ex domiciliis conjunctis constare dicit: civitates ex conventiculis hominum, inque urbibus habitare. Sed quid verbis opus est? Omnem ipsemet Cicero dubitationem aufert Philippica prima, de hoc ipso Antonii facto sic scribens ad verbum, *de exilio reducti a mortuo: civitas data non solum singulis, sed etiam nationibus & provinciis universis.* Idem.

4. *Ipse regnabat in consulatu.*] MS. Balliolensis, in quo etiam hæc epistola erat, sed inscripta *Octaviano*, hoc loco non aliter habebat, ac priores editi *prohibebat dictatorem creari legibus SC ipse repugnabat in senatu.* Quod cur non sic commode explanem? *prohibebat dictatorem creari; legibus, senatusconsultis ipse repugnabat; in senatu provincias unus omnes concupiebat.* Quod postremum verbum satis docet male Gruterum paulo ante maluisse sequi alios edendo *concupiverat*, quam illos, qui exhibuerunt *concupierat*, quod habuit & MS. Ball. ut infra *concupivisti*, quum meliores *concupisti*, quod secutus sum & ipse. *Grav.*

jam affectam ac prostratam rempublicam tuis opibus extulisti. Quæ tibi non antè quàm postulares, majora quàm velles; plura; quàm sperares, detulit senatus? Dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se adversum armaret. Appellavit imperatorem, hostium exercitu pulso, tribuens honorem, non ut sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem. Decrevit in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus. Si quid aliud est, quod dari possit, addat. Quid aliud est majus, quod velis sumere? Sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa: [5] cur aut ingratus crudeliter, aut [6] immemor beneficii scelerate circumscribis senatum? Quò te misimus? à quibus reverteris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus exercitum abducis? [7] & quos adversus aciem struis? Cur hostis relinquitur? civis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longiùs adversariorum castris, & propiùs urbem moventur? O me numquam sapientem, [8] & aliquando id, quod non eram, frustra existimatum! quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio? O meam calamitosam, ac præcipitem senectutem! O turpem exacta demen-

5. *Cur aut ingratus crudeliter.*] Longe mihi videtur præstare veterum editionum lectio, quam probat & MS. Balliol. *cur aut ut ingratum crudeliter, aut ut immemorem beneficii tui scelerate, circumscribis senatum?* Adverbia jungenda sunt verbo, non adjectivis. *Gronov.*

6. *Immemor beneficii, scelerate &c.*] Nostri his amplius, *beneficii sui.* Atque ita etiam hic locus ab iis adducitur, qui *sui* probare volunt pro *ejus* accipi non nunquam. *Malasp.*

7. *Adversus quos aciem struis?*] Quæso an non multo gratius & magis ex scriptoris hujus genio alii editi & MS. *& quos adversum aciem struis?* Utique superius dixit *se adversum.* Idem.

8. *Et aliquando id quod non erat.*] Recte mei, nisi me fallit judicium, *quod non eram.* Quo enim spectet, *quod non erat?* Meorum sententia plana est: ut sit prioris membri non solum explicatio, sed etiam exaggeratio. Itaque neque dolentis adverbium reiteratum est; ut intelligamus unam esse sententiam. nimirum se frustra & sine caussa, cum non esset, aliquando sapientem judicatum. Unde & subjungit. *Quantum te popule R. de me fefellit opinio.*

meamque ætate caniciem! Ego patres conscriptos ad parricidium induxi: ego rempublicam fefelli: ego ipse senatum sibi manus afferre coegi, cùm te Junonium puerum & matris tuæ partum aureum esse dixi. At te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui vastares urbem incendio, Italiam bello, qui castra in templis deorum immortalium, senatum in castris habiturus esses. O miseram, & in brevi tam celerem & tam variam reipublicæ commutationem! Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit hæc ita mandare litteris, ut facta non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quæ verissimè memoriæ propagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem judicatum, ab eo circumsessum consulem designatum, eundemque reipublicæ parentem: te profectum ad consulem liberandum, & hostem opprimendum, hostemque à te fugatum, & consulem obsidione liberatum: deinde paullo post fugatum illum hostem arcessitum, tamquam coheredem mortua republica ad bona populi Romani rapienda: consulem designatum rursum inclusum eo, ubi se non mœnibus sed fluminibus & montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit? liceat semel impunè peccasse: sit erranti medicina confessio. Verum enim dicam; utinam te potius, Antoni, dominum non expulissemus, quàm hunc reciperemus! [9] non quò ulla sit optanda servitus, sed quia dignitate domini minùs turpis est fortuna servi. in duobus autem malis cùm fugiendum majus sit, levius est eligendum. Ille tamen ea exorabat, quæ volebat auferre: tu extorques. Ille consul provinciam petebat: tu privatus concupisti. Ille ad malorum salutem judicia constituebat, & leges fere-

9. *Non quo ulla.*] Sic edidi ex MS. Ball. & editis aliis, relicto Grutero, qui *quod* recepit contra continuum etiam Ciceronis morem. Græv.

ferebat: tu ad perniciem optimorum. Ille à ſanguine & incendio ſervorum Capitolium tuebatur: tu cruore & flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat provincias Caſſio, & Brutis, & illis cuſtodibus nominis noſtri, regnabat, quid faciet, qui vitam adimit? ſi qui urbe ejiciebat, tyrannus erat: quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exſilio? Itaque ſi quid illæ majorum noſtrorum ſepultæ reliquiæ ſapiunt, ſi non unà cum corpore ſenſus omnis, uno atque eodem conſumptus eſt igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus Romanus, reſpondebit aliquis noſtrûm, qui proximus in illam æternam domum deceſſerit? aut quem accipient de ſuis poſteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Paulli, Scipiones? quid de ſua patria audient, quam ſpoliis triumphisque decorarunt? an eſſe quendam [10] annos XVII. natum, cujus avus fuerit argentarius, adſtipulator pater, uterque verò precarium quæſtum fecerit, ſed alter uſque ad ſenectutem, ut non negaret; alter à pueritia, ut non poſſet non confiteri: [11] eum agere, rapere rempublicam, cui nulla virtus, nullæ bello ſubactæ & ad imperium adjunctæ provinciæ, nulla dignitas majorum conciliaſſet eam potentiam, ſed forma per dedecus, pecuniam & nomen nobile [12] conſceleratum impudicitia dediſſet: veteres vulneribus & ætate confectos Julianos gladiatores, egentes [13] reliquias

10. *Annos* XVII. *natum.*] Mire variatum in hoc numero. MS. Ball. & alii editi XIIII, Caſaubonus ad Suetonii Auguſtum, ubi hanc epiſtolam vocat non Ciceronis quidem, ſed veterem tamen, ita quoque citans, legendum ait XIX. vel XX. Poſſent duæ lineæ perperam ductæ videri ex decuſſi male ſcripta, ut foret XXI. Sed & mox idem ſummus vir bis legit *alteram*, quod nuſquam deprehendi. Mox MS. *non ulla bello.* Gron.

11. *Eum agere, rapere Remp.*] *Agere*, eſt, hoſtilem in modum populari atque vexare. Græci ἄγειν καὶ φέρειν. Dio lib. XXXXIII Καὶ τοὺς νομάδας λαβὼν ἔςι τὸ ὑπήκοον ἐπήγαγε, καὶ τῷ Σαλουστίῳ, λόγῳ μὲν ἄρχειν, ἔργῳ δὲ, ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν. Sic Livius. *Tum demum fracta pertinacia, ut ferri agique res ſuas viderunt.* Malaſp.

12. *Conſceleratum impudicitia.*] Placeret *impudicitia.*

13. *Religuias Cæſaris, ludi ad rudem.*] Aliter, *Religuias ludi Cæſaris ad rudem &c.* Et videtur melius, quòd eos Octavius,

quias Cæſaris ludi, ad rudem compuliſſet? quibus ille ſeptus omnia miſceret, nulli parceret, ſibi viveret. Qui tamquam in dotali matrimonio rempublicam teſtamento legatam ſibi obtineret. Audient duo Decii ſervire eos cives, qui ut hoſtibus imperarent, victoriæ ſe devoverunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere voluit niſi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipſe primò, pòſt progenies ejus à regibus liberavit, pro turpi ſtupro datum in ſervitutem. Quæ quidem ſi nullo alio, me tamen internuntio ad illos celeriter deferentur. nam ſi vivus iſta ſubterfugere non potero, unà cum iſtis vitam ſimul fugere decrevi.

ctavius, non ad Ludum, ſed ad arma compuliſſet ex Cæſaris Ludo extractos. Quæ tamen per contemptum dicta ſunt, cum veteres milites patris ſui, qui Capuæ ceterisque in oppidis Campaniæ grandi pecunia ſibi conciliaverit, eorumque opera, primum adverſus Antonium, poſtea contra Remp. ſit uſus. *Idem*.

F I N I S.



IN EPISTOLAS
M. TULLII CICERONIS
AD Q. CICERONEM
FRATREM,
ET AD
M. JUNIUM BRUTUM,
PAULLI MANUTII
COMMENTARIUS.



ALFONSO CARAFÆ
PRÆSTANTISSIMO JUVENI ANTONII MARCHIONIS MONTISBELLI
FILIO
PAULUS MANUTIUS
ALDI FILIVS S. D.



SI suo quæque res merito ponderetur, Alfonse Carafa, hominum esset in virtute vigilantium præclara condicio; contraque, quos aversa a ratione voluntas ad malas artes & flagitiosa consilia traducit, cum iis pessime semper ageretur; eorumque docti exemplo, sapientius deinde alii non modo suis, verum etiam publicis rationibus consulerent. itidem enim ut e corruptis seminibus vitiosæ fruges, sic a malis exemplis improba studia, a laudabilibus optima nascuntur. verum hoc totum secus est. quippe non modo ad reprehendendum quæ reprehendi jure possunt, procliviores, quam ad laudandum quæ laude digna sunt, omnes fere sumus; nec satis æqua lance

turpe & honestum examinamus; quæ debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere: sed etiam sæpe facimus, ut eas res easque actiones, quarum caussas ignoramus, quæque recte ne an secus fiant, dijudicare non possumus, accusemus tamen, acerrimaque vituperatione, quæ interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac ne me putes, Alfonse clarissime, hujus initium sermonis temere detulisse: ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo vero communem utriusque nostrum caussam ago. aut enim uterque agimus egregie, aut uterque similiter peccamus. Audis ne tu voces in Latinæ linguæ nomen irrumpentes, hominum obtrectantium, qui rei pulcherrimæ scientiam reprehendant, qui nos derideant, ludosque faciant, atque etiam, si diis placet, odio dignos existiment, quod operæ tantum ac temporis in hoc tam nobili studio collocemus? tu fortasse non audis: totus in litteras abditus, multorum a consuetudine sejunctus aut, si audis, negligis opinor, magnis non tam fortunæ, in qua tamen ipsa multum in est, quam rerum omnium laudabilium præsidiis ad omnia munitus. me vero, humili hominem loco, hac una tibi Romani sermonis cupiditate parem, ceteris rebus omnibus inferiorem, ista sane, quæ feriunt aures meas, vehementer commovent: non quod ea, quibus utuntur, argumenta firma sint; quæ ostendam esse inania: sed quod, ut eam quisque virginem, cujus amore flagret, intactam ab injuria, puram ab omni labe velit, sic ego, quasi lutosis maculis adspersam ac fœdatam eloquentiam, quam semper dilexerim, cum adspicio, sensibus intimis afficior, sic ut ferre non possim. Objiciunt illud primum: quatenus aliquid cognosci possit, eatenus in eo laborandum: Latinam linguam obsolevisse jam & exstinctam pæne totam esse: quam enim hodie nationem, ut omnes animo

mo perlustrentur, Latine loqui? quod vero ex ea superfit in libris, minimum id esse, tamquam aliquod inane simulacrum corporis exanimis: quo circa neque sciri perfecte, cum exiguam partem libri contineant, neque pronunciari decenter, cum sermonis usus evanuerit, a nobis posse. Secundo loco statuunt: ut absolute percipi, quod negant, Latina lingua possit; mirari se tamen etiam atque etiam, cur industriam in ea perdiscenda tam diuturnam ponamus. vitio quidem id fieri voluntatis & judicii: dignitatem in re tantam non esse, ut hærere per tot annos in hoc studio debeamus. Concludunt postremo; ut de perfecta cognitione, de dignitate ac præstantia concedatur; tamen esse, cum, ea pulsa, successerit alia, minime necessariam. Hæc isti: quæ specie aliquid videntur; ego, re nihil esse, si quando me præsente disputantur, ostendo. convenit inter nos, esse aliquid in omnibus facultatibus atque artibus extremum; quo nostra studia cum pervenerint, quiescendum. sed hoc extremum quibus terminis metimur, rei ne natura an vulgi opinione? si opinione vulgi: licet propemodum otiose vivere: mediocria, quæ putantur excellere, quæramus: id satis est: illa summa, ubi summum decus habitat, quæ vulgus ignorat, omittamus. sin extremum illud esse volumus, quo perventum cum est, progredi longius non licet: moderata studia non dantur. perfectam enim scientiæ laudem adipisci, maximi operis est: itaque hoc extremum, quod, opinor, natura novit una, sapiens nemo umquam se putavit esse consecutum. exstant, litterarum clarissimis testata monumentis, exempla summorum philosophorum; qui cum ætatem in abditarum rerum perscrutanda notitia contrivissent, multaque partim legendo partim cogitando præclara & eximia reperissent; latere tamen adhuc, magnis involu-

tam difficultatibus, veritatem, & aliquid ſibi atque adeo multum eſſe quærendum exiſtimabant. Eadem nunc, aut certe ſimilis admodum noſtra ratio eſt. Quærimus id, quod in Latina lingua perfectum putamus. non aſſequemur. eſto: verumtamen, quo plus, ut aſſequamur, contenderimus, eo ſcilicet propius, ſi quid ſtudio proficitur, accedemus. At laboris & induſtriæ terminus tamen ſtatuendus aliquis eſt. concedo: ſed hoc quidem, ſi diligenter attendatur, nihil aliud eſt, quam perfectum ipſum definire. hoc enim ad unum noſtri labores intenduntur: hoc unum noſtra ſpectat induſtria. perfectum autem ipſum ego mihi certe ab hominibus imperitis definiri nolo. definiant ii, quibus utor magiſtris, Cicero, Cæſar, Terentius, Plautus; quorum ex libris, quæ Latinæ linguæ ſit elegantia, quæ ubertas, quæ vis, facile poſſum intelligere, quæ ſi, non dico quanta ſunt, (immenſa enim eſſe video) ſed ſi ea mihi magna ex parte comparaſſem; modum fortaſſe facerem ſtudio meo: ſed, ut inter hos, qui nunc homines vivunt, aliquid eſſe videamur, nihil tamen, ſi vere de nobis ipſis judicare volumus, præ illis viris, quorum exſtant ſatis multa ſcripta divinitus, nihil inquam plane ſumus. quare, quod ad ſcribendum attinet, habemus abunde, quod imitemur. De *pronunciatione* vero minimum laboro. quid enim? an putamus in iis ipſis, qui tum Romæ vivebant, eandem pronunciandi rationem fuiſſe? non fuit. confluebant in urbem, illecti ſpe ſummorum magiſtratuum, quod habuit illis temporibus præmium eloquentia, oratores, ex univerſa Italia. cauſſas agebant Romani homines pariter & peregrini, ſono vocis diſſimiles, pronunciatione diverſi: ſuam tamen quiſque, pro eo, quantum quiſque valebat ingenio, laudem ferebat. ſi Curibus educatum, aut Arpini, orantem in foro audires, Sabinum

num statim, aut Arpinatem agnosceres. neque tamen a forensi opera, & a judiciis propterea quisquam est exclusus, quia minus Romane, hoc est, quia minus apte, minusve decenter, pronunciaret. nunc ipsum, in hac, qua Itali omnes utimur, lingua est ne omnium in disjunctis & longinquis urbibus simillima pronunciatio? mehercule ne in iisdem quidem. Venetiis enim (domestico utar exemplo) aliter in urbe media, aliter in extrema loquuntur. quapropter nimis injusto privilegio damnabitur Latina lingua, si, quod in ceteris linguis usu videmus evenire, ut non modo diversis, verum etiam iisdem & temporibus & locis non similiter omnes pronuncient, id ei præcipuum opponatur: cujus etiam magnis ac præstantibus meritis aliquid largiri, tum humanitatis, tum æquitatis esset. Secundum erat *de dignitate* in quo, non tam equidem quid ipse respondeam, quam quid istos in hanc mentem impulerit, quæro. Ita ne? dignitatem Latinæ litteræ non habent? humiles & obscuræ sunt litteræ illæ, quæ populi Romani nomen extollunt atque illustrant? quæ summorum imperatorum fortiter & præclare gesta per omnes gentes cum laude disseminant? quæ majores opes, quam ulla umquam lingua, majora suorum meritorum præmia in orbis terrarum domina civitate sunt adeptæ? Sed ineptus sim, si me patronum Latinæ linguæ profitear: quæ tantum possidet eloquentiæ, ut, ipsa suam caussam si agat, facile se ab adversariorum calumnia vindicare possit. Nunc, quod isti postremo loco argumentum, quasi postrema in acie subsidium firmissimum, collocant, videamus in eo quantum roboris ac nervorum sit. plus enim est fortasse, quam ut contemnere; minus certe, quam ut pertimescere debeamus. Nusquam, inquiunt, viget usus Latini sermonis: aliter nunc omnes loquimur. id verum est. si quid igitur in

Latinam linguam studii confertur, opera non bene ponitur. hoc falsum, duplex autem est, qua utor, ratio probandi. Primum illud suscipio ac defendo: non, quæcumque necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia atque explodenda; deinde, si spectetur utilitas, ita Latinam utilem esse linguam, ut etiam necessaria videatur. Quæ sunt, quæ vere & proprie *necessaria* dicimus? nimirum ea, quibus carere nullo modo possumus. hujusmodi sunt primum elementa, deinde, quibus famem frigoraque arcemus, victus, vestimenta, ædes, aut ea, quibus hæc parantur; præterea, in publicis rebus leges & magistratus, in privatis severitas & vigilantia. ex hoc numero Latinam certe non esse linguam, facile concedo. neque enim is ego sum, qui libenter cum veritate pugnem. Sed præter hæc, quibus hominum vita sustinetur ac regitur, quam multa sunt minime necessaria, quæ tamen habemus in deliciis, quæ amamus, quæ etiam honore prosequimur? gemmas, & vasa pretiose cælata, columnas marmoreas, laqueata tecta, sericas vestes, textiles picturas, artem in vocibus & fidibus, odores in unguentis, condimenta in cibis, hæc certe, & hujus generis sexcenta, non ut necessitati pareret, sed ut sensibus satisfaceret, invenit industria. quæ quin habeant jucunditatis & ornamenti plurimum, nemo negat. quod si, quæ sensus juvant, & laboriose quæsita sunt & retinentur accurate: quanto nobis ea, quæ animum oblectant, potiora debent esse? pascitur animus *magnitudine rerum*: quid Livii sublimius historia, quæ populi R. bellicam virtutem commemorat? *gravitate sententiarum*: quis Cicerone prudentius, quis eruditius disputat? *elegantia verborum & copia*: quis eodem ornatior, quis uberior? *varietate scriptorum*: quod genus Romanæ litteræ desiderant? poetas habent egregios, historicos, oratores, philosophos

etiam


etiam excellenti doctrina claros. quæ si vera sunt; (sint, necne, res ipsa declarat: ambigere non licet) & si voluptatem studiosis Latina lingua parit incredibilem; possum istis tribuere, quod volunt, *necessariam* vulgo non esse, dum ipsi contra, quod ratio postulat atque exigit, hoc mihi tribuant, *amandam* esse vehementer atque *expetendam*. Sed hæc ad eam, qua legendo fruimur, voluptatem pars attinet: nunc, quod eram alterum pollicitus, de *utilitate* videamus. Omnes linguæ aliarum admistione linguarum, si moderata sit, augentur; si nimia, corrumpuntur, atque intereunt. quod enim recipitur, id esse debet ejusmodi, ut recipientis naturam sua vi suaque magnitudine non exsuperet. itaque sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, quasdam etiam aliarum nationum habet partes. caussam si quærimus: non alia, quam earum gentium interventus & consuetudo, fuit. quod si Gallorum, aut Hispanorum immensa mulitudo, (exempli caussa dictum a me sit: omen quidem inane esse volo) sed si earum nationum major aliqua vis in Italiam irruperit ac permanserit: major simul inducetur Gallici, aut Hispanici sermonis usus; & fortasse adventicium illud usque eo valebit, ut hoc domesticum vincat, suisque sedibus expellat. quod olim Romanæ linguæ contigit: quam, multarum ætatum spatio, multis maximarum rerum adjumentis auctam, atque confirmatam, diversis tamen populis Italiam occupantibus, diversarum linguarum impetus oppressit. Cum igitur lingua linguam amplificet; nostraque hæc Italica, non multis abhinc sæculis orta, nec admodum liberaliter præmiorum nutrimentis educata, non ita dum adoleverit, ut suis contenta viribus esse possit: statuo sic, atque concludo; accessionem ei fieri majorem non posse, quam si cum Latina conjungatur: non modo, quia

 nul-

nulla plenior, aut ornatior; verum etiam, quia nulla similior: ex quo sequitur, ut ad coeundam cum ea societatem nulla commodior. Est igitur litterarum Romanarum cum per se laudabilis admodum & jucunda tractatio, tum vero, si quidem hunc ipsum, quo nunc utimur, auctum exornatumque sermonem cupimus, magnopere necessaria. Atque hæc tu quoque vides, Alfonse ingeniosissime, tuumque judicium cum mea sententia conjungis. itaque, cum a prima pueritia ad eloquentiæ Romanæ cupiditatem incumbere cœpisses; postea te non ambitio, quæ sæpe præclare jacta fundamenta virtutis evertit, non commodum, non illa, bonis artibus inimica, voluptas ab hoc studio deduxit. ac ne nunc quidem langues; cum tamen omnia videas ardere bello, armorumque strepitu aures tuæ quotidie personent; sed contines te in tuis perennibus studiis; animumque tum aliis magno principe dignis virtutibus, tum vero maxime excolis eloquentia, doctorem in ea ducemque nactus, divino quodam munere, virum excellentem, Joannem Paullum Flavium; qui te novo quodam, planeque admirabili genere disciplinæ, abductum a vulgi erroribus, per directam semitam ad eximium illud veteris Romanæ linguæ decus facile perducet. quamquam me, nonnumquam de statu Latinæ linguæ cogitantem, miseratio quædam acerbo cum dolore tangit: quod ita futurum animo cernam, ut hæc, per tot jam sæcula, a tot ingeniis, tam diligenter culta, Latine scribendi ratio, quæ parentem nostram Italiam nobilitavit, quæ tot in nos merita contulit, ætate demum nostra, nisi remedium aliquod divinitus exstiterit, suam honestatem omnem neglecta prorsus in perpetuum amittat. quod si rebus inclinatis, jam jamque cadentibus opem ferre quisquam potest; unus est avus tuus, Paullus IIII, Pontifex Max. cujus esse par-

partes videntur, ut ereptum nobis temporum dicam, an hominum injuria optimarum artium usum restituat: quem tu quoque finem spectas, ut audio. &, quia recte sentientibus numquam præmia defuerunt; ob eam caussam futurum homines augurantur, ut ejus dignitatis, quæ summæ proxima est, insignia brevi omnino consequaris. quod cum evenerit; lætabor primum tua, deinde communium studiorum caussa qui enim tuos impetus ad laudem nunc videmus, tuosque plane sensus intelligimus; an, ubi ad istam voluntatem auctoritas atque opes accesserint, fore dubitemus, ut a te ipso dissentias. Præstabis Alfonse tu quidem alia præclara, te ipso scilicet digna, tuaque familia, in qua florere vides heroes permultos, gloria circumfluentes, virtutis in studio defixos: maxime vero gratiam referes optime de te meritæ Latinæ linguæ, eamque paullatim Italia cedentem, & ad transalpinas nationes, magno nostro dedecore, migrantem, in suam sedem domiciliumque revocabis. cujus gloriæ caussa, si monendus es, monitorem ad te; sin rogandus, supplicem volui mittere commentarium hunc meum in epistolas ad M. Brutum, & ad Q. Fratrem: qui cum tibi studia commendat eloquentiæ, in quibus ego per tot annos, utinam cum aliqua laude, magno certe cum labore versor, commendat simul, paullo tamen verecundius, se ipsum, & vigilias meas: quarum fructus mihi erit uberrimus tum benevolentia, tum judicium tuum. quæsivi omnino, idque mihi primum fuit, *posteritatis utilitatem*; quod est proprium familiæ nostræ: sed in te ipsum simul, cum huic operam commentario darem, spectavi. tu si probas ea, quæ litteris mandamus; si faves industriæ, optimeque te esse animatum erga mea studia significas: ego me, quæ summa sunt, omnia consecutum putabo. Venetiis, CIↃ IↃ. LVII.

AR-



ARGUMENTUM

EPISTOLÆ I.



ORALIS admodum est hæc epistola: & cum ad unum Q. Ciceronem scripta sit, omnibus tamen provinciarum aut civitatum rectoribus norma quædam, & bene agendi regula esse potest. Est autem totum ejus argumentum, admonitio. *nam hanc unam ob caussam scribit ad Quinctum fratrem, ut ei proponat ea, quæ si faciat, honori suo præclare consulat. ea porro dividitur in laudem, vituperationem, cohortationem: laudem, quia, ut ipse scripsit in epistola, opinor, ad Trebonium*, multum refert, si laudes eum quem cohortere: *vituperationem, quia dissuadendi locus est optimus, cum turpitudinem ostendimus: cohortationem, ut ejus, qui admonet, propensa quædam ad ejus, qui admonetur, laudem voluntas ac studium declaretur. Laudat Cicero Quinctum a fortitudine, sapientia, humanitate, continentia, integritate, & usu rerum gerendarum: vituperat ab iracundia, objecta illi ab omnibus fere, qui e Græcia Romam proficiscebantur. Hortatur primum, ut æquo animo ferat annuam imperii accessionem: & in sustinendo negotio facilitatem ostendit, cum dicat, obvenisse illi imperium nullis fere fortunæ motibus expositum, sed quod virtute & animi moderatione facillime possit administrari: deinde, ut suis tantum committat, quantam in unoquoque fidem esse cognoverit: postremo, ne*

au-

aures præbeat falsa dicentibus; ne quid injustum ad aliorum arbitrium annulo signet; accensum quem diligat, animadvertat; ne quid insolens lictor faciat; caveat ab assentatoribus; cum severitate regat servos; ne quid, quod ad imperium suum, vel ad remp. attineat, servis etiam fidelibus committat, sit ipse integer & continens; det operam, ut in omnibus, quos secum habebit, sit pudor: familiaritate provincialium & Græcorum percaute & diligenter utatur; disciplinam adhibeat regendæ familiæ gravem & constantem; facilis sit in audiendo, lenis in decernendo, diligens in satisfaciendo ac disputando: omnibus, quibus præest, utilitatem afferat: jus æqualiter & vigilanter dicat; curetque ut idem faciant ii, quibus aliquam partem ejus muneris concesserit: constantiam & gravitatem adhibeat, quæ non solum gratiæ, verum etiam suspicioni resistat; linguam in iracundia contineat; in tuendis honoribus, quos adeptus est, operam ponat; quandoquidem esset in iis civitatibus cum imperio & potestate, in quibus virtutes suas consecratas & in deorum numero collocatas videbat. Hæc ad argumentum. Quod ad provinciam; præerat Quinctus proprætor Asiæ, quæ minor *dicitur; quæ ab ortu solis Lycaonia & Phrygia, ab occasu Ægeo mari, a meridie Ægyptio pelago, a Septemtrione Paphlagonia terminatur. cumque provinciarum administratio annua fere esset, præfuit tamen per triennium, successorem senatu non mittente; sicuti & Siciliæ per triennium præfuerat Verres. prætor autem sæpe in hac epistola Quinctus nominatur; quod ii, qui prætura functi in provincias mitterentur, &* proprætores, *&* prætores *appellantur, quandoque etiam* proconsules. *itaque Suetonius in Augusto*, exstant, *inquit*, M. Ciceronis epistolæ, quibus Quinctum fratrem, parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, hortatur & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium. *& libro* v. *epistolarum, quæ* familiarium *nomine significantur, epistolæ leguntur, Q. Metelli proconsulis titulo*

tulo inſcriptæ; cum is ex prætura in provinciam miſſus eſſet; & Suetonius Cæſarem, cum ex prætura Hiſpaniam ſortitus eſſet, proconſulem *appellat. neque ſolum, qui conſules non fuerant, proconſules tamen vocabantur; ſed contra etiam, qui conſules fuerant, prætores in provincia dicebantur. itaque in iiſdem epiſtolis lib.* II. Quod ego, *inquit*, officio quæſtorio te adductum reticere de prætore tuo non moleſte ferebam. *cum loquatur de M. Bibulo, qui conſul fuerat cum C. Cæſare: quem rurſus* proconſulem *appellat epiſtola prima, etiam tertia lib.* XV. *De hoc copioſius in noſtro commentario in epiſt. fam. lib.* I. *epiſt.* I.



IN



IN EPISTOLARUM
M. TULLII CICERONIS
AD
QUINTUM FRATREM
LIBRUM I.
PAULLI MANUTII
COMMENTARIUS.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ I.

L. Afranio, COS.
Q. Cæcilio Metello Celere.

Pag. 1.  *Ceßisse desiderio nostro*,] quo te absentem desideramus. *nostro*, reditus in urbem tui. In hunc autem annum, qui fuit Quincto in administranda Asia tertius, incidit exsulium M. Tullii: ut est lib. 3. ad Att. & hic ep. 3.

A pratoribus] qui non tam Quincti, quam sua ipsorum caussa,

ſa, contendebant, ut, Quincto decedente, eorum aliquis ad regendam Aſiam mitteretur.

Pag. 2. *Non nullorum negotiatorum*] quorum inhoneſtæ cupiditati obviam eundum cenſerem. vide infra, hac ipſa epiſtola.

Pag. 3. *Nos ſumma neceſſitudine attingunt*,] non ſolum quia publicani equites erant, & ex equeſtri familia natus erat Cicero; ſed etiam, quia ordinem equeſtrem ſemper defenderat, atque ornaverat. ad Atticum lib. I. & oratione IV. in Catilinam.

Noſtri conſulatus beneficio] quia, niſi ego conjurationem Catilinæ conſul oppreſſiſſem, impetus in omnium fortunas eſſet factus:

Pag. 4. *Græci quidem*] ipſi ſocii. provinciam enim diviſit in duo genera, *ſocios*, *&* *cives*: rurſus cives in duas ſpecies, *publicanos*, & *negotiatores*. infra, hac ipſa epiſtola. *Græcos* autem appellat *Aſianos*, quia tum fere totus ille terrarum tractus Græco ſermone utebatur: itaque M. Cœlius in quadam ad Ciceronem epiſtola *Græcas pantheras* vocat, quæ in Cilicia capiebantur.

Non itineribus tuis perterreri homines] cum alii pro conſulibus, quacumque irent, ſocios expilarent. quo nomine Appium accuſavit lib. VI. ad Att.

Pag. 5. *Noſter cum animo*] Beſſarionis liber, *noſter & cum animo.* forte, *noſter eſt.*

Quem ſors dedit] *ſorte* quæſtores provinciarum rectoribus dabantur. fam. lib. 2. ep. ultima. & in *divinatione*, & alibi ſæpe.

Quoad per ſe negligeret] in privatis rebus. quæ ad ipſum dumtaxat pertineant: in iis vero, quæ ad tuam dignitatem ſpectant, ferre te nollem.

Pag. 6. *Comites*, *&* *adjutores*] ut legatos, & quæſtorem.

Finibus iis] dumtaxat in iis rebus, quæ ad ipſos privatim pertinent, feras.

Quaſi ex cohorte prætoris] non dicit, *ex cohorte*, ſed, *quaſi ex cohorte*; quod in ea paullo nobiliores homines eſſent. nam *accenſi*, miniſtri erant; cohors prætoria, comites conſulares, ut exponit Pedianus in II. Verrina.

Horum non modo facta, *ſed etiam dicta*] cur horum potius, quam eorum, quos reſp. comites dedit? quia, quos ipſi probavimus, & delegimus, ii quacumque in re peccaverint, non tam ipſis, quam nobis, adſcribitur.

Liberalitas] rectius, ut opinor, in Beſſarionis libro, *libertas.* ſolent enim, qui minime fraudulenti ſunt, ex ingenio ſuo ceteros pendere.

Pag. 7. *Non ut vas aliquod*,] quod aſſidue circumfertur ſed vide, quibus illum tradas, ne quis, accepta pecunia, ſignet ea, quæ tu non probares.

Miniſter] ne quis eo, quoties velit, uti poſſit. Et fortaſſe hic tacite Statium libertum deſignat. de quo vide ep. 2.

Eo

Eo etiam numero] e numero bonorum virorum: quales eos majores nostri esse voluerunt; qui libertis in hoc utebantur, ut iis imperare, & bene agendi leges imponere facilius possent. *Accensus* autem nomen ordinis fuit, & promotionis in militia, ut Pediani verbis utar.

Offenderis] offensionem aliquam acceperis. sic locutus est Lucejus in epistola ad Ciceronem libro v. fam. & Cæs. comm. de bel. cir. lib. II. & in Verrem.

Pag. 8. *Ex eo genere hominum*,] provinciales homines avaritiæ notat.

Qui pecuniæ,] hoc non ab iis verbis pendet, *ex eo genere hominum*. nam, si ita esset, ex iisdem verbis illud quoque penderet, *te autem*, *alienum hominem*, *ament ex animo*. ita, quo spectarent ea verba, *qui potes reperire*, prorsus non esset. quare ego sic totam sententiam dispono. Ex eo genere hominum, ex provincialibus inquam, qui potes reperire, qui & pecuniæ cupiditate adducti careant iis, quæ a nobis coluntur, virtutibus, & te hominem alienum, ament ex animo, ac non sui commodi caussa simulent? mihi quidem difficile in primis videtur. itaque cavendæ sunt eorum familiaritates.

Iis rebus] iis virtutibus, ut humanitate, & continentia.

Prætores semper omnes] quod est simulationis indicium. nam, si essent natura boni, & ad humanitatem propensi, non tam prætores, quam privatos homines, amarent.

Quam temporis] qui te ipsum potius, quam temporis caussa diligant.

E Græcis ipsis] locutus enim hactenus est de negotiatoribus, qui quæstus caussa in provinciis vivunt.

Pag. 9. *Sic vero*] sed, uti nunc sunt, fallaces plerique sunt. nam vetus Græcia bonos permultos habebat.

Et invident] sic in omnibus impressis libris, præter eos, qui postremi ex ædibus nostris, multis partibus meliores facti, prodierunt. occasionem nobis attulit conjecturæ Bessarionis liber: in quo scriptum cum videremus, *et non invident*, facile tum ex emendandi vetere consuetudine, tum ex Latini sermonis observatione sumus adducti, ut, ubi, *non*, legebatur, reponendum putaremus, *vero*, mutatione nulla: ut facile, qui libros manuscriptos cum impressis conferre soliti sunt, judicabunt, quo ex numero Faernus meus excellit; qui singularem optimarum disciplinarum scientiam eximia hujus quoque generis laude cumulavit.

Non enim audent] nam aperte nobis adversari non audent, quamvis male animati sint, sed occulte obtrectant.

Tralles, an Formias] Tralles in Caria, quæ est in Asia minore, quam Quinctus regebat: Formiæ in Campania.

Pag. 10. *Sustinere*] defendere, & tueri. nam alioqui summa se-

severitas in eo prætore posset reprehendi, cujus vitam labes aliqua turpitudinis & improbitatis inficeret.

Inhonestissimam cupiditatem] erant enim negotiatores, quorum cupiditas & impudentia esset pœna coercenda. itaque dixit supra, *dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum resisto.* hac ipsa epistola.

Ne varietur gratia] dum eadem sit severitas in omnes: ne cui gratificans aliud alio tempore decernas.

Sustineri] totum hoc, quidquid est oneris, jurisdictionis est.

Lenitas in decernendo] *edicta* sunt, ex quibus toto anno jus dicitur, *decreta*, quæ in singulis interponuntur caussis.

Pag. 11. *Satisfaciendo, ac disputando*] *satisfacit* judex duobus modis, primum, cum litigantes facile ac libenter audit; deinde, cum eos, adversus quos sententiam dederit, vultu & verbis ita mulcet, & quasi consolatur, ut irati prorsus maleque animati non discedant. hoc alterum genus hic intelligit Cicero. nam, quod ad audiendi facilitatem attinet, id primo loco jam posuit. *Disputando*, autem mendosum puto. non enim *disputare* prætor dicitur. Cic. in Partitionibus: *Nam aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator*, id est *rei sententiaque moderator*. ex quo suspicor legendum, *disceptando*.

Cn. Octavius] hic est, opinor, de quo infra ep. 2. qui fuit Augusti pater; & Macedoniam rexit, quæ Quincti provinciam attingebat. videtur autem *Caio* potius, quam *Cneo*, prænomen ei fuisse. vide, quæ notavimus in ad Atticum lib. II. ut omittam, quod infra, ep. 2. Bessarionis liber habet *G. Octavius*, corrupta quidem littera, sed qua tamen librarius *Cajum* significare voluerit.

Primus lictor quievit] antea *primus lictor qui fuit.* verum neque magnā mutatio est inter F & E: & erit aperta sententia: ut sit, *quievit*, dicendi locum unicuique concessit: cum aliorum prætorum lictores obstrepere solerent, & silentium dicentibus imperare. Sequor autem in hoc meam consuetudinem libenter, ut, quid a quoque acceperim, confitear. nam, cum Romæ adolescens admodum essem, anno M. D. XXXV. Octavius Pantagathus, vir ejusmodi, cujus assequi virtutes nulla satis laudatione possum, amicis aliquot, quorum in numerum me quoque proximis superioribus diebus humanissime receperat, locum hunc ita esse emendandum indicavit. postea vero Ferrariæ, cum has epistolas cum Benedicto Accolto, Cardinali Ciceronianæ eloquentiæ studiosissimo, subsecivarum horarum temporibus percurrerem; renovatam memini, & ab utroque confirmatam eandem hujus loci correctionem, itaque sua manu in eo, quo tunc utebatur, libro Accoltus perscripsit.

Tueretur] propter hanc lenitatem excusabatur illa severitas, quod ab eo cogebantur Sullani homines &c.

Gra-

Grata Romae est,] in iis, qui Romae magistratum gerunt.

Ubi tanta arrogantia] dicebas de caussis lenitatem in magistratibus urbanis valde laudari, mirum est; & quod in summa hominum arrogantia vix agnoscitur lenitas, & quod injuriosius esse magistratus impune non potest; quoniam acerbius tractati aliorum magistratuum auxilium implorant, majorem potestatem contra minorem appellantes: ut eo minoris aestimanda lenitas videatur, quoniam contra acerbitatem & injurias tot magistratus, tot auxilia sunt. quod si, ubi tanta arrogantia est, ubi tot auxilia, tamen & grata est & plurimi aestimatur lenitas: quanto magis in provincia? in qua &c.

Pag. 12. *Nulla conquestio*,] ubi de magistratu queri nemo potest. non est enim, ut Romae, ad quem confugiat, quem appellet. Nec tamen displiceret, vel placeret potius, *nulla questio*: ut de judiciis accipiatur; ad quae contra magistratuum injurias in urbe appellatio est. sic triplex auxilium erit, *judicia*, *senatus*, *populus*.

Cyrus ille] is, cujus morientis orationem ad filios de animorum immortalitate recitat Cicero in libro de senectute.

Non ad historiae fidem scriptus] hoc exemplum non ob eam caussam Cicero attulit, ut ostenderet, Cyrum esse a Xenophonte scriptum; sed ut ex ejus institutis argumentum caperet, provinciarum rectoribus gravitatem esse cum humanitate jungendam. nam si ea sic ille coluit, qui privatus futurus numquam fuit: quonam modo, &c. Opinor igitur, non terminari sententiam in verbo, *scriptus*, nec subaudiri, *est*; quod nonnulli putant: sed pendere, donec excipiatur ab illa parte, *eaque si sic coluit ille*. ut sit, quod Graeci ἀνακόλουθον vocant. quale illud est in Tusculana secunda: *Etenim, si orationes, quas nos multitudinis judicio probari volebamus, (popularis est enim illa facultas, & effectus eloquentiae est audientium approbatio) sed si reperiebantur non nulli, qui nihil laudarent, nisi quod imitari se posse confiderent*, &c. Similia notavimus & apud Graecos multa.

Noster ille] a nobis celebratus in libris de rep. infra, lib. III. & ad Atticum lib. IIII. & VI. & VII. & X.

Ad quas revertendum est?] a quibus legibus imperium in alios accepimus, iisdem, cum in urbem reverterimus, nobis privatis parendum erit.

Pag. 13. *Liberatas urbes*] placet potius verbum, *liberatas* ad *civitates* referri, quam conjungi cum sequentibus. non enim, cum eadem de re, de aere, inquam, alieno, Cicero loqueretur, *civitates* & *urbes* dixisset, cum aliud civitas sit, aliud urbs. quod facile declarat illud in epistola ad Dolabellam: *Liberasti & urbem periculo, & civitatem metu*. item hic, ut a civibus aedificia distinguat, civitates ait aere alieno liberatas; urbes autem, quae dirutae fuerant, ac paene desertae, per Quinctum esse recreatas.

Samum, & Halycarnassum,] Samum Joniæ, Halycarnassum Cariæ, quæ fuit Herodoti patria & Dionysii, ejus, cujus exstat de rebus Romanis uberrima, eademque certissima historia.

Calumniam] fuerant enim quidam prætores in provincia usque eo avaritia perditi, ut accusatores locupletum ipsi compararent, atque instruerent: quo maximos ex eorum condemnatione quæstus facerent. qualis Verres fuit.

Ab omnibus, qui earum civitatum] non satis fuisset *ab ipsis civitatibus*, sed dixit, *ab omnibus plane, qui fines earum incolunt.* nam plerumque civitates imposita tributa in homines oppidanos atque agrestes ita transferunt, ut tolerari vix possint. opinor autem, *civitatum* glossema fuisse.

Ædiliciorum,] ædiles enim ad suos ludos imperare provinciis pecunias solebant.

Pag. 14. *Nostrum*] non cum Quincto commune, sed Marci proprium: quod infra patet.

Civitates] Asiæ.

Magnis meis meritis,] quibus Asiam provinciam affeceram.

Tuis] in isto imperio, quod tibi nunc est in tertium annum prorogatum.

Lex] de repetundis; quæ sanciebat, ne cui aut capere pecunias liceret, aut conciliare. quod patet ex lib. VI. ad Att. & in Verrem.

Quibus nec deberetur,] perspicuum est ædiles significari.

Pag. 15. *Isti hominum generi*] Græcis.

Pag, 16. *Consecratas*] hoc dicit, quia justitiæ ceterarumque virtutum templa erant in Græcia.

De nobis optime meritum,] erant enim publicani ex ordine equestri, & Catilinæ conjurationis temporibus equites consuli Ciceroni assidue cum gladiis adstiterant. pro Sextio, & post reditum in senatu, & I. in Catilinam.

Per nos] vide orationem IV. in Catilinam.

Eos perire] Asiæ civitates: quas publicani vectigalibus acerbe nimium vexabant.

Ultimis terris] non orbis ultimi, nec imperii Romani, sed admodum remotis.

Pag. 17. *Publicis male redemptis,*] ideo videris publicanis satisfacere vix posse, quoniam publica nimium magno conduxerunt: ut ob eam caussam acerbius a sociis exigere cogantur; neque tu tantum illis possis concedere, quo non plus postulent, atque efflagitent.

Sine publicano] ipsæ enim per se civitates non facile ad colligendum vectigal adducuntur, nisi sit, qui præcipuam hujus muneris curam gerat, & suo periculo a sociis exigat. quod faciebat publicanus.

Æqualiter] quo facilius sine publicano exigi videbatur posse.

Sul-

Sulla descripserat] id fuisse talentorum xx. millia, &, cum duplum mutuantibus publicanis Asiani se esse reddituros promitterent, facta esse c. & xx. millia, tradidit Plutarchus in Lucullo.

Caunii] pars provinciæ Quincti: sunt enim in Caria, & Caria in Asia minore.

Rhodiis attributa?] quo beneficio? forte, quia Norbanum, Sulla repetente, reddendum censuerunt.

Genus ipsum,] vectigal.

Reliqua] ut publicanorum exactio.

Non legem spectare censoriam,] quæ in pactionibus faciendis consuleret provincialibus potius, quam publicanis. qua de caussa, cum pactiones facere cum provincialibus publicani ex lege censoria, utpote in ipsos iniquiore, omnino recusarent; possunt, inquit Cicero, provinciales quoquo modo pactiones facere cum publicanis, etiam si non iis plane conditionibus, quæ sunt a censoribus in vectigalium locatione constitutæ; ut scilicet negotium aliquando conficiant, & ea molestia liberentur, quam capiunt, cum se a publicanis quotidie appellari, atque urgeri vident. Et est a parum multis fortasse animadversum, legem censoriam hoc in loco, non re vera pro lege ad populum lata, sed pro locatione ipsa, usurpatam. censores enim ferendarum legum jus non habebant. cur autem non haberent, diximus in libro de legibus.

Censoriam] de vectigalibus, quorum locandorum cura penes censores erat. quidquid autem publicanis provinciales debebant, id vectigalium erat nomine contractum.

Commoditatem] quid enim commodius, quam aere alieno liberari, nec, ut ante, usuris exhauriri?

Pag. 18. *Sed & ab iis*] una in re duo monet fratrem; primum, ut, qua valet gratia atque auctoritate, ea cum Græcis publicanos conjungat; cum ita dicat, summam esse in publicanorum ordine dignitatem; ei se plurimum debere: deinde, non ut jam gratia aut auctoritate cum provincialibus agat, sed ab iis pro eo, quantum ei debent, quod plurimum est, petat, ut hoc ei de ipsis optime merito, quasi mercedis loco, retribuant, ne quid aspere nimium, aut acerbe contra rem aut voluntatem publicanorum decernant.

Commodiorem] suaviorem, ac faciliorem.

Societates] publicanorum: erant enim in plures societates dispertiti. fam. 207:

Idem faciunt Græci] quod argumento est, tua prudentia factum esse, ut inter eos conveniat.

Prope natura] ut ignis & aqua, sic fere diversi esse videntur publicani & socii; quod publicani suum commodum sine sociorum incommodo curare non possunt. quos tu tamen, inquit, amore & benevolentia conjunxisti.

A doctissimis hominibus] Aristotele in Ethicis maxime, Platone in Philæbo, & in IV. de rep.

Pag. 19. *Res ipsa, ac fortuna*] *Res*; quia, patre nati equite Romano, Romæ viventes, litteris a pueritia exculti, quid aliud agere nisi, non erat. contulimus igitur nos ad remp. non tam studio gloriæ, quam quod genus illud vitæ nobis potissimum conveniret: ut ipsa res, status quidam & condicio rerum nostrarum deducere nos in hanc vitæ rationem videretur.

Fortuna] quia potuit ea nos ad aliud vitæ genus impellere. tres enim caussas attingit Cicero, cupiditatem gloriæ, rem ipsam, fortunam: recte: nam priores duas, nisi accedat tertia, infirmas experimur. posset ita loqui, si quis casu in via inimico occurrens, petitus ab eo primum verbis contumeliose, deinde gladio cum periculo vitæ, vim vi repellere dum vult, eum interficiat. dicet enim ad elevandam culpam: Me non tam odium, aut veteres inimicitiæ, quam res ipsa ac fortuna ad hoc facinus adduxit. nam, ut esset in me cupiditas, non erat occasio; neque vero cupiditas simul & occasio satis ad perficiendam rem valebant, nisi fortuna cum utraque consensisset.

Ut te ante] notandum, particulam, *ut*, esse repetitam. quod alibi quoque factum a Cicerone animadvertimus, ut Acad. lib. 4. *Ut, quoniam Aristippus*, &c. libro etiam III. de Fin. *ne illud quidem consentaneum est, ut, si* &c.

Lentitudinis] non solum, inquit, ut ne irascamur, gravitas facit; quod laudabile est; sed etiam *lentitudo*, hoc est, segnities quædam naturæ, quam Græci dicunt ἀοργησίαν. in qua non modo laus, sed vitium quoddam videtur esse constitutum.

Pag. 20. *Theatrum est totius Asiæ*] neque *est*, neque *Asiæ* Bessarionis habet liber. alter scriptus, *theatrum totius Asiæ virtutibus est datum*. ego ex hac varietate legendum conjicio sic: *Theatrum tuis virtutibus est datum*. nam eo fidentius dictionem, *Asiæ*, tollo, quod abest a Bessarionis libro. in eo tantum muto, quod pro, *totius*, lego, *tuis*, ita postulante sententia. & opinor, cum ad dictionem, *theatrum*, aliquis pro glossa adscripsisset, *Asiæ*, eaque mox in Ciceronis verba esset recepta, ut ita legeretur, *theatrum tuis Asiæ virtutibus est datum*, factum esse, *theatrum totius Asiæ*, magnamque inde perturbationem esse consecutam.

Pag. 21. *Illa omnia*] non modo talem ut virum te præstiteris, qualem illa postulant, sed etiam præstantiorem.

Mihi casus urbanam] casu accidit, ut ego in urbe, tu provincia remp. gereres. Proprie tamen in Quincto magis, quam in Marco, casus nominatur. nam Quinctus ivit in provinciam, quod, eundum ut esset, casus tulit: qui contra ferre potuisset, eundum ne esset. Marcus vero non casu ivit in provinciam, sed voluntate, & consilio. provinciam enim deposuerat; ut ipse in epistolis ad Metellum, Catonem, Atticum scribit.

Et

Et si una pars] abundare puto, &c.

Elaborabis] Plane, & aperte, quod ad sententiam attinet; sed, quia nimium amamus antiquitatem, visum est quod in Bessarionis libro vidimus, id notare. habet enim, *elaborabis.* ut fortasse, *elaborabis.* usitatum est Horatio verbum.

Quamquam alterum] non satis intelligo, quid afferat ad sententiam verbum, *quamquam.* mallem, *quoniam*, vel, *namque.*

Amplissimis monumentis] scriptis annalibus, de quibus ad Att. lib. II.

Pag. 22. *Tertius actus*] Quintus, non tertius, extremus in comœdiis est actus: isque perfectior, & ornatior videtur. hic tertium annum imperii, quasi ultimum actum in fabula accipit, quando in administratione provinciæ ultimus est; *sit*, inquit, *ita ultimus annus in provincia perfectus*, ut est ultimus actus in fabula.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ II.

C. Julio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo, COS.

Pag. 23. S*Tatius*] Quincti libertus, gratiosior apud eum, quam deceret.

Quod ita scripsisti,] dubitationis quiddam subesse videtur his verbis; quasi dicat, *nisi tu ita scripsisses, aliter existimarem.* Eodem illa videntur spectare, quæ, non multis interjectis versibus, sequuntur: *Quod prorsus credo, quoniam tu ita judicas.*

Direptum] quod rem domesticam Statii studio ac fidelitate conservari Quinctus arbitraretur.

Neque antea visus esset,] ita scripserat Quinctus: Maxima fuisset Romæ exspectatio, maximus hominum concursus in reditu meo, talis, inquam, qualis numquam visus est, si Statius una mecum de provincia decessisset, Romamque venisset. itaque doleo illum sine me venisse. Tu hoc doles, respondet Marcus: ego lætor: quæ enim post ejus reditum in te absentem conjecta sunt, ea tu majore cum dolore præsens audisses, si tecum Statius venisset. exhaustus igitur te absente totus est hominum sermo, & multæ ejusmodi voces, ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν: quæ emissæ jam sunt. Homeri versus est in Οδ. 9. vers. 513. de Ulysse a Polyphemo pronunciatus: a quo tam pusillo tamque imbecillo miratur se esse excæcatum: qui ex vaticinio Telemi Eurimedis ab Ulysse quidem se id passurum, sed Ulysse aliquo magno ac formoso viro, suspicabatur. versus hi sunt integri:

Ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέγμην
Ἐνθάδ' ἐλεύσεσθαι, μεγάλην ἐπιειμένον ἀλκήν.
Νῦν δέ μ' ἐὼν ὀλίγος τε, καὶ οὐ τιδανὸς, καὶ ἄκικυς
Ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν, ἐπεί μ' ἐδαμάσσατο οἴνῳ.

Nunc, qua ratione horum versuum sententia, de Ulysse & Polyphemo ab Homero prolata, ad Quinctum & ad Statium accommodari possit, ut certe egregie potest, consideremus. Per triennium jam Quinctus Asiam rexerat. scripta enim est epistola in exitu fere anni tertii. rationem ejus administrationis fama jam nunciique Romam pertulerant: satisque notum erat omnibus in rebus eum uti consilio Statii liberti; quod Cicero modo occulte modo aperte conqueritur. exspectabant igitur homines liberti Statii adventum in urbem cum Quincto, quasi *τινὰ φῶτα μέγαν*; a quo provinciam esse administratam, tamquam a proconsule, audissent: qui cum venisset, quasi decepti, itidem ut Polyphemus, iisdem, quibus ille, versibus errorem suum poterant indicare. Quæ igitur voces, si cum Quincto Statius urbem esset ingressus, conjectæ fuissent; eas in unum Statium, absente Quincto, emissas Cicero gaudet; idque modeste significat, cum ait, *id mihi non incommode visum est accidisse*: ne offenderet animum Quincti ad iracundiam propensi, & de Statio optime existimantis.

Pag. 24. *Protulisse?*] cum diceret, se a te plurimi fieri.

Quoniam tu ita judicas:] de Statii fidelitate scripsit Quinctus & in ea epistola, qua manumissum Tironem gratulatus est his verbis: *Si enim mihi Statii fidelitas est tanta voluptati: quanti esse in isto hac eadem bona debent, additis litteris, sermonibus humanitate?*

Pag. 25. *Blaudenio,*] ex urbe Blaudo, quæ est in Phrygia; non *Blandenio*, ut est in quibusdam libris.

De hoc genere toto] cum ego tibi tam multos Græcos commendaverim.

Ad fallendum] eos, apud quos queruntur. astuti enim & ingeniosi ad fingendum & persuadendum Græci sunt.

Inimicissimi mei] feci tamen, ut, inimicitiarum ratione neglecta, eos in te lenirem. aut abundat, *mei*, & subaudiendum, *tui*: quod magis placeret: quasi præter ceteros Dionysipolitæ de Quincto quererentur.

Hephæstum] in hac dictione ausus sum, contra meam consuetudinem, paullisper ab antiquis libris discedere. nam *Hephæstum*, pro *Ephesium*, reposui. cur enim dicat, *Apamensem Ephesium*, duarum civitatum nominibus conjunctis, cum unum hominem proprio, simulque ejus patriam velit nominare, ut cum infert,

Mega-

Megaristum Antandrium, Niciam Smyrnæum, Nymphontem Colophonium?

Nugas maximas] levissimos infimæque condicionis homines: qui nec nominandi sunt.

Pag. 26. *Duo Mysos*] ita scripsi, ut antiquitatem retineam. sic enim est in Bessarionis libro. sic & Virgilius locutus est:

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros.

Cæcilium?] hi sunt homines Romani, qui in provincia Quincti negotiabantur.

Sanari non potest] quia tu in eum gravissime animadvertisti. vide epist. 1.

Ecce supra caput] ecce præter eos, quos significavi, occurrit animo meo, & quasi supra caput adstat, a me nominandus Catienus.

Sordidus] obscuræ arti deditus, quæstum fortasse sordidis rebus curans.

Equestri censu,] non ex equestri ordine, cujus census erat quadringenta millia nummum; sed eo censu, ut liceret ei per domesticam rem equestrem adipisci dignitatem. nam, quorum census infra quadringenta millia esset, iis non licebat.

Pag. 27. *Milvino*] videtur fuisse Licinii servulus, aut certe comes in rapinis hoc nomine. addit, *Pullo*, per jocum, ad rapacitatem indicandam: quia milvii rapaces.

Tributa] quod pecuniam quasi dominus imperaret, & minaciter exprimeret. quod præpotentes non nulli solent.

Dicendi sal, facetiæque.] quod acute dictis multorum animos offenderet.

Tuus vicinus] Macedoniæ, quæ Asiæ proxima adjacet, prætor.

Interioribus vicinis] *qui* in ipsa Asia sunt, & aliquam provinciæ tuæ partem, a te demandatam, administrant.

Valde magnum] cum ironia.

Quos nominavi] Virgilium & Octavium intelligit. hos enim duos nominavit: Cilicensis vero Syriacique nomina non posuit.

Qui neque Cyrum] cum tamen litteris exculti non sint.

Agesilaum] Lacedæmoniorum regem, qui in ore erat rhetorum declamantium, ut ait Suidas.

Inexorabilem] mallem, *exorabilem*: ut, quia multis petentibus satisfacere Quinctus voluerit, ideo scripserit iniquas, inusitatas, contrarias.

Tolle] da operam, ut colligantur, & supprimantur. hoc paullo post dicit apertius.

Pag. 28. *Scriptas*] ab iis, qui eas a Quincto petivissent. quas

fuisse *iniquas*, *inusitatas*, *contrarias*, cum iidem homines & peterent eas & scriberent, mirum non est.

Nullum delectum] cum omnes peræque litteras, quæ ad te afferebantur, obsignari juberes.

Selectarum] quæ ante ipsius adventum anulo tuo fuissent obsignatæ.

Varie] multis de rebus; in quibus, hoc quoque de genere quid sentirem, intelligere potuisti.

Vide per homines amantes tui,] da negotium hominibus amantibus tui, ut tecum simul videant, ne qua a te scribatur epistola aut iniqua, aut contraria, aut absurda, aut inusitata, aut denique in aliquem contumeliosa.

Sulla nomenclator] de ministris Quincti: a quo scriptam epistolam, Quinctique anulo obsignatam, Cicero legerat, minime probandam.

Tempore ipso] opportune hæc de epistolis a te paullo consideratius scribendis.

L. Flavius] Dio lib. XXXVII. nominat L. Flavium, Pompeji studiosissimum, qui tamen hic non est. nam ille tribunatum pl. gessit Afranio & Celere Coss. ut etiam patet ex libro I. ad Atticum: hic autem, Pisone & Gabinio, præturam, anno tantum uno post Afranii & Celeris consulatum. non enim arbitror, anno post tribunatum pl. proximo quemquam potuisse prætorem designari. quod si curulem ædilitatem omitti placuit: biennium tamen inter tribunatum & præturam oportuit intercedere. itaque Domitius & Ancharius, cum tribunatum gessissent, post annum, omissa ædilitate, præturam petierunt, & adepti sunt. vide orationem pro Sextio, & nostrum commentarium. de hoc autem Flavio, prætore designato, Dio libro XXXIIX. & Asconius in commentario orationis pro Milone.

Si infitiatur?] deberi quidquam Fundanio.

Prætor solet] prætor, ut in libro de legibus ostendimus, non judicabat, sed jus dicebat. judicabant autem judices a prætore dati, cum aliis de caussis, tum etiam de iis, in quibus, petita pecunia deberetur nec ne, dijudicari oportebat. monet igitur Quinctum, contra consuetudinem eum fecisse, qui judicaverit deberi.

Pag. 29. *Remittas de deminuendo*,] permittas ut de bonis Octavii deminuere possint.

Amplius] hoc amplius te rogo, Flavii caussa & scilicet Pompeji, qui Flavio amicissimus est, facias omnia.

Ex tua injuria in illum] noli credere, me hac de re propterea tecum agere, quia liberalitatis laudem quæram ex eo facto, quod injuriosum est. ego tuam injuriam tolli volo, existimationis tuæ caussa: non id ago, ut videar in Flavium liberalis.

Relinquas] tempus enim discessionis appropinquabat; cum annuum

quum praetoris imperium ultra Decembrem mensem non produceretur.

Juris dignitatisque retinens,] qui neque de jure, neque de dignitate sua quidquam detrahi passurus est.

Neque jure, cum judicare praetor non debueris, deberi.

De pactione, inter Graecos & publicanos a te facta epist. I.

In eadem epistola] quam dixit se scripsisse iracundius.

Pag. 30. *Graviora*, in te objurgando.

Ὀρθὰν τὰν ναῦν] fortasse dicit hoc: *Rectum navis cursum teneamus: deinde, si res ita postulet, moriemur*. quasi dicat: *agamus quod rectum est: reliqua omnia contemnamus*. & est ejus objurgationis, qua paullo graviore usus erat, excusatio. verba Graeca unde sumpserit, mihi quidem ignotum est. potuit a poeta mutuari, quod saepe solet.

Majora ista erunt] an hoc? ista, quae te moneo, quae ad te simulque ad me pertinent, majoris erunt momenti, quam illa, quorum caussa ille protulit haec verba: *ὀρθὰν τὰν ναῦν, ἅπαξ θανεῖν* sunt igitur eo nobis diligentius observanda.

Quae sunt non nulla,] hoc non ad ipsa verba, quae antecedunt, sed ad eorum sententiam accommodat. *quae*, inquit, *in te reprehendi, sunt omnino aliqua, sed tamen mediocria, & parva potius.*

Sardianus] Sardis urbs in Lydia fuit.

Pag. 31. *Deducas*] Romam.

Qui jam nihil sit] Non video quo referatur particula, *jam*: ac malim, *qui tam nihil sit*: cum & servus & nequam servus *nihil* omnino esse videatur. *homo nihil* veteres dixisse, tradit Varro de analogia lib. II.

Cato adolescens,] C. Cato, is qui triennio post tribunus pl. rogationem promulgavit de abrogando Lentulo imperio fam. ep. 5. l. I.

Pag. 32. *Concionem*] ab aliquo magistratu datam. nam alioqui, privatus cum esset, concionari non potuisset. ad Atticum lib. IV.

Privatus] cum a consule dictator dici soleat.

Occideretur] hoc significant illa verba Julii Obsequentis: *Propter Pompeji dictaturam ingens seditio in urbe fuit.* quod esse factum Cicerone & Antonio Coss. imperite falsoque Obsequens tradidit: qui, cum & is qui scripsit epitomen Livianam, & Dio, C. Antonium a Dardanis fugatum Caesare & Bibulo Coss. significent, Antonii calamitatem & Pompeji dictaturam simul statuerit, titulumque fecerit, ad annum indicandum, Cicerone & Antonio Coss.

Nostra causa] si diem nobis Clodius dixerit, qui nunc est tribunus pl. designatus.

Et quidem] liber Bessarionis manuscriptus admodum a nostro impresso discrepat: habet enim sic: *Ut quidam cum spe summa*

maxi-

maxima tum majore etiam animo sperent superiores fore nos confidant animo &c. Ex hac scriptura videtur non magna mutatione elici veritas posse. optime enim cum sententia Ciceronis congruet, si legatur sic: *Ut quidam, cum spe summa, tum majore etiam animo, sperent, superiores fore nos; confidant adeo*, ut in hac rep. &c.

In hac rep.] malim; *In hac re.*

Ne casum quidem ullum] ne fortuita quidem: quæ tamen ideo videntur pertimescenda, quia non sunt in potestate nostra.

Dixerit] ad populum, quod cives Romanos indicta caussa contra legem Semproniam condemnarim.

Discedamus:] ex judicio.

Pag. 33. *Horum regum*] Pompeji, Cæsaris consulis, Crassi, qui perniciosam reip. societatem inierant. sic ad Atticum lib. II. *Mirandum in modum reges odisse superbos.* & eodem lib. *Hoc vero regnum esse, ferri nullo pacto potest.* & ibidem: *Nec jam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt.*

Cæsar] consul: qui Clodium jam ad plebem traduxerat.

De mea comparatione] ita credo, ut nihilo me languidius comparem ac muniam. tale illud lib. II. harum epist. *Pompeius se comparat, homines ex agris accersit.* Ciceronem autem non admodum affirmanti Pompeio credidisse, indicat illud ad Atticum libro II. *Alterum facio, ut caveam: alterum, ut non credam, facere non possum.* & ibidem: *Pompeius confirmat, eum nihil esse facturum contra me. mihi periculosum est credere. ad resistendum me paro.*

Amici] omnes præter Clodium, hoc est, novem: ex quibus tamen, Cicerone in exsulium profecto, defluxit unus; & octo dumtaxat de reditu Ciceronis rogationem promulgarunt. hinc illa in oratione pro Sextio. *De meo reditu octo tribuni promulgarunt. nam ex novem, quos tunc habueram, unus me absente defluxit; qui cognomen sibi ex Æliorum imaginibus arripuit; quo magis nationis ejus esse, quam generis, videretur.* Cujus loci sententiam in nostro in illam orationem commentario satis aperuimus.

Consules] designati, Piso & Gabinius: qui tamen se non, quales ostenderant, præstiterunt.

Prætores] hos quoque designatos.

Domitium] L. Domitium Ahenobarbum, Cæsaris inimicissimum; quem prætorem cum C. Memmio collega, quem hic Cicero nominat, de ejus actis ad senatum retulisse, Suetonius prodidit. atque hujus maxime prætoris metu consensisse Cæsarem cum P. Clodio tribuno pl. de Ciceronis exsulio, facit illud ut credam, quod in oratione pro Sextio scriptum est his verbis: *Illi autem, aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnes res superioris anni labefactari a prætoribus putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant; suaque sibi propiora esse pericula, quam mea, loquebantur.*

Ni-

Nigidium] P. Nigidium Figulum, Romanorum omnium, uno excepto M. Varrone, doctissimum, ad quem est epistola lib. IV. fam.

Memmium] C. Memmium, eum qui sacris Juventutis, quibus ipse præerat, M. Luculli uxorem, ut Cicero in ad Atticum epistola jocatur, initiavit, quique Cn. Pompeji uxorem, per Curtium Niciam grammaticum, codicillis de stupro solicitavit: ut est in libro de claris grammaticis.

Lentulum] non potest hic esse P. Lentulus Spinther, qui consul fuit anno proximo post Pisonem & Gabinium Coss. distat autem biennio a consulatu prætura. Cn. Lentulum Marcellinum fuisse ne credam, eadem ratione adducor. gessit enim consulatum post Lentulum Spintherem. itaque prætor, Pisone & Gabinio Coss. uno tantum inter præturam & consulatum anno interjecto, esse non potuit. Quid si de L. Lentulo, flaminis filio, intelligatur? ne hoc quidem licet. repugnat enim historia. nam quî potest hoc anno, id est eo quo Gabinius & Piso consules designati sunt, prætor ipse designatus esse, cum hoc anno consulatum cum Gabinio petierit? id quod in Vatiniana interrogatione Cicero significat his verbis: *L. Lentulum, hunc judicem nostrum, flaminem Martialem; quod erat eo tempore Gabinii tui competitor*. Fuisse igitur crediderim L. Lentulum Crus: qui cum C. Claudio Marcello aliquot post annis consulatum gessit. Sed ecce, cum aliud quærerem, locus in oratione in Pisonem de improviso nobis oblatus, in quo L. hic Lentulus prætor nominatur.

Alios] quattuor reliquos prætores. erant enim omnino octo.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ III.

A. Gabinio, COS.
L. Calpurnio Pisone,

Pag. 33. *Videre noluerim*] de provincia decedentem. Scripta est hæc epistola ab exsule Cicerone. ad Att. l. 3.

Scilicet enim tu me affixisti] alii legunt, *irasci scilicet? tu enim me affixisti*. non reprehendo. sed malo sequi Bessarionis antiquum librum sane descriptum accurate, & ubique fere vel veritatem ipsam, vel vestigia veritatis præ se ferentem. est autem, *scilicet enim tu me affixisti*, si continuato spiritu legatur, συμπαθέστερον.

Consulatus] siquidem quæ consul gessi pro salute patriæ, ea me afflixerunt, rogatione a Clodio lata adversus eos, qui cives Romanos, indicta caussa, necassent. quod sane veteres quoque le-

leges vetabant. verum in eo paruit Cicero senatusconsulto, quod in M. Catonis sententiam factum est.

Præter unum me] vereor enim, ne, qui me perdiderunt, iidem non plane mea pernicie satiati, eadem, quæ mihi, eripere tibi conentur, dignitatem, patriam, fortunas.

Desiderium] mei absentis.

Mæror] ex mea calamitate.

Pag. 34. *Flens flentem*,] non aliqua tristi de caussa; ibat enim ad Asiam regendam Quinctus: sed hoc in digressu fratrum amantissimorum solet evenire, præsertim ubi vident futurum ut absint alter ab altero & aliquandiu & magno locorum intervallo sejuncti.

Prosequentem] cum in Asiam imperio proconsulari profectus es. mos enim hic erat, nimirum laudandus ob humanitatem, ut non solum propinquos verum & amicos, ad provincias administrandas proficiscentes prosequerentur extra urbem. hinc illud ad Appium, fam. l. 3. *Cum te paludatum prosequerer*.

Prius] quam qualis nunc sum.

Peccavi] quia mihi ipse manus non intuli, amissis rebus iis, quæ sunt in vita carissimæ, & quarum caussa vita ipsa diligitur.

Superstitem] vellem, inquit, obiisse ante hujus meæ miserrimæ fortunæ tempus. tunc enim superstes meæ non solum vitæ, verum etiam dignitatis fuisses: nunc omnis mea dignitas concidit. itaque nulla jam a me, si vita excedam, in te transferri dignitas potest.

Defenderet] tueretur. sic enim factum esset, ne vivo me careres, vivo me aliis indigeres. nunc mea pietas & amor in te venire in dubium potest: quandoquidem commisi, ut vivo me careres.

Commisi,] in quo mea pietas atque amor desiderari a te potest.

Fratrem solum desidero:] εἰρωνικῶς pronunciandum.

Prope fratrem] tolle, *fratrem*: sincerus erit, qui nunc mendosus locus est. nam quæ solet inter æquales suavitas esse, (solet autem maxima) eandem prope inter ipsos esse Cicero dicit. ergo non fratrem solum desiderat, simul enim desiderat æqualem: desiderat filium: desiderat parentem. Quod autem de tollenda dictione, *fratrem*, diximus, somnium non est. nam Franciscus Petrarca, poeta sermonis Italici hodierni omnium elegantissimus, Latini veteris haud valde bonus, ita legit in epistola 107. habuit enim librum scriptum, iis, qui nunc reperiuntur, emendatiorem.

Pag. 35. *Imaginem meam*] *Tuam*, magis placeret: sed, *meam*, ferri potest. sunt enim, qui patrum fratres ore magis referant quam patres ipsos.

Protinus pergas] ne ad me venias, sed protinus Romam pergas.

Te præsidio] te ipsum tibi præsidio præsentem esse. nam si quid temporis in reditu poneres, fieri posset, ut aliquid interim absens calamitatis acciperes. Hoc & ad Atticum scribit lib. III.

Pag. 36. *Auctoritatis*] si modo quid apud te valet hoc, quod me sperare vides, erige te, & confirma. spero autem tibi tuam integritatem, & amorem in te civitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturam.

Iste] quod ad te attinet. Timebat videlicet, ne quis ei, in urbem reverso, diem diceret ob provinciam avare administratam. ad Atticum lib. III.

Reprehensionem] nam, si restituor, magis eorum exstabit iniquitas, qui cum inimico meo ad me perdendum consenserint. non enim restituerer, nisi mea pateret innocentia.

Sui sceleris] quod amicum deseruerint, ac prodiderint.

Honestius] cadere enim in patria, fortiter cum inimicis pugnantem, honestum fuit.

Utilius] forte enim crudelitatem inimicorum mors mea satiasset: qui nunc, mea calamitate non contenti, valde timeo ne tibi immerenti negotium mea caussa facessant.

Tuum tempus] tuum periculum. Non placet, inquit, vivere, nisi si aut aliquid tuis rationibus, dum in periculo versaris, possum consulere; aut spem, non dico aliquam aut mediocrem, sed omnino firmam de meo reditu esse intelligis. non enim exigua in spe tantum pono, ut in tam misera turpique vita diutius velim commorari.

Genere ipso pecunia] placeret sic: *Genero ipso, pecunia*: ut C. Pisonem generum suum significet: cujus & mores & ingenium vehementer Cicero probavit. vide de claris oratoribus.

Pag. 37. *De permutatione*] te, cum ad urbem perveneris, pecuniam, permutatione sumptam, si ego vellem, mihi curaturum. quorsum hoc ad me retulisti? quasi vero nunc &c.

Acceptam] cum iturus essem in exsulium.

Ex ærario] quæ tibi Asiæ prætori de publico debebatur. certam enim pecuniam provinciarum rectoribus resp. numerabat. fam. lib. II.

Frustra] cognosce summam Ciceronis exsulis desperationem: qui cum ea pecunia ad se sustentandum usus esset, *frustra*, tamen dicat, quasi in res non necessarias erogatam; quod in tam afflicta fortuna vitam sibi non necessariam ac pæne molestam duceret.

Et M. Antonio] duo Quincti creditores, Antonius, & Cæpio. nec tamen abundat particula *&*, ut primo respectu videtur.

Quod cogito] ipse se exponit, cum infert, *huic enim.*

Molestia,] ut aliquis, nostris malis non contentus, negotium tibi facessat. sic in proxima, quæ sequitur, dixit, *si te satis innocentia tua & misericordia hominum vindicat a molestia.*

Con-

Conferas] auxilii caussa. nec dubium est, de M. Crasso dici; qui a Parthis cæsus est; & de M. Calidio, qui fuit orator dulcis potius quam vehemens; & prætor anno proximo de reditu Ciceronis legem promulgavit, ut est in oratione post reditum in senatu.

Arrio:] Q. Arrio, de quo lib. 2. ad Attic. & Varro de re rustica.

Fovendum] summa fuit inter Hortensium & Pomponium Atticum amicitia, ut ait Nepos in vita. vult igitur Hortensium Cicero suæ caussæ per Pomponium conciliari. & Hortensium potius nominat, quam quemvis alium, quod is præter ceteros nosse diceretur id, quod a Quincto contra leges commissum opinio erat.

Ne ille versus,] verebatur, puto, ne Quinctus frater de ambitu accusaretur; quod in petenda ædilitate pecuniam contra leges dedisset. quo tempore versus quidam in eum de lege Aurelia, qui ambitum notaret, conferebatur. Licet autem existimare, lege Aurelia sancitum de ambitu aliquid fuisse.

Falso testimonio] Hortensii in te.

Confirmetur] ut id nunc verum esse dicatur, falsisque testibus comprobetur, quod tunc significaverat ille versus, te scilicet in honore petendo pecunia usum esse.

Messallam] eum, ut opinor, qui cum M. Pupio Pisone consul fuerat.

Etiam simulatiorem] etiam Pompeius, si minus ex animo nobis favebit, saltem favere se simulabit. quod ad nostram caussam sublevandam aliquid, atque adeo multum erit, cum homines Pompeium nostri studiosum suspicabuntur.

Pag. 38. *Afferet*] jam enim de se, ut de mortuo, loquitur: & ideo infert, *sed, te incolumi, orbi non erunt.*

EXPLANATIO

EPISTOLÆ IV.

Iisdem consulibus.

Pag. 38. M*Isericordiaque*] Quid hic habet loci *misericordia*? an ipsius misericordia factum erat, ut ejiceretur? Malo igitur, quod indicat mihi meus ille, quem ego nunc ad singula verba inspicio, Bessarionis antiquus liber; malo, inquam, pro *Misericordiaque*, legere *Miseriaque*: cum veterem scripturam hujusmodi esse videam, *Miaque*, dictione contracta, unde fluxit error.

Decipi] ut a Pompeio, quem summis beneficiis ornaveram.

Pag.

Pag. 39. *Præter fidem amicorum*] verbum, *obfuit*, aut simile quid, præ dolore omisit.

Cautum] cum discedere malui, quam pugnare.

A molestia] ut tibi si ipsi nemo periculum intendat.

Sextius] P. Sextius tribunus pl. designatus.

Piso,] gener Ciceronis, qui obiit ante reditum illius.

Retinuerunt,] litteris.

Motus] urbanos: quorum exspectatione longius discedere nolui.

Exitum illorum] exitum illorum motuum.

Inimico,] P. Clodio tribuno pl.

Obtrectatorum,] Pompeji, Cæsaris, & Crassi; qui meæ dignitati obtrectantes, inimicum meum foverunt.

Denociis] sic antea. nos, *de novis*, reposuimus. ut *novos* pro designatis ponat, sicuti libro ad Atticum III. *Novi tribuni pl. si essent timidiores.* & ibidem dixerat jam, *veterum tribunorum pl. rogatio.* Alii, *Domitius autem tribunus pl.* quorum est manifestus error; quod, ut jam ostendimus, inter illius anni tribunos Domitius non fuit.

Gratidius,] video sic esse & in libris manuscriptis: magis tamen placeret, *Fabricius*. nominantur enim octo tribuni pl. in oratione post reditum in senatu, T. Annius Milo, P. Sextius, C. Cestilius, M. Cispius, (sic enim in postrema nostrorum librorum editione reposuimus; cum legeretur, *Mosopius*) T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius. Q. Fabricius: qui octo tribuni pl. de reditu Ciceronis promulgarunt. duo reliqui, quos in ea oratione non nominat, propterea quod promulgare simul cum collegis noluerant, fuere, ut apud Asconium legimus, Sex. Atilius Serranus, Numerius Quinctius. quos a me ideo nominatos omnes volui, quo certius probarem, in hac epistola &, *Fabricius*, potius legendum esse, quam, *Gratidius*; cui sententiæ subscribere videtur etiam oratio pro Sextio; & iis assentiendum non esse, qui, *Domitius*, malunt, quam, *de novis*, legere.

Intercessor] ex ipsis tribunis pl. aliquis.

Pag. 40. *Mentem exturbarent meam*] omne mihi consilium eriperent.

Consulum] designatorum, Lentuli, & Metelli. totam enim posuerat spem in proximi anni magistratibus.

Timor] quod timeo, ne prætores designati, ubi magistratum inierint, nobis non amici sint.

Publicanorum arma] forte id est, quod dixit, *propter nescio quos motus.* ex armis autem gravior exsistit inter cives dissensio: & ad restituendum Ciceronem summa omnium consensio requirebatur. verum, quid si aliter distinguatur, sic, inquam? *Alienatio consulum, etiam prætorum, timor publicanorum, arma.* mihi quidem placeret magis.

Meorum] uxoris, filiæ, generi. nam filius annum ætatis vix ſeptimum agebat.

Phætonti] liberto.

Communem caſum] meam calamitatem, quæ tibi communis eſt: quæ non ut omnis auferatur, poſtulo, ſed, ſi aliqua ex parte relevabitur, magnum quiddam facies.

Scilicet incredibile quiddam aſſequeris] *ſcilicet*, hic ad affirmandum uſurpatur, non, ut interdum, cum ironia, quæ negandi vim habet. ſic ep. 6. l. 1. fam. *Me in ſummo dolore maxime ſcilicet conſolatur ſpes* &c. poteſt etiam hic locus aliter diſtingui, nec, ut arbitror, inepte, ſic: *ſi levare potes communem caſum, miſericordia hominum ſcilicet, incredibile quiddam aſſequeris.*

Qui erit conſul] jam enim deſignatus erat: quod inde patet, quia in hac ipſa epiſtola mentio fit de tribunis pl. deſignatis.

Quid ſit] rei aut ſpei ad ſalutem noſtram.

Videbis omnino.] poteſt & ſic interpungi: *Videbis. omnino, ſi tuam* &c.

Ne ceſſaris] ne ſis languidior, ſed ſtrenue reſiſtas.

Non enim gladiis] ſe ipſum nominat, cum de fratre intelligat; quod eandem utriusque fortunam ducat. *non, inquit, me, hoc eſt, te, gladiis, ſed litibus petent.*



IN



IN EPISTOLARUM M. TULLII CICERONIS AD QUINTUM FRATREM LIBRUM II. PAULLI MANUTII COMMENTARIUS.

EXPLANATIO EPISTOLÆ I.

Pag. 41.  *Cripsit*] hanc P. Cornelio Lentulo Spinthere, Q. Cæcilio Metello Nepote cos. mense Decembri, id est in extremo anno; cum mense Sextili, iisdem consulibus restitutus esset. Q. Frater in Sardinia, legatus, ut opinor, a Pompeio missus, rei frumentariæ caussa. nam quindecim sibi ejus muneris gratia Pompeius legavit, ep. 1. l. 4. ad Atticum, & apud historicos.

Sub dies festos] a XVII. Kal. Januarii ad usque fere extremum mensem dies erant festi, Saturnalia, Opalia, Angerotalia, Larentinalia, Juvenalia.

Duo consules designati,] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Martius Philippus: quos immiscet consularibus.

P. Servilius,] Isauricus, pater ejus qui consul novem post annis fuit cum C. Cæsare.

M. Lucullus,] frater, non germanus sed consobrinus, ut ait Eutropius, L. Licinii Luculli, qui Mithridatem Tigranemque devicit. Periit autem paullo ante quam hæc epistola scripta est, certe his consulibus: quod videmur satis probasse in commentario nostro epistolarum familiarium. & quamquam Liciniæ gentis cognomen sit Lucullus, hic tamen non Licinius, sed Terentius est. cur ita censeam, argumentis, ut opinor, facile probabo. Primum actione tertia in Verrem consules simul M. Terentium & C. Cassium video nominari. collegam autem C. Cassii fuisse in consulatu M. Lucullum, plane constat ex oratione pro Cluentio. Neque vero quisquam illud objiciat; alterutrum esse necesse, ut vel ex Licinia gente sit, cum Lucullus, quod ejus gentis cognomen fuit, dicatur; vel, si ex Terentia est, Varro potius vocetur, ut Terentiæ gentis cognomine utatur. hærebit omnino, hac dubitatione impeditus, qui morem antiquum ignorat. mihi quidem facile viam aperit antiquitatis observatio. legi enim sæpe ac notavi, eos, qui jure adoptionis in aliam familiam transissent, duobus cognominibus, uno prioris familiæ, altero posterioris usos esse, ita ut novum cognomen veteri anteponeretur. hoc ita esse, cum alia exempla, quæ brevitatis caussa omitto, tum illud satis indicat in eo senatus consulto, quod insertum epistolæ M. Cœlius ad Ciceronem misit. sic enim est in eo. *Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio*, cognomine *Scipionis* post *Metelli ac Pii* cognomen collocato: quia Scipionem Q. Metellus Pius, Numidici filius, adoptaverat. itidem hic noster & Varro & Lucullus dicebatur, sed frequentius tamen Lucullus ob eam caussam, quia veteri, quam novo, cognomine notior erat. adducor autem in hanc opinionem eo libentius, quod lapides illi capitolini, proximis annis Romæ reperti, Lucullum hunc consulem, dictionibus vetustate consumptis, ita ponunt: M. — VS. M. F. — R. LUCULLUS. neque enim dubito, quin littera illa, R, quæ ab illis duab. M. F. longissime distat, alterum cognomen sit, quod a Terentio, patre adoptivo, Lucullus accepit; hoc inquam, VARR. quod, *Varro*, significat, sicuti LUCULL. pro *Lucullus*, ibi scriptum videmus, & in iisdem lapidibus MARCELL. MESSALL. DOLABELL. NASIC. pro, Marcellus, Messalla, Dolabella, Nasica, ita divisa syllaba postrema, ut interdum duæ litteræ, interdum una tantum omittatur: ut, cum scribebant, MAG. pro MAGI. Quod

an-

autem, ubi nomen esse oportuit, lapis habet US: supplementum esse verum dico, TERENTI. ut, quod imperfectum nunc est, integrum hoc sit, M. TERENTIUS M. F. VARR. LUCULL. nisi si quis prænomen etiam avi putet adjungendum: quod sane desiderari suspicor in lapide. video enim inter F. & R. spatium esse paullo latius, quam ut tribus tantum illis litteris, VAR. quas ego addo, totum impleatur. præterea, ubi lapis corruptus non est, avorum prænomina consulibus adjuncta licet animadvertere prænomen autem illud, quod esset addendum, assequi divinatione non possumus: cum is Varro, cujus filius Lucullum adoptavit, consulatum non gesserit, ac non modo in lapidibus illis, sed nec in historiarum monumentis, quod sciam, usquam nominetur. Est igitur hic, M. Terentius M. F. Licinianus, Varro, Lucullus; a quo, & ab ejus collega C. Cassio, lex illa Cassia frumentaria lata est, de qua Cicero bis meminit in Verrem.

Lepidus,] non M. Lepidus, qui postea triumvir perdendæ rei publicæ fuit, qui nominari non potuit inter consulares, cum non nisi multis post annis consul fuerit; sed, Man. Lepidus, qui consulatum gesserat cum L. Volcatio Tullo. itaque eos Cicero deinceps memorat.

Glabrio] Man. Acilius Glabrio; qui anno ante Lepidum & Volcatium consul cum fuisset, post eos tamen hic nominatur. quod mirari puerile est. prætor fuit in caussa Verris.

Pag 42. *Prætores*] cum ex prætoribus neminem nominet, apparet omnes affuisse. omnes autem hoc tempore octo omnino fuerunt. argumenta, quibus adducor, ut ita esse credam, hæc sunt. Prætores, gesto magistratu, exibant in provincias. hoc in dubium vocari non potest. plena exemplorum omnia. videtur igitur esse rationi consentaneum, ut earum provinciarum numerus cum prætorum numero congruerit. has porro in senatusconsulto, quod M. Cœlius ad Ciceronem misit, octo video nominari. *Itemque*, inquit, *senatui placere, in Ciliciam provinciam, inque octo reliquas provincias, quas prætorii pro prætore obtinerent*: & quæ sequuntur, Et in oratione pro Milone, *erat*, inquit, *id temporis consul P. Lentulus, septem prætores, octo tribuni plebis, defensores mei. Septem* nominat, uno Appio de omnibus excepto: quod aperte indicat in oratione in Pisonem, his verbis: *De me cum omnes magistratus promulgassent, præter unum prætorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos tribunos pl. legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegæ Q. Metelli sententia.* Et pro Sextio sic: *Collegas Milo adjutores habebat. consulis alterius summum studium, alterius animus pene placatus. de prætoribus unus alienus.* Quod si quis putet, unum quidem Appium ex universo prætorum collegio a collegis in Cicerone revocando dissensisse, collegas tamen ipsos non

non plane septem fuisse, *locumque* jam a nobis ex oratione pro Milone recitatum fortasse mendo non vacare; quod in notis numerorum facile solet evenire: huic, opinor, hanc suspicionem eripiam, ipsius Ciceronis testimonio. nam in oratione post reditum in senatu, ubi commemorat eos magistratus, quorum ope redierat ab exsulio, nomina ponit octo tribunorum pl. & septem prætorum, eorum scilicet omnium, quos in ea pro Milone significaverat. Scriptum est etiam apud Dionem lib. XLII, de prætoribus a C. Cæsare, post Cn. Pompejum in Pharsalia devictum, decem creatis, ut gratiam bene de se meritis referret. ἵνα γὰρ, inquit, πλείους αὐτῶν ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον. quod si, plures ut remunerari posset, decem prætores, & plures, quam antea fuerant, sacerdotes creavit: nimirum constat, prætores non antea decem fuisse. Nam quod in Pomponio de origine juris legitur; „ *Cornelius Sulla* quæstiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis; & prætores quattuor adjecit, deinde C. Julius Cæsar duos prætores, & duos ædiles, qui frumento præessent, a Cerere *Cereales constituit*: „ id me minime conturbat. non enim dixit, adjecit quattuor prætores ad numerum veterum prætorum; sed, adjecit quattuor de iis, qui prætores erant, ad publicas quæstiones; ut quattuor ab ipso quæstionibus institutis quattuor item prætores præessent: quos autem duos ait prætores à C. Cæsare adjunctos, eos, opinor, intelligit, de quibus meminit Dio, qui denarium numerum absolverunt. Patet igitur de prætoribus octo usque ad tertium C. Cæsaris consulatum. quid enim dubias conjecturas colligere opus est, in ea re, quæ satis manifeste probatur & ex eo senatus consulto, cujus verba recitavimus, & ex quattuor Ciceronis orationibus, & ex Dionis historia? Sed arguit nescio quis, ut decem prætores ostendat, hoc modo. Prætores publicis quæstionibus præerant: publicæ quæstiones erant septem, inter sicarios, de repetundis, peculatus, de ambitu, de majestate, de vi, de falso; quæ crimen veneficii, & alia quædam complectebatur. ergo, cum septem essent quæstiones, quod patet ex oratione pro Cluentio, & quæstioni inter sicarios duo prætores præessent, reliquis autem singuli prætores: fuisse prætores octo, qui quæstionibus præessent, & duos præterea, quorum alter inter cives, alter inter peregrinos jus diceret, necessarium videtur. Dixi jam, non esse agendum conjecturis, aut argumentis, ubi veterum testimonia perspicua sunt. nec vero illa, quæ jam attuli, obscura videri possunt. Quod vero ad numerum quæstionum attinet, diversa ratio est. nam si numerum prætorum ad numerum quæstionum accommodabimus; non modo plures quam octo, sed plures etiam quam decem creari prætores necesse erit. est enim quæstio de falso, est de parricidio,

dio, inter ficarios, de injuriis, de veneficio, de vi, de ambitu, de majestate, de repetundis, de peculatu, de incestu, aliæ. Ego autem ad argumentum illud, ne quis eo in aliquam dubitationem vocetur, ita respondeo: primum, præesse potuisse unum prætorem quæstionibus pluribus, sicuti non unus prætor, sed duo quæstioni inter ficarios interdum præfuerunt. possunt, exempli gratia, sex prætores ita distineri crebritate judiciorum, ut novis exorientibus quæstionibus vacare non liceat. potest eo tempore septimus prætor (reliquus erat unus urbanus, qui non quærebat, sed jus dicebat) in ea quæstione minime occupatus esse, quæ forte illi contigerat. hic, non dubito, quin ad eas quæstiones exercendas decreto senatus traduceretur, quibus vacare sex reliquos prætores non potuisse jam dixi. non enim committendum, ut impunita crimina differantur, nec sit locus, quo nocentes rei adducantur. Age vero, concedatur, quæstiones ab uno prætore plures exerceri non licuisse: sequitur ne necessario, ut ideo plures, quam octo, prætores, quia quæstiones plures quam octo, fuerint? non sane, mihi quidem ut videtur: nisi si mihi illud ante rationibus probetur, quæstiones non potuisse ab aliis, quam a prætoribus, exerceri. quod si quis aggrediatur probare, fortasse hærebit. At nostra ratio quo modo procedit? optime videlicet: nititur enim testimonio veterum: a quo ego, quantum in me est, do operam ne discedam. quid igitur veteres testantur? præfuisse & publicis quæstionibus & capitalibus qui prætores non essent: qui judices quæstionis dicebantur. nam quæstionem de veneficio, quam exercuit prætor Q. Voconius Naso, aqud quem Cicero Cluentii caussam egit, exercuerat ante C. Junius, non ut prætor, sed ut judex quæstionis, qui & *quæsitor* vocabatur. patet ex oratione pro Cluentio: patet etiam ex Asconii commentariis. judicum autem quæstionis duo fuisse genera, alios prætores, ut Q. Voconium Nasonem in caussa Cluentii, alios non prætores, ut C. Junium in caussa Oppianici, multis verbis demonstratum est in libro de legibus. Atque hac ratione tueor locum illum in oratione pro Cluentio, in quo sex prætores cum nominasset Cicero, Q. Voconium Nasonem, M. Plætorium, C. Flaminium, C. Orchinium, se ipsum, C. Aquillium, subjunxit, *quid reliquæ quæstiones?* quibus ex verbis reliquos prætores intelligi, falso conjecit is, quem supra significatione tantum, ne cui videamur voluisse detrahere, appellavimus. vel enim, ut dixi, de iisdem prætoribus ibi nominatis, qui reliquas illas quæstiones exercere possent, licet intelligere; vel, quod jam probavi, de illis quæstionum judicibus, qui cum prætores non essent, quæstionibus tamen non modo publicis, verum etiam capitalibus (nec enim publicæ capitales omnes erant) interdum præerant. Reliqui duo prætores, Ciceronis collegæ, P. Cassius, & C. Antonius fue-

re. Cassius de majestate quæsivit: Antonium, cum reliqui septem, quos nominavimus, omnes quæsierint, prætorem urbanum fuisse, jusque dixisse, necesse prorsus est. Hic teneris, inquit, octo prætores nominasti, & peregrinum omisisti: quem adjungi necesse est: &, si adjungitur, plures erunt, quam octo. Explico me Pediani ope: cujus elegantem, plenumque antiquitatis, ac vere aureum libellum non pænitebit umquam legendo contrivisse. is igitur in commentario orationis adversus Antonium, & Catilinam, prætorem eum, qui de repetundis quæreret, eundem jus inter peregrinos dixisse demonstrat. quod nec a ratione videtur discrepare. non enim civium, sed sociorum, hoc est peregrinorum, caussa judicia repetundarum sunt instituta. jure igitur idem prætor & jus dicebat inter peregrinos, &, iis petentibus, de repetundis quærebat. quod cum ita sit: jus inter peregrinos prætorem Ciceronem dixisse, qui de repetundis quæsivit, pro certo putandum est. verum Pediani verba, ut ejus testimonio res pateat, subscribamus. „ *Antonius*, inquit, *multos in Achaia spoliaverat*, *nactus de exercitu Sullano* equitum turmas. deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. egit pro Græcis etiam tum adolescentulus C. Cæsar, de quo paullo ante mentionem fecimus. & cum Lucullus id, quod Græci postulabant, decrevisset; appellavit tribunos Antonius, juravitque se ideo appellare, quod æquo *jure uti non posset*. „ quem locum & Plutarchus attigit in vita Cæsaris, sed ita mendose, ut mirer eum in rebus Romanis tam turpiter esse lapsum. primum P. Antonium nominat, qui C. fuit: deinde Macedoniæ prætorem appellat M. Lucullum, qui prætor Romæ fuit: tertio, de corruptis judiciis accusatum ait Antonium, qui accusatus est de repetundis: postremo, tradit eum ideo tribunos pl. appellasse, quod sibi non licere cum Græcis diceret æquo jure in Græcia contendere: cum appellare in provincia ad tribunos pl. qui Romæ erant, nemo soleret. questum potius ad senatum socii veniebant, nec de corruptis judiciis, sed de pecuniis ereptis, aut de nece injusta, aut hujusmodi flagitiis: de quibus aut ad prætorem, aut etiam ad populum quandoque agebat accusator. quare Plutarchum hoc in loco non puto posse ab inscientiæ culpa vindicari. Hæc præter consuetudinem meam, hoc est eam, quam puto esse tenendam in conficiendis commentariis, paullo fusius tractavi, non ambitione adductus, sed studio veritatis; ne confirmaretur opinio illa de decem prætoribus ante bellum civile Cæsaris & Pompeji.

Ad ducentos] hic tamen frequens senatus dici vere non potest. nam in epistola quadam ad Atticum CCCCXV, & in oratione post reditum in senatu CCCCX senatores nominantur. non igitur, *frequentes*, ex universi senatus numero, sed, *frequentes*, ut mense Decembri.

Com-

Commoverat exspectationem] quia senatum coëgerat, ut ageret caussam agri Campani. licebat enim senatum habere etiam tribunis pl. ut Gellius docet. hic autem senatum a Lupo esse habitum, non modo ex duabus illis dictionibus, *commoverat exspectationem*, conjicio, sed inde etiam quod in hac epistola nullam prorsus neque Lentuli consulis, neque collegæ ejus Metelli fieri mentionem video.

Lupus] P. Rutilius Lupus. hic sine dubio tribunus pl. erat; cum rogandi sententias potestatem haberet, ut paullo post liquet, sententiæ porro non nisi a magistratu rogabantur. sed quid opus est argumentari? in epistola ad Lentulum, quæ scripta est Marcellino & Philippo Coss. ep. fam. l. 1. ep. 2. *Lupus*, inquit, *tribunus pl. quod ipse de Pompeio retulisset*. Quid autem, si quis ita objiciat? fuisse Lupum tribunum pl. Marcellino & Philippo Coss. quo in Ciliciam anno Lentulus Spinther profectus est: quod utrumque cognoscitur ex fam. lib. 1. non posse igitur, quo anno scripta est hæc epistola, hoc est, Lentulo Spinthere, & Metello Nepote Coss. tribunum pl. esse. Inepta dubitatio non est, quæq. rerum Romanarum imperitos facile perturbet. ea tamen diluitur, si sic objicienti respondeas. Tribunus pl. sane fuit Lupus Marcellino & Philippo Coss. idem tamen Lentulo quoque & Metello Coss. utrumque enim licuit. nam, cum consules per totum Decembrem mensem magistratum gererent; tribuni autem plebis ad usque tantum IV. id. Dec. sequebatur, ut per ejus mensis dies reliquos consulibus iis, qui ab exitu magistratus minimum aberant, novi tribuni pl. essent, iidemque, cum primo Januarii die novi consules magistratum inissent, per totum insequentem annum, ad IV. id. Dec. quod a Dionysio Livioque didicimus. erat igitur tribunus pl. Lupus Lentulo & Nepote Coss. in extremo anno, hoc est, post IV. id. Decemb. annoque insequenti, Marcellino & Philippo Coss. ad eundem usque diem magistratum peregit. Collegas ejus invenio septem, L. Porcium Catonem, C. Caninium, L. Racilium, Cn. Plancium, A. Plautium, Sex. Antistium Veterem, * Cassium. ipsi prænomen fuit Publio, nomen Rutilio. fam. lib. 1. pro Plancio, ad fratrem, Dio. prætor fuit belli civilis anno 1. Lentulo & Marcello Coss. quod Cæsar in comm. de bel. ci. lib. 1. docet, & Cicero ipse lib. IIX. & IX. ad Atticum.

Agri Campani] C. Cæsar in consulatu legem tulerat, ut ager Campanus, & qui publicus erat, & qui possidebatur a privatis, plebi divideretur. divisitque consul ipse partem ejus agri publicam. reliquum a privatis emi pecunia publica oportebat. a quo Lupi trib. pl. voluntas cum abhorreret, disputavit in senatu contra legem Cæsaris accurate. vide hic ep. 5. & ep. 9. l. 1. fam. ad Lentulum.

Materiam rei] quæ ipsa sibi audientiam facit.

Nostris actionibus] laudavit omnia, quæ acta sunt a me in consulatu, ne ager Campanus P. Servilii Rulli tribuni pl. lege veniret.

In C. Cæsarem] qui consul de agro Campano plebi dividendo legem tulerat. Suetonius, Appianus, Dio, Plutarchus, ad Atticum non semel lib. II.

Gellium] L. Gellium crederem, qui cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit: sed eum inter consulares nominasset. aut igitur alius Gellius est: aut, si consularis est, non affuit in senatu, sic uti nec Cæsar aderat, nec Pompejus; quorum in alterum aculei, cum altero expostulationes fuerunt.

Expostulationes] cum quereretur, agrum Campanum a Cæsare divisum esse, consentiente Pompeio. ad Atticum lib. II. Plutarchus, alii.

Absente Pompeio] aberat rei frumentariæ caussa. ad Atticum, lib. IV. ad hunc, ep. 9.

Absente] non erat in senatu, quia, rei frumentariæ præpositus, ad urbem cum imperio erat. imperium autem habentibus urbem ingredi non licebat.

Sententias se rogaturum] & hic apparet, tribunum pl. fuisse Lupum. præter enim magistratus, rogandi sententias potestatem, ut jam dixi, nemo habebat.

Ne quod onus] nolle se a senatoribus sententias dici; ne, cum adversus voluntatem alicujus loquerentur, in simultates, & inimicitias inciderent.

Conviciis] meminerat enim, quæ in senatu superioribus temporibus, cum ageretur de agro Campano, altercationes, & convicia fuissent. inde, quid quisque sentiret, poterat intelligere. nam cum antea convicia in eos, qui de agro Campano dividendo agebant, essent a senatoribus plerisque conjecta; tunc autem, ipso venditionem suadente, mirum silentium esset: ex eo silentio, probari, quod ipse vellet, ita cognoscebat, ut antea, quod de agro Campano ferebatur, improbari, de conviciis intellexerat.

Milo cœpit dimittere] senatum. sed in voce, *Milo*, insignem esse mendam existimo. fuit omnino trib. pl. T. Annius Milo iis consulibus, quibus hæc epistola scripta est: sed exierat jam e magistratu; cujus, ut diximus, extremus erat dies v. id. Dec. suumque magistratum novi tribuni plebis, quorum unus erat Lupus, inierant. quare potestatem dimittendi senatus, cum tribunus pl. non esset, habere Milo non potuit. puto igitur, hæc tria verba de Lupo esse dicta; ut, qui senatum vocaverat, idem cœperit dimittere. neque vero, quod ad correctionem attinet, quo me conjectura ducat, non habeo: sed ego non is sum, qui, cum aliquid sine antiquorum librorum ope, aut sine manifesto historiæ consensu corrigo, ipse mihi magnopere placeam. dicam tamen,

men, quod sentio. pro, *Milo cœpit dimittere*, reponi posset, una tantum addita littera, *in illo cœpit dimittere*: hoc est, *in postremis illis verbis*. Se intelligere, quid senatus sentiret.

Marcellinus] consul designatus; qui paucis post diebus, hoc est, Kal. Januarii consulatum inivit. propterea primus a Racilio tribuno pl. sententiam rogatus est: quod proxime sequitur. sententiam enim primi rogabantur consules designati. qua de re plenius in libro de senatu.

Cum Pompejus absit,] qui cum bello Mithridatico se divisurum suis militibus agrum Campanum ostendisset; ipso absente, agri Campani caussam agi, non satis æquum videbatur.

Se senatum negavit tenere.] dixit, quod ad ipsum attineret, licere senatoribus abire; cum illis verbis uteretur, quæ magistratuum erant peculiaria in dimittendo senatu: Patres conscripti, nemo vos tenet. Livius.

Racilius] L. Racilius, tribunus pl. de quo fam. lib. 1. hic senatum, Lupo dimittente, retinuit, pro potestate tribunicia.

Surrexit] ex hoc loco, *stantes* magistratus in senatu verba fecisse, constat: quod de senatoribus tradit Pedianus. & *Surrexit*, nimirum cum in senatu sederet. quo fœdior patefit error Dionis, ac Valerii Maximi, quorum uterque non licuisse tradit ingredi senatum tribunis pl.

De judiciis] ut judicia fierent in eos, quibus dicta dies erat. & unum maxime Clodium animo spectabat.

Is cum graviter de Clodianis incendiis] paucis ante diebus idem senserat: quod ad Atticum Cicero scripsit his verbis: „ *Proposita Marcellini* sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram caussam, areæ, incendiorum, periculi mei, judicio complecteretur eaque omnia comitiis anteferret, proscripsit se per omnes dies comitiales de *cælo servaturum*. „

Ut ipse judices per prætorem urbanum sortiretur:] Clodius de vi, accusante Milone, reus erat; quod in ep. ad Lentulum illa verba significant: „ *Impunitatem est eorum sententiis assecutus*, qui, cum tribunus pl. pœnas a seditioso cive per bonos viros judicio persequi vellet, exemplum præclarissimum in posterum vindicandæ seditionis de rep. *sustulerunt*.„ Et in oratione pro Sextio. *In eum igitur Marcellinus ipse sortiri judices, prætoris urbani opera, volebat.* quamquam rectius, meo quidem judicio, legeretur: *Ut ipse judices prætor urbanus sortiretur*. forte enim, cum in libro vetere aliquo scriptum esset, *Præt. urb.* hoc est, *prætor urbanus*; addita ab imperito homine, mendosum locum suspicante, particula, per. quod si legatur, ut dixi; intelligendum erit, hoc anno non urbanum prætorem, sed alium e collegio de vi quæsivisse, judicesque sortitum esse: porro Marcellinum munus illud sortitionis ad prætorem urbanum noluisse transferri; fortasse quod ejus prætoris, qui de vi quæreret, diligentiæ, aut fidei non ita confideret.

sideret. atque hæc, quæ tantum a conjectura manant, nec ullius loci testimonio confirmantur, examinari paullo accuratius volumus ab eruditis.

Sortiretur:] ex universo numero; qui ex tribus ordinibus, *senatorio*, *equestri*, *plebeio*, constabat. quod multis docemur exemplis.

Comitia] ædilicia, quibus petebat Clodius; & ob eam caussam ante judicia haberi comitia volebat, ut, ædilis factus, Milonis accusationem facilius eluderet. quod ita contigit. hinc illud ad Atticum lib. IV. *Ille postea, si sua comitia non fierent, urbi minari.*

Haberentur:] paucis ante diebus fieri judicia Marcellinus ante comitia voluerat; itaque dixit Cicero, in ea, quam nominavi, ad Atticum epistola, *eaque omnia comitiis anteferret.* nunc sententiam ex parte mutat. concedit enim, ut comitia habeantur ante judicia, sed sortitione judicum prius facta cum eo, ut, habitis comitiis, judicia statim fiant: qui judicia impedierit, is contra remp. fecisse judicetur. ita nec impedit comitia; &, caussam judiciorum eripi cupientibus bonis, non patitur.

C. Cato,] tribunus pl. epist. 3. & 4. & epist. fam. lib. I.

Cassius] & hic tribunus pl.

Acclamatione] adversus Cassium; quia comitia fieri ante judicia vellet.

Philippus] L. Marcius Philippus, Octavii, cui Augusto postea cognomen fuit, vitricus. hic cum designatus consul esset cum Lentulo Marcellino, sententiam post eum proximus rogatus est, nam qui priore loco designatus consul erat, priore item loco sententiam rogabatur; ut in libro diximus de senatu,

De privatis] ergo post omnes magistratus.

De toto furore] non de eo solum, quod expulisset fabros de area nostra; quod Catuli porticum, quæ ex senatusconsulto, consulum locatione, reficiebatur, disturbasset; quod Quincti fratris domum inflammasset; quod insecutus esset me lapidibus, fustibus, gladiis; quod Milonis domum, meamque incendere conatus esset; quorum criminum nomine reus erat; sed plane de omnibus delictis, quæ, immani quodam furore incitatus, aut in me, aut in alios, aut in ipsam remp. commiserat.

Secundis] assensum indicantibus. ductum a ventis: quibus cum utimur secundis, fertur, quo volumus, recto cursu navis.

Pag. 43. *Severus Antistius*] cum in ep. M. Bruti *Veterem Antistium* vocari videam, suspicor hic de menda. & forte legendum sic: *Sex. Vetus Antistius*; aut, *vetus Antistius*: quod dictio, *vetus*, in *verus*, duarum litterarum, *t* & *r*, similitudine, conversa facile sit; & *verus*, deinde abierit in *severus*: ut sunt homines ad ea mutanda proclives, quæ statim ut intelligerent, vel rei difficultate, vel ingenii vitio non successit. nam quod, *vetus Antistius*,

tissime, si loquatur, nomini cognomen anteponatur; eo minime perturbor, quia hujus generis exempla saepe notaverim. dicit enim infra ep. 4. Macer Licinius: ad Atticum ep. 15. l. 5. Balbi Cornelii: & ep. 8. l. 2. fam. Gallus Caninius.

Judiciorum caussam jungit,] cum haec verba, ut Antistium tribunum pl. existimem fuisse, me adducunt: tum illa, quae sunt in clausula epistolae: *De tribunis pl. longe optimum Racilium habemus. videtur etiam Antistius amicus noster fore. nam Plancius totus noster est.*

In eam sententiam] quam? an Antistii, qui, se antiquissimam esse habiturum judiciorum caussam, proxime dixerat? non puto. nam, cum tribunus pl. esset, certe ante Ciceronem, inter ceteros magistratus, rogatus erat sententiam. laudavit enim potius Ciceronem Antistius, quod, ut optimatem decet, ita locutus erat, quam sententiam dixit. expono igitur, *eam*, Marcellini, cui Philippus assenserat, & Cicero deinde multis verbis. Quod autem inquit, *ibatur*, non puto, *pedibus*, subaudiri. non dum enim sententiam rogati omnes erant: quod ubi factum non esset, *eundi pedibus* in sententiam initium non fiebat. *Ibatur*, igitur, *omnium pene consensu*.

Diem dicendo eximere] licebat enim senatori, & qua de re vellet, & quamdiu vellet, dicere. qua potestate abutebantur multi, cum oratione longa diem consumerent, ne quid in senatu contra voluntatem eorum decerneretur. ep. 3. l. 4. ad Att. & l. 3. de leg. & Gellius l. 4. c. x.

A Racilio] qui cum de judiciis retulit, libera cumprimis, ac minime verecunda oratione, adsperso multarum facetiarum sale, (id enim est *Urbane*) Clodium vexaverat. liber Magnuli habet, *Inurbane*: & puto sumptum a libro manuscripto: quia, *Inurbane*, rubris litteris factum est: qua ille, ut jam diximus, veteris libri nota utebatur. nec male congruet, *Inurbane*, cum dictione, *contumaciter*: ut Clodius ideo fureret, quod esset *contumaciter*, & *inurbane* vexatus.

A graecostasi] locus fuit ante curiam: de quo Varro.

Gradibus] quibus ad curiam adscendebatur.

Opinor, in Q. Sextilium,] *opinor*, dicit, quia Clodii operae in eos, qui senatus ad fores adstabant, incitatae sunt: quos autem de iis, plane scire non poterat, cum ipse esset in senatu. & Sextilium nominat, quod is ejus multitudinis, quae Milonem extra senatum, mox exiturum, opperiebatur, quasi dux esse videretur. habebat enim, ut Clodius, sic & Milo suam factionem. Ideo autem, *in Sextilium & amicos Milonis incitata*, quia Clodium Milo de vi accusabat.

Ut arbitror, in mensem Januarium] quia reliqui erant Decembris mensis dies, quibus haberi senatum liceret, paucissimi, nempe quattuor, ut opinio mea fert: nam, cum ab idibus Decembris,

quo

quo die senatum a Lupo esse habitum existimamus, (cur ita existimemus, supra ostendimus) ad Kal. Januarii dies XVIII. numerentur; ex iis porro festi sint V. comitiales IX. fasti IV. sequitur, ut per quattuor tantum dies, hoc est fastos, haberi senatus posset. nam, festis diebus non potuisse, notius est, quam ut probari debeat: comitialibus item, facile intelliget, qui senatusconsultum, quod est in epistola Cœlii ad Ciceronem, attente legerit. sic enim in eo scriptum est, „ D. E. R. I. C. *uti C. Paullus*, *C. Marcellus Coss. cum magistratum iniissent* ad ex Kal. Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex Kal. Mart. ad senatum referrent, neve quid conjunctim de ea re referretur a cos. utiq. ejus rei caussa per dies comitiales *senatum haberent*, *S. Q. C. facerent*.„ Nominatim de comitialibus diebus non dixisset, ut per eos senatum haberent, si haberi alioqui licuisset. & ut iis, qui acuti nimium videri volunt, dum ab aliis excogitata delicato quodam fastidio rejiciunt, omnis calumniandi præcludatur occasio; verba Ciceronis, quæ id, quod agimus, aperte probant, ex epistola sequenti recitabimus. *Consecuti sunt*, inquit, *dies comitiales*, *per quos senatus haberi non poterat.*

Pag. 44. *Plancius*] mendose (sic enim puto) legebatur in omnibus libris, *Plautius*. nos, *Plancius*, reposuimus: primum, quod hunc esse Cn. Plancium credidimus; quem tribunum pl. eodem anno cum L. Racilio fuisse, oratio pro ipso, quæ exstat, a Cicerone habita demonstrat: deinde, quod apud me ponderis est maximi, quia Bessarionis in libro, *Plancius*, non *Plautius*, plane video scriptum esse. *patet* tamen hoc anno & Plautium tribunum pl. fuisse: quod a Dione lib. XXXIX. traditum est. sed hic de Cn. Plancio malim, quam de A. Plautio, quem nominat Dio, intelligere. sequor enim antiquum librum: sequor historiam: sequor etiam illud, quod, cum dicat Cicero, *noster totus est*, magis id convenit in Plancium, Ciceronis amicissimum, quam in Plautium, cui nullam cum Cicerone intercessisse insignem necessitudinem legimus. & fortasse is est Plautius Hypsæus, de quo in epistola I. ad Lentulum his verbis: *Libonis*, *& Hypsæi non obscura contursatio*, *& contentio in eam opinionem rem adduxerunt*, *ut Pompejus cupere videatur*. Hypsæus enim Plautiæ gentis cognomen.

De mense Decembri,] usitata veteribus locutio, pro, *mense*. qualia sunt, *de nocte*, *de die*, & similia. Cicero pro Murena: *Vigilas tu de nocte*, *ut tuis consultoribus respondeas*. & in epistola ad Atticum, libro VIII. *Obsignata jam epistola*, *quam de nocte daturus eram*. Horatius:

Offensus damnis media de nocte caballum
Arripit. Catullus:
Vos convivia sumptuosiora de die facitis.

Scrip-

Scripserat Quinctus, ut ex his Marci verbis conjicio, sibi constitutum esse, Romam hoc mense transmittere. quod tamen nec omnino quattuor post mensibus ab eo factum, sequentes epistolæ declarant.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ II.

Cn. Lentulo Marcellino, COS.
L. Marcio Philippo,

Pag. 44. E*Xcuso*] de litterarum infrequentia.

Te puto sæpe habere] post hæc verba sequebatur, *etsi non semper.* quod cum mihi numquam satis probatum fuisset, (absurdum enim, minimeque necessarium videbatur) tollere tamen, nisi meam opinionem scriptus liber confirmaret, numquam ausus sum. nunc in meo illo, mihi magnopere probato, Bessarionis antiquo exemplari video, quod conjecturæ meæ respondeat, scriptum esse, sic inquam: *Te puto sæpe habere, qui, nunc quid Romam velis, quærant.*

Lentuli, & Sexti] ut a Lentulo & Sexto debitam tibi pecuniam exigamus; exactam Pomponio Attico, cui debes, persolvamus.

Cincio] L. Cincio, qui Attici negotia Romæ procurabat. ad Atticum libro I.

Ad recordationem præteritæ memoriæ] ad excitandam ejus rei recordationem, quam ex animo nostro delevit oblivio.

Gracchus] Ti. Sempronius, Tiberii, & Caji, clarissimorum oratorum, pater: qui cum recordatus esset, in designatione consulum non recte a se tabernaculum esse captum; deque vitiosa designatione ad augurum collegium misisset; augures ad senatum retulerunt; senatus, ut consules abdicarent, censuit: consules abdicarunt. Historia est libro II. de natura deorum, libro primo de divinatione, apud Valerium Maximum libro primo.

Venit] proconsul. etsi prætoria potius provincia, quam consularis, erat Sardinia. sed interdum & a proconsulibus prætoriæ administrabantur. quod exemplo Macedoniæ, in oratione in Pisonem, demonstratur.

Pag. 45. *In campo Martio*] ubi magistratus omnes creabantur.

Comitia consulum habenti] cum esset iterum consul cum M. Juventio *Thalna.* habuit autem ea comitia Gracchus potius, quam ejus collega Juventius; quia qui priore loco creatus erat consul, is comitia sequentis anni consulibus rogandis habebat. itaque & Cicero, qui prior consul erat, consulem a se esse Murenam renunciatum, in oratione pro eo narrat. plura in libro de comitiis.

Con-

Contra auspicia] Veteres nihil non auspicato gerebant. Gracchus autem, quia tabernaculum vitio cepisset, contra auspicia consules creaverat.

De forma Minuciana,] ædificium forte Quinctus ad eam formam, quam Minucius architectus fecerat, exstrui volebat. qua de re videtur significari infra; epist. 5.

Nominibus Pomponianis] pecunia, quam debes Pomponio Attico, & a Lentulo & Sexto solvi velles.

Emi nihil] ubi ædificetur ad formam Minucianam.

Auctio] de bonis Culleonis mortui; quæ fiebat inter coheredes, quo facilius ad suum quisque perveniret.

Condicio] emendi Tusculani.

Cyrum] architectum ad Atticum epist. 3. lib. 2. & fam. epist. 14. lib. 7. & pro Milone.

Ædilitatis] quam Clodius petebat.

Comitia] ædilicia. nam consularia jam fuerant; cum de consulibus designatis mentio fiat in epistola proxima superiore.

Edicta sunt] edicto consulum Marcellini & Philippi. cur autem eo usque tracta erant comitia ædilicia; quæ, si mos servaretur, anno superiore fieri debuissent? quia, cum judicium, quo Clodius de vi caussam dicturus erat, ante comitia fieri, & Marcellinus, & alii voluissent; contra Clodius intelligeret, se judicium effugere, nisi ædilis designaretur, non facile posse; ideoque contenderet, ut comitia judiciis anteferrentur: utriusque partis contentione factum est, ut judicia simul, & comitia ultra spatium legitimi temporis producerentur.

Cautionis] ne quid Clodius, si evenerit ut ædilis creetur, nocere nobis possit.

Rege Alexandrino] Ptolemæo Aulete: qui, a suis civibus pulsus, ad senatum confugerat, petebatque, ut restitueretur. fam. lib. 1. Dio, & alii. restitutus demum est ab A. Gabinio Syriæ proconsule; qui provinciæ suæ terminis, pretio ductus, est egressus. quo nomine postea condemnatum, in Dione legimus.

Multitudine] cum qua regem reduci, vetabant libri Sibyllini. hinc illa apud Lucanum carmina:

Haud equidem immerito Cumana carmine vatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripasque æstate tumentes.

Dio quoque Sibyllæ verba recitat lib. XXXIX.

Lentulus] P. Cornelius Lentulus Spinther, qui proximo anno consul fuerat, & in Ciliciam tunc proconsul ibat.

Officio] quia consul Lentulus ad senatum de Cicerone restituendo contra legem Clodiam retulerat; ut ei, cujus maxime beneficio restitutus esset, nihil Cicero non debere videretur.

Vo-

Voluntati Pompeji] quia, etsi pro Lentulo studiose, ita tamen egimus, ut animum Pompeji ne offenderemus.

Obtrectatores Lentuli] adversarios in reductione regis duos in primis Lentulus habebat, Catonem, & Caninium, tribunos pl. Catonem quidem, totam reductionem regis oppugnantem, nec minus Pompeio, quam Lentulo, infensum: quod ostendit ep. 5. Caninium autem reduci regem, non a Lentulo, sed a Pompeio cupientem. & Cato eo processit iracundiæ ac malevolentiæ, ut de abrogando Lentulo Ciliciæ imperio legem promulgaverit. quod ex eadem epistola cognoscitur. Nonius etiam hæc Fenestellæ verba ex annali XXII. recitat. *Ut magistratum*, inquit, *inierunt tribuni, C. Cato, turbulentus adolescens, & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam & Ptolemæo simul, qui jam ex urbe profectus erat; & P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, cœpit.* Caninius autem usque eo Pompeji studiosus fuit, ut legem ferre conatus sit, qua Pompejus cum duobus lictoribus Ptolemæum reduceret. quod apud Plutarchum in Pompejo scriptum est. idque Cicero ipse in epistola septima significat in his verbis: *Mihi semper tua laudi favere visus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano.*

Calumnia] fictis ad impediendum caussis. dicit idem eadem de re in epistola ad Lentulum quarta.

Dies comitiales] dixi jam de hoc genere dierum.

Latrocinio tribunorum,] Catonem in primis, & Caninium notat: quorum ad eripiendam Lentulo regis reductionem iniquissimos conatus *latrocinium* appellat. de quibus etiam epist. 4. ad Lentulum sic: *Qui nunc populi R. nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere, satis provisum est, ut ne quid salvis auspiciis, aut legibus, aut etiam sine vi agere possint.*

Per vim] satis enim provisum erat, ne perferre eam sine vi posset. quod & proxime recitata verba ex epistola ad Lentulum, & ea præterea declarant in epist. 2. ad eundem: *Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo aut salvis auspiciis aut salvis legibus, aut denique sine vi possit.*

Rogationem] de qua proxime dixi, ut Pompejus cum duobus lictoribus Ptolemæum restitueret: aut enim eam ferre legem Caninius jam conatus erat, aut se laturum ostenderat. nam de nota rogatione loqui Cicero videtur.

Perlaturum] non pertulit. non enim Pompejus, sed Gabinius regem restituit: quod ex Appiano, Dione, Plutarcho, ipso etiam Cicerone constat.

Non dispicio] solebat enim Pompejus & silentio tegere voluntatem; & aliud sentire, ac loqui. id ostendunt Ciceronis epistolæ, lib. I. ad Lentulum epist. I. & 5. libro ad Atticum IV. epist.

IX. & XIV. Cœlius etiam epist. I. lib. IIX. *Quam*, inquit, *Pompejus orationem habuerit, quamque ostenderit voluntatem, (solet enim aliud sentire, & loqui, neque tamen tantum valere ingenio, ut non appareat, quid sentiat) fac mihi perscribas.*

Familiares ejus] Volcatius, Lupus, Afranius, Libo, Hypsæus, Caninius. epist. I. ad Lentulum.

Contra Lentulum] ut reductio regis ab Lentulo, cui jam S. C. commissa fuerat, ad Pompejum transferatur. hinc in epistola ad Lentulum: *Res agitur per eosdem creditores, per quos, cum tu aderas, agebatur. regis caussa si qui sunt, qui velint, qui pauci sunt, omnes rem ad Pompejum deferri volunt.*

Si fas esset] fas non est, quia summum ab eo beneficium, patriæ restitutus, accepi.

Succensere] ob eam, credo, caussam, quod superficiem ædium non pluris, quam HS vicies, æstimasset. de quo queritur epist. 2. lib. 4. ad Atticum.

EXPLANATIO EPISTOLÆ III.

Iisdem consulibus.

Pag. 46. L*Egationes*] quibus audiendis, mense Februario senatus habebatur; idque lege Gabinia; quod infra patet, ep. 12. & fam. lib. I. ep. 4.

A Kal. Febr.] legitimi habendo senatui dies erant, *Kalendæ, nonæ, idus.* reliquis diebus, modo comitiales non essent, haberi quidem senatus poterat; sed certus neque lege, neque more statutus erat dies. positum id erat in voluntate magistratuum. legationes igitur a Kalendis in idus rejiciebantur; non quia senatum haberi ante idus non liceret; sed quia, si haberetur, alia de re potius, quàm de legationibus, agi placeret. habitus autem quinquies ante idus est, primo nonis, ut opinor, de provinciis quæstorum, & de ornandis prætoribus; iterum, tertio, quarto, IIX, VII, VI. idus, de Clodianarum operarum vi; quinto, IV. idus de sodalitatibus, & decuriatis.

Milo affuit:] operæpretium est nosse, a quo accusaretur Milo, quo de crimine, apud quos judices. accusabatur a P. Clodio ædili, de vi, apud populum. accusatorem & crimen illa demonstrant, quæ sunt in oratione pro Sextio, manifeste de Clodio pronunciata. *Nam quid ego de ædile ipso loquar? qui etiam diem dixit, & accusavit de vi Milonem.* & infra ibidem: *Volitat ædilis; accusat eum, qui aliqua ex parte ejus furorem exsultantem repressit.* & infert continenter, de Milone: *Hic, qui se est tutatus sic, ut in*

in privata re deos penates suos, in rep. jura tribunatus, auspiciaque defenderet, accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs. Idem & Dio lib. XXXIX. demonstrat. Accusatum autem esse, non ad prætorem, sed ad populum, patet ex eo, quod ad Lentulum in epistola scriptum est, fam. libro I. epist. 5. *Pompejus apud populum ad* IIX. *id. Febr. cum pro Milone diceret, clamore, convicioque jactatus est, in senatuque a Catone aspere, & acerbe, omnium magno silentio, est accusatus.* quod ipsum argumento est, reum de vi Milonem fuisse. nam etsi non de vi tantum, sed etiam de majestate, ac de incestu, populi judicium erat: ab horum tamen criminum suspicione Milonem abfuisse, eo quidem tempore, notum est. Et, *affuit*, in foro; ubi cujuslibet generis exercebantur judicia.

Advocatus] non ut pro Milone diceret; sed ut præsentia sua reum sublevaret. is enim *advocatus* est, ut in Divinatione Pedianus testatur. quarto igitur nonas Miloni *advocatus*, octavo idus eidem *patronus* Pompejus venit.

Marcellus] non dubito, quin M. Marcellum significet, eum, quem, post devictum acie Pharsalica Pompejum, a P. Magio Chilone interfectum fuisse, Ser. Sulpicii ad Ciceronem epistola declarat. existimo autem potius Marcum significari, quam aut Caium, ejus fratrem, aut alium quemquam; quia & erat hic bonarum in rep. partium tutator, & Ciceronis amicissimus, & Milonis ipsius proprie studiosus, qui etiam ipsum, quo tempore de Clodii cæde caussam dixit, cum Cicerone defenderit. ut omittam, quod, cum sine prænomine appelletur, de ipso potius, qui virtute & honore reliquis Marcellis antecellebat, quam de quovis alio, accipiendum videtur.

Honeste discessimus] hoc dicit, quia IIX. idus, quo die iterum Milo affuit, turpiter potius, quam honeste, fugientes discesserunt.

Interim,] inter quartum nonas, & octavum idus, habito senatu, referebatur de provinciis quæstorum, & de ornandis prætoribus. fieri enim potest, ut non modo nonis, hoc est, die legitimo, verum etiam tertio nonas, & pridie nonas habitus senatus sit; cum de tribus diebus potius, quam de uno, significare videatur dictio, *interim*.

De provinciis quæstorum,] ut quæstores anni superioris provincias sortirentur. cujus rei ad consules relatio pertinebat. quæstores autem sorte in provincias ivisse, docet oratio pro Murena.

Et de ornandis prætoribus] malim, *prætoriis*: ut de provinciis intelligatur. quod probat latine loquendi consuetudo. nam in epist. ad Atticum lib. III. *Antequam, inquit, ad me scripsissetis, vestro consensu consulares provincias ornatas esse.* ad eundem lib. IV. *Qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse.* & in epistola ad Catonem, fam. lib. XV. *Provinciam*, inquit, or-

ornatam, & *spem non dubiam triumphi neglexi.* poterat enim facile triumphum sperare, cum *ornatam* provinciam acciperet, hoc est, exercitu pecuniaque instructam. id est enim *ornare provinciam.* quod etiam diximus in commentario ad Atticum. Suspicor autem apud Suetonium in Julio mendose legi; *Ac neque more neque jure, antequam provinciæ ordinarentur, profectus est in ulteriorem Hispaniam*; &, pro *ordinarentur*, reponendum *ornarentur.*

Querelis de rep.] cum essent in senatu, qui non de provinciis agi, sed de rep. vellent. Quid igitur, existet aliquis qui objiciat, non ad rempublicam provinciæ pertinent? sane: sed hic *remp.* accipio pro *rebus urbanis*: quæ majoris esse momenti, quam provinciæ, quibusdam senatoribus videbantur: ideoque *reipublicæ* nomine recte possunt appellari.

Cato] C. Cato tribunus pl. qui triennio ante, Cæsare & Bibulo cos. Pompejum privatus dictatorem appellaverat. ep. 2.

Promulgavit] proposuit, ut deinde legem ferret. hoc de more diximus in nostro libro de legibus.

Abrogando] non abrogavit tamen, Lentulo Marcellino consule dies comitiales, quibus ferre legem Cato potuisset, omnes eximente. infra, & ex epistolis, quæ *familiares* vulgo vocantur, satis constat, P. Lentulum non ante annuum spatium, quod erat administrandæ provinciæ legitimum, decessisse.

Imperio] Ciliciæ administratione. nam præfecti provinciarum imperium habebant senatusconsulto & lege curiata. quamquam Appius P. Clodii frater, si curiata lex ferri non posset, ex senatusconsulto se esse in provinciam iturum affirmavit. fam. l. 1. ep. 9. & ad Att. ep. 16. l. 4.

Lentulo] Spintheri, qui anno proximo consul ab exsulio Ciceronem revocaverat. videtur autem hic Cato P. Clodii studiosus fuisse, qui contra Lentulum & Milonem, quorum in primis opera Cicero in patriam redierat, rogationes promulgaverit. infra, hac ipsa epistola.

Mutavit] sordidata veste, ad commovendam misericordiam, sumpta: quod magnarum calamitatum in metu facere solebant: itaque, lege Clodia promulgata, vestitum & Cicero cum innumerabili amicorum clientiumque multitudine mutaverat.

Pag. 47. *Peregerat*] Petrus Danesius, quem habet Gallia clarissimum ingenii doctrinæque lumen, cum Venetiis ad eum sæpe honoris caussa in ædes Georgii Silvæ, Vaurensis episcopi, adolescentulus ventitarem, in sermone dixit, rectius legi posse, *semper egerat.* quod idem mihi quoque nunc videtur. & optime duæ dictiones, *interdum*, *semper*, altera cum altera congruet: ut Pompejus silentio non sane *semper* egerit, sed *interdum*; cum auctoritate vero semper. hanc enim operarum Clodii clamor eripere numquam potuit.

Surrexit Clodius] ædilis, Milonis accusator.

Ore]

Ore] cum immutatus color mentis solicitudinem indicaret; contra quam Pompejo evenerat; qui, clamore operarum minime deterritus, cum auctoritate semper egerat.

Hora VI.] tertia diei hora judiciorum erat prima. docet hoc Martialis ille versus, *exercet raucos tertia caussidicos*, idem fere est hodie quoque in consuetudine positum.

Clodiam] P. Clodii sororem, eam de tribus, ut opinor, quæ Q. Metelli Celeris uxor erat. nam etsi reliquæ item duæ, una, quæ Q. Marcio Regi, altera, quæ L. Lucullo collocata fuerat, male audiebant impudicitiæ nomine, ut etiam cum fratre Clodio rem habuisse dicerentur: hæc tamen Metelli uxor, quam *Quadrantariam* esse appellatam Plutarchus tradit, infamia præstabat. & hanc significat Cicero libro ad Atticum II. cum appellat Βοῶπιδα: & in oratione de haruspicum responsis, cum ait: *Ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis?* in ea vero pro Cœlio, non modo exagitat eam, quia virorum concubitum, instigante libidine, nimium petulanter appeteret, verum etiam satis aperta suspicione carpit, quasi venenum Metello conjugi dedisset.

Plebem fame necaret] quasi Pompejus, qui rei frumentariæ præesset, frumentum comprimeret.

Alexandriam] restituendi Ptolemæi caussa.

De Rostris] non, quod accusatores in foro de Rostris loquerentur; sed, quia Clodius, Milonis accusator, ædilis erat; & jure magistratus ad populum de Rostris verba facere poterat.

Senatus vocatus in curiam] IIX. idus, hoc est, eo ipso, quo pro Milone Pompejus dixit, die. Licebat igitur fastis diebus haberi senatum, judiciis videlicet confectis; nisi si quid majoris rei præripi tempus cogeret.

Curiam] cum nihil additur, Hostiliam intelligi notum est.

Pag. 48. *Bibulo*] M. Calpurnio Bibulo; qui cum C. Cæsaris esset inimicissimus, generum ejus Pompejum, & in ferendis legibus, hoc est in evertenda rep. consentientem, amare non poterat.

Curione] C. Scribonio Curione, viro consulari, oratore non postremo; cum tamen neque memoria, neque ulla omnino doctrina valeret. pater ejus Curionis fuit, qui civili bello Cæsaris partes secutus, in Africa est interfectus.

Favonio] M. Favonio, Catonis æmulo in propugnatione reip. & loquendi libertate. occisus est inter captivos a triumviris, post Brutum & Cassium Philippensi pugna victos.

Servilio filio] qui consul postea fuit cum C. Cæsare, & addidit, *filio*, quia vivebat adhuc pater ejus, P. Servilius Isauricus.

Bonorum] apparet ab eo *bonos* vocari Bibulum, Curionem, Favonium, Servilium, quia libertatis caussam contra extraordinarias Cæsaris Pompejique opes tuerentur.

Quirinalia] quæ erant XII. Kal. Martii.

Diem] accusationis. sed quæro, quî potuerit Quirinalibus, hoc est, die festo, judicium exerceri. hoc sane mihi præter consuetudinem videtur. nisi si potestas in eo singularis fuit ædilium curulium, atque omnino ceterorum magistratuum.

Ad Apollinis] non modo qui Græce sciunt, sed qui Latinas litteras vix primoribus, quod aiunt, labris attigerunt, in hoc loquendi genere subaudiri *ædem* intelligunt. & senatum modo in templa, modo in sacras ædes vocari solitum, ex Varrone constat; qui distinguit a templis ædes sacras.

Ut Pompejus adesset] puto, quia prope templum Apollinis Pompejus habitaret: qui longius a suis ædibus discedere, metu Clodii, non audebat. ideo, paucis ante versibus legitur, eum, senatu in Hostiliam curiam vocato, domesticis se parietibus tenuisse.

Cato] tribunus pl. quod jam diximus; qui antea Pompejum *dictatorem* appellaverat, nunc, mutata voluntate, vehementer eundem accusat.

Me invito] nam cur laudari se ab eo vellet, quem contra suæ salutis auctores, Milonem, & Lentulum, rogationes videret promulgasse?

Perfidiam] cum Pompejus contra fidem suam Ciceronem destituit, pellique in exsulium a P. Clodio passus est.

Malevolorum] eorum, quibus immoderata Pompeji potentia gravis erat. ex his quattuor jam nominavit. hac de re fam. lib. I.

Descripsit] non nominatim appellavit, sed quasi quibusdam coloribus ita depinxit, ut, eum notari homines intelligerent.

Africanus] minor: cujus vita non exstat; cum tamen eam Plutarchus litteris mandaverit, ut ipse testatur in Gracchis.

C. Carbo] de gente Papiria, tribunus pl. quo Africanus interfectus est anno. is, accusante L. Licinio Crasso, singularis eloquentiæ viro, cantharidas sumpsisse dicitur. fam. lib. IX. & in Bruto. Plutarchus tamen in Gracchis suspicionem ait fuisse de M. Fulvio, & C. Graccho, neque Carbonem nominat. in epitome Liviana, libro LIX. ejus facinoris culpa in Semproniam confertur, Africani uxorem, Gracchorum sororem, quibus cum simultates Africanus exercuerat. Cic. in Lælio, epitome Liviana, Vellejus l. 2. Plutarchus in apopht. Appianus lib. I. de bel. ci.

Suppeditari] a Crasso, Romanorum omnium ditissimo, Pompeji potentiæ semper infenso.

Concionario illo populo] ea maxime populi parte, quæ ad conciones tribunorum pl. facile soleret accurrere. quam *populi fecem* appellat infra.

Alienato] nam ante popularis maxime fuerat Pompejus, cum aliis de caussis, tum ob eam, quod populo tribuniciam potestatem, ereptam a L. Sulla dictatore, consul restituerat. *Alienato*

au-

autem, quia Pompejus Milonem, inimicum P. Clodii, accusatum ab eo, defenderat. infra.

Nobilitate] de principibus loquitur civitatis, Crasso, Bibulo, Curione, & aliis. epist. 2. diximus enim jam *nobiles* esse dictos non patricios tantum, sed quicunque honoribus ac dignitate pollerent.

Non aequo senatu] non optime in ipsum animato. argumentum ejus rei minime dubium habebat, quod C. Catonis orationem magno silentio audiri, hoc est comprobari, viderat.

Juventute] quae nec antea Pompejum amaverat. ad Atticum lib. II.

Quirinalia] quo die Milonem Clodius erat accusaturus.

Magna manus] clientum, Pompeji, Ciceronis, Lentuli, Milonis.

Pag. 49. *Ut etiam*] ut non modo Clodius aliquid in nos per vim agere non possit, sed nec Cato rogationes eas perferre, quas de Milone & Lentulo promulgavit.

De Milone] quid Cato de Milone promulgasset, compertum non habeo: nisi si hoc, ut, quando gladiatoribus & bestiariis contra leges esset usus, pœnas daret. hoc mihi videor posse conjicere ex illis verbis, quæ sunt infra, ep. 5. *Ille vindex gladiatorum, & bestiariorum.*

Lentulo] ut ei abrogaretur imperium.

Resistamus] si per vim eas perferre conetur, auspiciis aut intercessionibus aut denique legibus neglectis.

Sextius] Publius, qui anno proximo tribunus pl. cum septem collegis de Cicerone restituendo rogationem pertulerat.

Indice] non in hac caussa *indice*, cum esset accusator, sed *indice*; quod ante quasi cognomen illud, ex aliquo fortasse *indicio*, accepisset.

Pupinia] ex tribu Pupinia. sic enim loquebantur; quod Pedianus notavit. *Pupiniam* inter tribus rusticas fuisse; & ab agro Pupinio nuncupatam, ex Festo, aliisque cognoscitur. verum de tribubus diximus alio loco satis multa.

De ambitu] quod tribunatum plebis, corruptis pecunia tribubus, cepisset. aut intelligendum de *quæstura*, quam gessit Cicerone & Antonio cos. quod ex oratione pro ipso cognoscitur.

Postulatus] apud prætorem. judicium enim de *ambitu* prætor exercebat: itaque subjungit proxime. *Dixi pro Bestia de ambitu apud prætorem Cn. Domitium. Postulare* autem simpliciter accipit Ulpianus pro, *in jure agere contra aliquem.* ego duobus modis expono; ut postulet is, qui nomen alicujus defert apud magistratum, & postulet idem, cum, post nominis delationem, *in jure agit*, hoc est contra reum verba facit. Utrumque probabimus, recitatis e Cicerone exemplis. Ac primum quidem vel hic ipse locus, de Sextio postulato, indicat, accusationi postulationem an-

antecedere. nam infra sequitur: *De iis, quæ in Sextium apparabantur crimina.* non dum igitur acta caussa erat, cum dicat, *apparabantur.* Accedit illud, quod est in epistola primi libri III. ad hunc ipsum. *Gabinium tres adhuc factiones postulant; Lentulus, qui jam de majestate postulavit; Ti. Nero, C. Memmius. ad urbem accessit ad* XII. Kal. Oct. *nihil turpius nec desertius. sed de judiciis nihil audeo confidere.* & in eodem libro, admodum aperte: *De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius, a Q. Curtio Memmius, a Q. Pompejo Messalla, a Triario Scaurus. magna res in motu est: propterea quod aut hominum aut legum interitus ostenditur. opera datur, ut judicia fiant.* & in Vatinium: *Postea quam es postulatus, ex legatione rediisti, ne quis te judicia defugere arbitraretur.* & in epistola Cœlii: *Pilius de repetundis eum postulavit: magna illico fama surrexit; & de damnatione ferventer loqui est cœptum.* *Postulatio* igitur, quod ex his locis facile liceat intelligere, accusatoris actionem anteit. quod si ita est: aut *postulatio*, *nominis* est *delatio*; aut, quid præterea esse possit, ego quidem non video. Rursus, *postulare*, non esse idem, quod *nomen deferre*; locum habeo, qui clarissime demonstret. scribit enim hæc Cœlius in epistola ad Ciceronem: *Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum.* & paullo post: *Illud mihi occurrit, quod inter postulationem & nominis delationem uxor a Dolabella discessit.* Quid igitur? an sibi veteres non constabant, & modo hoc, modo illud? ego hanc inconstantiam non appello, sed libertatem, qua in usu verborum utebantur; ut ea modo latius modo angustius usurparent; latius, ut cum, *postulare*, dicebant pro, *accusare*, sicuti nunc de Sextio postulato dixit Cicero; angustius, ut cum propriam verbi significationem intelligi volebant; quale illud ex epistola Cœlii quod recitavimus, inter postulationem & nominis delationem. Sic, *accusare*, modo valet nomen deferre, modo caussam ipsam judicio contra reum agere. exemplis abundamus.

A quodam M. Tullio] cui cognomen fuit Albinovano; quod interrogatio in Vatinium docet.

De vi] apud M. Æmilium Scaurum prætorem, ut ipsa Ciceronis oratio declarat. vim autem re vera non attulerat, sed passus erat Sextius. quod in oratione pro eo multis verbis probavit Cicero: judicesque ita esse crediderunt. absolutus enim est Sextius omnibus sententiis; ut infra in epistola proxima.

Ut debuimus] ob ejus in nos merita: quia tribunus pl. nostram caussam studiosissime juverat.

Jure succensere] ob ejus perversam morosamque naturam. sic enim de eo scribit in epistola sequenti.

Itaque faciemus] nostram operam, ut polliciti sumus, ita præstabimus.

Edidit ad allegatos] præter eos, quos aiebat esse conscios, &

par-

participes ejusdem criminis, nominavit Cn. Lentulum, & C. Cornelium. eodem sensu dixit in oratione pro Cluentio, *crimen Oppianici judicio Ajulii probabatur*; in quo inter allegatos Oppianici nomen primum esse constabat.

Eodem die] ergo, ut jam diximus, & judicia, & senatus eodem die.

Sodalitates] *sodalitates* in urbe fiebant multarum rerum caussa. hic de sodalitatibus intellige ambitus caussa factis, quæ *Coitio* dicebatur.

Decuriatique] & verbum, *decuriare*, & *decuria* sæpe non pro decem tantum hominibus, sed pro aliquo numero in unum coacto, & tamquam in decuriam descripto, ejusdem rei tractandæ caussa. sic Phil. v. *Non improbos decuriabat? non solicitabat agrarios?* Et in oratione pro Plancio sæpe utitur hoc verbo, cum loquatur de ambitu: item in Verrem, & aliis in locis.

Discederent] de campo Martio; cum ad creandos magistratus, qui eo anno creati ob factiones nondum erant, populus convenisset.

De vi] publica: nam privatam levior pœna sequebatur. de publica vero condemnati, præsertim homine necato, civitatem amittebant. diximus copiose in libro de legibus.

Bestia] L. Calpurnio Bestia, qui consulatum Ciceronis reprehendere solitus est. a quibus enim injuriam tulerat, eos sæpe Cicero defendit, ut P. Vatinium, A. Gabinium: ejusque rei caussam exponit his verbis in epistola ad Marium: *Cogor non numquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere.*

De ambitu] puto Bestiam de ambitu ob emptam præturam esse accusatum, & condemnatum. nam, nisi judicio notatus esset, numquam de familiaritate Bestiæ, de opera ei navata in petitione præturæ, accusator objecisset M. Cœlio. qua de re Cicero sic in oratione: *Ac prima pars fuit illa: fuisse Bestiæ Cœlium familiarem, cenasse apud eum, ventitasse domum, studuisse præturæ.*

Cn. Domitium] Calvinum, qui post biennium consul fuit cum M. Valerio Messalla: tribunatum pl. gesserat, consulibus Cæsare & Bibulo; ut in oratione pro Sextio: *præturam gerit hoc anno*, id est consulibus Lentulo & Philippo; quod item eadem pro Sextio, & interrogatio in Vatinium demonstrant.

In foro medio,] non enim semper in foro, sed pro arbitratu, modo in hac, modo in illa urbis parte prætores tribunal habebant: omnes tamen & eodem simul in loco, &, ubi magistratus initio, ibi per totum annum. In libro de judiciis.

Maximo conventu] Taciti verba sunt hæc in dialogo de oratoribus: *Satis constat, C. Cornelium, M. Scaurum, T. Milonem, L. Bestiam, P. Vatinium, concursu totius civitatis & accusatos, & defensos.*

Acceptis,] a Clodianis, cum esset tribunus pl. Legatur oratio pro ipso.

Προωκονομησάμην] tamquam bonus caussæ Sextianæ gubernator præmunivi quiddam oportune, cum pro Bestia dicerem, quod in Sextii judicio prodesse posset.

Pag. 50. *Eum*] Sextium potius, quam Bestiam.

Veris] vere enim & in quæstura & in tribunatu plebis rationibus reipublicæ fuerat utilissimus.

Ejus nuptiis] cum Piliam duxit uxorem: ex qua suscepit Atticam, quæ deinde Agrippæ nupsit. hinc error patet eorum, qui legendum putant in Attici vita, *statuas aliquot ipsi & Piliæ* posuerunt: cum (omitto alia ornamenta) statuas illas adolescenti Attico posuerint Athenienses, Piliam autem uxorem duxerit jam quinquagenarius.

Lucum Pisonis] qua in regione urbis antiqua monumenta non indicant.

Kalendis Quinct.] is dies terminus erat locatarum ædium. Suet. in Tiberio, & Martialis lib. 12. Epigr.

" *O Juliarum dedecus Kalendarum.*

Carinis] in quibus erat avita Ciceronis domus. eam fortasse Quinctus in divisione bonorum a fratre acceperat. P. Victor in regione quarta.

Mundi] amatores elegantiæ.

Camiæ] cujus gentis hoc fuerit cognomen, non dum reperi. videndum est, an *Lamiæ*, legi possit; qui ex gente Ælia fuerunt.

Olbiensem] Olbia datam. ep. 5.

Hiems] qua parte anni non ita morbis tentamur.

Sardiniam] provinciam gravi cælo; eoque te diligentius cura.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ IV.

Iisdem consulibus.

Pag. 50. *ABsolutus*] judicio de vi, accusante M. Tullio Albinovano. exstat Ciceronis oratio. nam judicium de ambitu factum esse non existimo, forte quia Nerius accusandi consilium abjecerit.

Oppugnabatur,] dixit enim testimonium Vatinius in Sextium.

Pag. 51. *Arbitratu nostro*] cum id mihi per omnes, quatenus ego vellem, liceret. itaque infert, Diis hominibusque plaudentibus.

tibus. pessime enim Vatinium omnes paene homines oderant. ex quo Catullus, *Odissem te odio Vatiniano.* Macrobius libro II. Satur. *Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet. forte iis diebus Casellius jurisconsultus consultus a quodam, num nux pinea pomum esset, si in Vatinium missurus es,* inquit, *pomum est.*

Productus] cogebantur legibus, atque etiam nunc coguntur homines, vel in amicissimos, postulante accusatore, testimonium dicere. *produci* autem testes dicebantur, sive voluntarii, de quo vellent homine, sive coacti legibus, in quem nollent, testimonium dicerent. de *voluntariis* exemplum illud habemus (ut omittam alia) in Vatinium: *Cum in eundem nuper ab eadem illa furia productus ad populum cupidissime falsum testimonium dixeris? de coactis legibus*, hoc de Paullo in Sextium producto.

Nomen Vatinii delaturum] non enim accusandi Vatinii materia deerat. ita multa praeter leges commiserat. quod in ipsum Ciceronis interrogatio significat.

Macer Licinius] unus de Sextii patronis, & forte Lacinius ille Calvus, eloquentiae laude insignis, filius C. Macri, qui reus Cicerone praetore de repetundis factus, cum se damnatum iri videret, voluntaria morte jacturam rei familiaris effugit. qui enim *in reatu*, ut jurisconsulti verbum usurpemus, *obierat*, ejus bona subjici hastae leges vetabant. Plutarchus, Valerius.

Cunctaretur] nisi statim Licinius Vatinium accusaret.

Subselliis] erant subsellia judicum, reorum, accusatorum.

Illi] Vatinio potius, quam Paullo: hoc est, se esse Vatinio diem dicturum affirmavit. quod videtur fecisse. Nam Tacitus in dialogo *de oratoribus* maxime probat accusationes Calvi, quae in Vatinium conscribuntur, ac praecipue secundam orationem.

Debilitatusque] animo fracto ac demisso. refertur enim ad, *audax*: Perturbatus vero ad, *petulans.*

Tyrannio] satis usitatum grammaticis nomen. nam & is, qui Aristotelis Theophrastique volumina, dictatore Sylla Athenis reperta, digessit, Tyrannio dictus est.

Apud me] *domi mea*, non, ut ante, *domi tua.*

Utriusque nostrum] de una domo sermo videtur esse; cum sequatur, *spero nos ante hiemem contubernales fore.* & rursus duas domos illud ostendit, *redemptori tuo dimidium pecuniae curavi*: & illud, quod utriusque domos Clodius everterat atque inflammarat, ut est ad Atticum. item illud quod hic infra subjicitur: *In aream tuam veni*: &, *domus erit egregia*: &, *itemque nostra celeriter aedificabatur.* quare statuamus fuisse domos omnino duas, quae invicem contingerent: ut, cum in suis uterque aedibus habitaret, contubernales tamen essent, quia domus utriusque nullo interjecto spatio disjungerentur.

Re-

Redemptori tuo] Longilio.

Crassipede:] Furio. nupsit Tullia tribus, contra Pediani Plutarchique sententiam, primum L. Calpurnio Pisoni Frugi, deinde Furio Crassipedi, postremo P. Cornelio Dolabellæ. Piso Cicerone periit exsulante: Crassipes Tulliæ nuncium remiserit, an e vita excesserit, incertum est: Dolabella divortium fecit. hæc, ipso suis in libris narrante Cicerone, cognoscuntur.

Latinas] si Varronem & Macrobium sequamur, antiquitatis utrumque peritissimum, conceptivæ feriæ erant Latinæ, non stativæ; concipiebanturque in dies vel certos vel incertos. Livius tamen stativas indicat fuisse, cum ait libro XXV. Romæ consules prætoresque usque ante diem V. Kal. Mai. Latinæ tenuerunt. eo die perpetrato sacro in monte, in suas quisque provincias proficiscuntur. non enim simile veri est, consules, cum victor Hannibal vastaret Italiam, consulto in V. kal. Mai. qui dies a primo initi magistratus die hoc est ab idibus Martii, XLIII. dierum spatio distat, Latinas distulisse; ut ipsi sibi diutinæ in urbe mansionis necessitatem imponerent: cum ire in provincias neque consulibus neque prætoribus liceret, nisi Latinarum sacro perpetrato. aut igitur eas e stativis in ordinem conceptivarum postea transisse credendum est: aut latentem caussam alii perscrutentur. placet enim indicare, in quo, cum ipse mihi non satisfaciam, eorum, qui magis ingenio doctrinaque præstant, elaborare possit industria.

Religiosi] quibus aut privatim, aut publice quidquam fieri, majoris momenti quod esset, religio vetabat.

Confectum] eo perducta res erat, nihil ut jam esset reliquum, nisi ut mulier viro desponderetur. quod postea factum est nonis Apr. ut ex epistola, quæ sequitur proxima, intelligitur.

Latiar] mendosa vox: & in mendo consentiunt veteres libri. multa mihi, de correctione cogitanti, veniunt in mentem, nec tamen quidquam, quod magnopere probem. *Luccejus erat exiturus*, legi possit, si sententia tantum spectetur: sed affinitas abest illa litterarum, quam ego in locis emendandis maxime quæro. Luccejum quidem exiturum fuisse, & in Sardiniam iturum, in ea, quæ proxima sequitur, epistola his verbis scriptum est: *Luccejum convenire non potueram, quod absuerat: videre autem volebam, quod eram postridie Roma exiturus, & quod ille in Sardiniam iter habebat.* Posset etiam reponi, *Latiare*, & conjungi cum antecedentibus verbis: ut sit: *Ceteroqui confectum erat Latiare.* deinde: *Eram exiturus.* ut hoc dicat: *De Tullia & Crassipede alioqui confectum erat, confectum autem ipso Latinarum die.* nam *Latiare*, latinarum sollemne significat: quod ex Macrobio constat. hanc ego amarem correctionem: videtur enim, ut ita dicam, *verecunda*; quia fit unius tantum litteræ adjectione, & ejus litteræ, quæ prima sequentis dictionis est. ex quo minor quodam modo li-

licentia videtur: cum, litteram aut elidere, aut addere in ultima dictione, quæ sit eadem cum prima dictionis insequentis, unum sit de privilegiis illis, quæ veterum scripta corrigentibus jure conceduntur. ergo, ut illa prior emendatio placet in sententia, displicet in litteris: ita hæc contra, cum in litteris maxime, in sententia tamen haud valde probatur. nam illud, *ceteroqui*, universum quiddam, quod non uno tempore de nuptiis actum sit, significat. *Latiare*, autem si addatur, quo dies unus intelligitur; nimis in angustum universum illud contrahetur. verum ego fortasse calumnior præ nimio studio veritatis; & imitor Calvum illum, qui cum optimam in dicendo rationem quæreret, nimium inquirens in sese, metuensque ne vitiosum sanguinem colligeret, verum etiam deperdebat. quare satis habeamus, quæ nostra sententia sit, ostendisse. vera sit an secus, volo dijudicandi potestatem ad alios pertinere.

Erat exiturus.] Crassipes, rediturus post religiosos dies. aut, si cui, *erat*, referri ad Crassipedem non placet; eidem fortasse, *eram exiturus*, placebit; si modo vere hoc a Cicerone de se ipso scribi posse intellexerit. intelliget autem ex illis verbis quæ sunt infra: *Luccejum videre volebam, quod eram postridie Roma exiturus.*

EXPLANATIO EPISTOLÆ V.

Iisdem consulibus.

Pag. 524 D*Ederam ad te litteras*] hoc, usque ad illa verba, *ad pedes uniuscujusque jacentem*, librarii, genus hominum indiligens atque imperitum, longe a sua sede transtulerant, & ad alterius epistolæ partem, ipsam quoque quasi membrum a suo corpore avulsam, agglutinaverant. mihi hanc perturbationem ostendit ratio temporis, & earum rerum ordo, de quibus ad fratrem in his epistolis Cicero scribit. Bessarionis liber dissentit ille quidem ab impressis, mendo tamen minime vacat. nam hoc totum a verbo, *dederam* ad, *Jacentem*, principium est in eo epistolæ, sequunturque continenter illa verba, *in eo multo sumus superiores ipsius copiis*; quæ sunt in epistola cujus initium est, *scripsi ad te antea superiora*. quæ quam sint præpostere conjuncta, cuivis, paullo attentius ea consideranti, dilucide patebit. cum igitur neque vulgatum in libris impressis ordinem ullo modo probarem; neque mihi, verus alioqui ac certus ubique fere, Bessarionis liber hac quidem in parte satisfaceret: dedi me ad considerandum subtiliter argumentum, ut eo quasi filo ad veritatem pervenirem. Primum agit Cicero de Tullia pridie non. Apr. Crassipedi

sipedi desponsa. deinde subjungit, velle se, quæ post eum diem acta sint, perscribere. quis igitur pridie non. Aprilis consequitur dies? nonæ. ab his igitur quasi narrandi capit initium; cum ait: *Nonis Apr. senatusconsulto Pompejo pecunia decreta in rem frumentariam.* Nonis autem quis proximus adjunctus est dies? IIX. idus. erant igitur mihi hujus libri epistolæ pervolvendæ, donec acta IIX. iduum Apr. invenirem. inveni. est enim illud: *Ad IIX id. Apr. sponsalia Crassipedi præbui.* & quæ deinde connexa his pone sequuntur. quod autem infra impressum est in nostro libro, ad VI. id. Apr. non. ut in aliis libris atque adeo in manuscriptis, ad III. id. Apr. id feci conjectura ductus contra veterum librorum consensum. tres porro, cur in hanc opinionem venerim, habeo caussas, unam, quod Cicero id agit, ut continuatos aliquot mensis Aprilis dies persequatur: itaque a die pridie non. Apr. ad nonas transiit, a nonis ad IIX. id. ab IIX. id. autem ad III. id. omisso quattuor dierum spatio, numquam opinor transjecisset. quid enim? nihil ne daret illi ad scribendum de quattuor diebus ullus? totum ne quatriduum Cicero dormivit, ut nihil omnino ipse ageret, nihil, actum ab aliis, posset cognoscere? prorsus credibile non est. Altera, cur VI. pro III. reposuerim, caussa illa fuit, quod Ciceronem, qui summum quendam in Quinctum fratrem his omnibus epistolis amorem declarat, Quinctum filium, & unicum filium, ita neglexisse vix crediderim, ut, ejus invaletudine audita, non eum, nisi quattuor dierum interposita mora, visitaverit. Postremo, quî fieri poterat, ut mendosa dies non esset, cum infra dicat Cicero de Luccejo. *Erat autem iturus* ad III. id. Apr. ex quo patet, ante III. id. Apr. epistolam certe scriptam esse. quocirca, quin VI. id. aut VII. id. (ut statim post sponsaliorum diem, nulla facta mora, ierit ad Quinctum) rectius multo sit, quam III. id. mihi quidem non videtur esse dubitandum. erunt igitur hæc quattuor dierum acta: Pridie nonas desponsa Tullia; nonis decreta a senatu Pompejo pecunia, & actum de agro Campano, Flaccus de collegio ejectus; VII. aut VI. id. ivit ad Quinctum filium, in aream venit, ad Pompejum delatus, Luccejum convenit.

Desponsam] hæ litteræ, de Tullia Crassipedi desponsa, non exstant. non enim de proxima superiore epistola licet intelligere: in qua scripsit, *spero nos cum Crassipede confecisse.* quibus verbis non, desponsam esse Tulliam, significat, sed sperare se futurum ut despondeatur. Addo illud. litteræ de Tullia desponsa datæ sunt pridie non. Apr. hoc est in ipso, quo desponsa est, die. nam in hac epist. quæ post pridie non. acta sint, persequitur. at proximas superiores quis credat pridie non. Apr. datas, cum de Sextio III. id. Martii absoluto significet? eò ne usque tantam rem, tam exspectatam Quincto, distulisset? postremo, cum hic dicat Cicero, se scripsisse in iis litteris de *re publica* & privata; hoc in supe-

periores litteras non convenire, satis patet. verbum enim de republica nullum prorsus habent.

Rem frumentariam] cui senatus populusque Pompejum, annonæ sublevandæ caussa, præfecerat. ad Atticum lib. IV.

HS ∞CCCC.] his notis non, *mille quadringenta*, quod fortasse aliquis existimet, sed, *millies quadringenties*, intelligitur. *millies* autem *quadringenties* valet, *quadragies biscentena millia aureorum scutatorum pecuniæ nostratis*: ut veterem nummariam rationem ex Plinii potius & Celsi, quam ex Budæi sententia exponamus. neque mirum est, in tanta annonæ caritate tantam vim pecuniæ in emptionem frumenti fuisse necessariam. nam, cum populus Romanus his temporibus hominum CCCCL. millia censeretur; quod a Livio traditum esse epitome demonstrat; præterea, cum peregrinorum cum servorum infinitus prope numerus esset; annonæ vero subveniri, non per unum mensem, sed usque ad messem, hoc est, per tres menses, necessitas cogeret: immensus erat frumenti numerus, qui tantæ multitudini satisfaceret, videndus: quæque item ad emendum frumentum sufficeret, ingens erat pecunia comparanda. quod ita esse; si quis cogitaverit multis partibus plures fuisse servos quam cives, (ut peregrinos omittam) is, opinor, habita gravis admodum annonæ ratione, mecum existimabit.

De agro Campano] cum enim agri Campani partem, plebi dividendam, emi a privatis pecunia publica Cæsar, lege lata, voluisset, nec pecunia suppeteret: factum est S. C. nonis Apr. in sententiam Ciceronis, ut de agro Campano idibus Maji frequenti senatu referretur. fam. lib. I. ep. 9.

Pag. 53. *Inopia pecuniæ*] ejus, qua senatus agrum Campanum ex lege Cæsaris emeret.

Ne illud quidem] quod eodem die, hoc est non. Apr. factum est. singulorum enim dierum acta Cicero persequitur; &, post hanc de Flacco mentionem, pergit ad IIX. id. Apr. hoc est, ad eum diem, qui post nonas primus est.

Equitem Romanum] vide, non eam modo plebem, quæ infra equestrem ordinem censeretur, sed ipsos quoque equites in collegia distributos fuisse; verum & collegia turpia fuere, ut opificum, & honesta, ut rei divinæ caussa, cum equitum etiam ac senatorum sodalitates fiebant. Opificum vero collegia, multis & senatusconsultis & legibus sublata, ut a Pediano traditum est, restituit lege lata P. Clodius tribunus pl. qui etiam nova quædam addidit, ex omni fece urbis ac servitiorum. ut in Pisonem Cicero dixit, constituta. Non igitur, in ea collegia esse adscriptum, honori fuit, quæ senatus atque etiam populus sæpe damnaverit, & in quibus sordidi ac sedentarii opifices, ut fabri pistoresque, versari solebant. at vero sodalitates quasdam ne ingenuo dignas homine non existimem fuisse, Catonis auctoritas facit, gravissimi

mi viri; quem de sodalitatibus, quasi honesta de re, loquentem induxit Cicero in libro de senectute. *Sodalitates*, inquit, *me quæstore sunt constituta.* Nec dubito quin sacrorum caussa. subjungit enim: *Sacris Idæis Magnæ matris acceptis.* Itidem igitur collegium illud, quo Flaccus est ejectus, de sacris rebus ad Mercurii Jovisque Capitolini templa pertinentibus, non artis sedentariæ caussa, fuisse constitutum, facile licet existimare; cum equester ordo, quo ex ordine Flaccus erat, mechanicas artes non exerceret.

Capitolini & Mercuriales] duo genera hominum, ex quibus collegium illud, unde Flaccus est ejectus, constabat. forte ita dicti, quia prope templum Mercurii propeque Capitolium aut etiam in ipso Capitolio habitarent.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ VI.

Pag. 53. S*Ponsalia Crassipedi præbui*] aliud igitur est *despondere*; aliud *sponsalia præbere*: cum desponsa Tullia sit pridie non. Apr. sponsaliorum vero dies fuerit IIX. id. Apr. quid autem sit, *sponsalia*, ipse indicat, cum ait, *huic convivio.*

Commotus] morbo potius quam iracundia. nam sequitur: *Ad Quinctum veni, eumque vidi plane integrum.* quod est bene valentis. unde *integrum corpus*, *integra valetudo.* præterea, puto indecorum minimeque sua persona dignum Cicero existimasset, venire ad Quinctum puerum, ut eum iracundia commotum leniret.

Veni] ergo non erat Quinctus apud ipsum. quod supra inde patefit: *Tyrannio docet apud me.* nisi si, *docet apud me*, non quòd apud eum Quinctus habitaret, intelligamus; sed quòd, quas diei horas cognoscendis litteris daret, per eas horas eum apud se Cicero vellet a Tyrannione erudiri; ut, quo ingenio ac voluntate Quinctus puer, qua etiam fortasse diligentia quave doctrina esset Tyrannio, posset animadvertere.

Mulierum nostrarum] Terentiæ & Pomponiæ. raro enim fit, ut inter duas duorum fratrum uxores conveniat. ac sæpe carissimorum fratrum suavissimæ conjunctiones earum dissensione dirimuntur. quod ipsemet, magno rei familiaris detrimento, majore animi dolore, sum expertus.

Festivius] amabile quiddam est in pueris; quod si verbis velim describere, dicam esse id, quod adversatur severitati. itaque & in epistola ad Torquatum, *res*, inquit, *molesta est, ab iis pueris abesse, quibus nihil potest esse festivius.*

Etiam de te] ne Quinctus commoveatur, quia dixerat, *de discordiis mulierum nostrarum*, placato jam animo esse Pomponiam signi-

significat, quæ apud ipsum de longiore, quam vellet, conjugis absentia familiariter ac libere questa fit.

Multis structoribus] in ædificando utimur opera *architecti*, qui formam facit ædificii; *redemptoris*, qui totum opus impensa studioque suo faciendum conducit; (ut interdum tamen architectus redemptoris item partes agat) *structorum*, qui calcem & lateres tractant; *fabrorum*, qui lapides aut ligna cædunt.

Forma] quam Minucius fecerat. ep. 2.

Redderet] non ut te secum Romam reduceret, sed ut te statim huc remitteret.

Labrone] non dubito, quin de Ligurni, ut nunc appellant, portu intelligat. vocem corrupit, ut alias innumerabiles, vetustas.

Pag. 54. *Ἀμφιλαφίαν*] cum epistola Quincti, cui respondet Cicero, non extet, divinare, quid sit ἀμφιλαφία hoc loco, nostrum non est. non enim placet eos imitari, qui, ne quid nescire videantur, diversas in opiniones levi conjectura feruntur.

Bono modo] non, *omnino*, sed, *quadam ex parte*: *μετρίως* quod Græci dicunt, ut, *bono*, temperamentum quoddam, non, ut alibi, magnitudinem significet. sic ad Atticum lib. XIII. *De die tantum videbis, & id ipsum bono modo.* sed hoc aliquanto apertius ostenditur lib. II. Acad. in quo hæc sunt: *Hæc tibi, Luculle, si es assensus Antiocho, familiari tuo, tam sunt defendenda, quam mœnia: mihi autem bono modo, tantum, quantum videbitur.*

Liberalius] quod minus restricte sumptus faceret, quod vivendi rationem non ea, qua solitus erat, frugalitatis regula metiretur.

Opus erat] opus erat ad relaxationem animi mei, ut paullisper ab his tumultibus secederem, ac fabris locum darem. defessus enim jam sum ex molestia, quam illis urgendis capio. id igitur facerem, si te haberem. tu enim, absente me, meam vicem eos exerceres. nunc eò non licet, quia, si pedem hinc movero, nemo futurus est, qui præsentia sua illos in opera contineat.

Sed & hæc] dixerat jam, *sed hæc coram agemus*, cum de discordiis mulierum meminisset. recte igitur usus est particula, *&*: ut significet velle se non illa tantum superiora, sed & hæc præsenti sermoni reservare. atque hæc de caussis una fuit, quæ me, ut hanc epistolæ partem, quæ incipit a dictione ἀμφιλαφίαν, usque ad extremum, cum ea parte, in qua mentio fit de discordiis mulierum, connecterem.

Res Romana] a privatis rebus ad publicas sermonem traducit, & cum dixit *res Romana*, potius quam *publica*, festivum simul & amplum quiddam videtur adamasse: quod, cum hæc vox, *res Romana*, magnum aliquid *præ se ferat*, ipse tamen ea significet, quæ infra Romani nominis dignitatem sint. unde & illud ad Atticum ep. 5. l. 4. *Nunc Romanas accipe res.* & ad eundem,

mi viri; quem de sodalitatibus, quasi honesta de re, loquentem induxit Cicero in libro de senectute. *Sodalitates*, inquit, *me quaestore sunt constituta.* Nec dubito quin sacrorum caussa, subjungit enim: *Sacris Idais Magnae matris acceptis.* Itidem igitur collegium illud, quo Flaccus est ejectus, de sacris rebus ad Mercurii Jovisque Capitolini templa pertinentibus, non artis sedentariae caussa, fuisse constitutum, facile licet existimare; cum equester ordo, quo ex ordine Flaccus erat, mechanicas artes non exerceret.

Capitolini & Mercuriales] duo genera hominum, ex quibus collegium illud, unde Flaccus est ejectus, constabat. forte ita dicti, quia prope templum Mercurii propeque Capitolium aut etiam in ipso Capitolio habitarent.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VI.

Pag. 53. *Sponsalia Crassipedi praebui*] aliud igitur est *despondere*; aliud *sponsalia praebere*: cum desponsa Tullia sit pridie non. Apr. sponsaliorum vero dies fuerit IIX. id. Apr. quid autem sit, *sponsalia*, ipse indicat, cum ait, *huic convivio.*

Commotus] morbo potius quam iracundia. nam sequitur: *Ad Quinctum veni, eumque vidi plane integrum.* quod est bene valentis. unde *integrum corpus*, *integra valetudo.* praeterea, puto indecorum minimeque sua persona dignum Cicero existimasset, venire ad Quinctum puerum, ut eum iracundia commotum leniret.

Veni] ergo non erat Quinctus apud ipsum. quod supra inde patefit: *Tyrannio docet apud me.* nisi si, *docet apud me*, non quòd apud eum Quinctus habitaret, intelligamus; sed quòd, quas diei horas cognoscendis litteris daret, per eas horas eum apud se Cicero vellet a Tyrannione erudiri; ut, quo ingenio ac voluntate Quinctus puer, qua etiam fortasse diligentia quave doctrina esset Tyrannio, posset animadvertere.

Mulierum nostrarum] Terentiae & Pomponiae. raro enim fit, ut inter duas duorum fratrum uxores conveniat. ac saepe carissimorum fratrum suavissimae conjunctiones earum dissensione dirimuntur. quod ipsemet, magno rei familiaris detrimento, majore animi dolore, sum expertus.

Festivius] amabile quiddam est in pueris; quod si verbis velim describere, dicam esse id, quod adversatur severitati. itaque & in epistola ad Torquatum, *res*, inquit, *molesta est*, *ab iis pueris abesse*, *quibus nihil potest esse festivius.*

Etiam de te] ne Quinctus commoveatur, quia dixerat, *de discordiis mulierum nostrarum*, placato jam animo esse Pomponiam signi-

significat, quæ apud ipsum de longiore, quam vellet, conjugis absentia familiariter ac libere questa sit.

Multis structoribus] in ædificando utimur opera *architecti*, qui formam facit ædificii; *redemptoris*, qui totum opus impensa studioque suo faciendum conducit; (ut interdum tamen architectus redemptoris item partes agat) *structorum*, qui calcem & lateres tractant; *fabrorum*, qui lapides aut ligna cædunt.

Forma] quam Minucius fecerat. ep. 2.

Redderet] non ut te secum Romam reduceret, sed ut te statim huc remitteret.

Labrone] non dubito, quin de Ligurni, ut nunc appellant, portu intelligat. vocem corrupit, ut alias innumerabiles, vetustas.

Pag. 54. Ἀμφιλαφίαν] cum epistola Quincti, cui respondet Cicero, non extet, divinare, quid sit ἀμφιλαφία hoc loco, nostrum non est. non enim placet eos imitari, qui, ne quid nescire videantur, diversas in opiniones levi conjectura feruntur.

Bono modo] non, *omnino*, sed, *quadam ex parte*: μετρίως quod Græci dicunt, ut, *bono*, temperamentum quoddam, non, ut alibi, magnitudinem significet. sic ad Atticum lib. XIII. *De die tantum videbis, & id ipsum bono modo*. sed hoc aliquanto apertius ostenditur lib. II. Acad. in quo hæc sunt: *Hæc tibi, Luculle, si es assensus Antiocho, familiari tuo, tam sunt defendenda, quam mœnia: mihi autem bono modo, tantum, quantum videbitur.*

Liberalius] quod minus restricte sumptus faceret, quod vivendi rationem non ea, qua solitus erat, frugalitatis regula metiretur.

Opus erat] opus erat ad relaxationem animi mei, ut paullisper ab his tumultibus secederem, ac fabris locum darem. defessus enim jam sum ex molestia, quam illis urgendis capio. id igitur facerem, si te haberem. tu enim, absente me, meam vicem eos exerceres. nunc eo non licet, quia, si pedem hinc movero, nemo futurus est, qui præsentia sua illos in opera contineat.

Sed & hæc] dixerat jam, *sed hæc coram agemus*, cum de discordiis mulierum meminisset. recte igitur usus est particula, *&*: ut significet velle se non illa tantum superiora, sed & hæc præsenti sermoni reservare. atque hæc de caussis una fuit, quæ me, ut hanc epistolæ partem, quæ incipit a dictione ἀμφιλαφίαν, usque ad extremum, cum ea parte, in qua mentio fit de discordiis mulierum, connecterem.

Res Romanæ] a privatis rebus ad publicas sermonem traducit, & cum dixit *res Romana*, potius quam *publica*, festivum simul & amplum quiddam videtur adamasse: quod, cum hæc vox, *res Romana*, magnum aliquid *præ se ferat*, ipse tamen ea significet, quæ infra Romani nominis dignitatem sint. unde & illud ad Atticum ep. 5. l. 4. *Nunc Romanas accipe res*. & ad eundem,

quo in loco certum non habeo, sed ad eundem certe: *Jam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse.* & hic, infra: *Res Romana sic se habebant.*

Lentulus] Marcellinus; quem hoc anno consulem fuisse cum Marcio Philippo, jam dixi.

Collega] cum sua sponte bono, tum, ut opinor, consilio maxime atque exemplo M. Catonis, generi sui. Plutarchus.

Exemit] sustulit: effecit, ne per eos lege agi posset: ne scilicet C. Cato tribunus pl. quas de P. Lentulo Spinthere & Annio Milone rogationes promulgaverat, eas perferre posset. tollebantur autem comitiales dies cum aliis rationibus, quas in libro *de comitiis* attigimus, tum feriis indicendis: cum & comitialis & festus dies idem esse non posset.

Etiam Latina instaurantur] cum dicat, *etiam*, liquet, non instaurandis modo Latinis exemptos esse a Lentulo comitiales dies, sed alio etiam genere impedimenti, cujusmodi erat, *servare de cœlo.* nam etsi augur non erat Marcellinus: nihil tamen obstabat, quin, pro potestate consulatus, servare de cœlo posset. quod aperte demonstrant illa verba in oratione secunda in Antonium: *Hic bonus augur eo se sacerdotio praditum esse. dixit, ut comitia auspiciis vel impedire vel vitiare posset. in quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. quid enim? istuc, quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, & consul esses, minus facere potuisses? vide, ne etiam facilius. nos enim nuntiationem solum habemus, consules & reliqui magistratus etiam spectionem.* & interrogatione in Vatinium: *Tribunus pl. fuisti: collegas habuisti viros fortes novem. ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de calo servare, quos irridebas, quos privatos esse dicebas.* quibus ex locis licuisse constat etiam iis, qui augures non essent, *servare de cælo.* nam certe neque Marcellinus, neque tres illi tribuni pl. Vatinii collegæ, augures erant; quorum numerus supra quindecim esse non poterat; & inter eos nemo erat ex iis, quos nominavi. omnes enim habeo diligenter notatos in meis lucubrationibus.

Latina] feriæ conceptivæ, a consulibus, aut ab eo, qui summum in urbe magistratum gereret, in Albano monte factæ. primus eas in unum diem Tarquinius Superbus instituit: secundus dies additus, pulsis regibus: tertius post secessionem in Aventinum: quartus, plebe & patribus a dictatore Camillo in concordiam reductis.

Instaurantur:] quasi, faciendis iis, aut prætermissum aliquid esset, aut, quod non oporteret, commissum. quibus de caussis, sæpe legimus apud Livium, instauratos esse ludos. instauratas autem decreto pontificum Latinas, ex Livii lib. XXXII, planum est.

Supplicationes] quæ imperatoribus pro re bene gesta decernebantur: eæque dum fierent, lege agere non licebat.

Pag.

Pag. 55. *Ille vindex*] qui se vindicem quodam modo atque assertorem gladiatorum & bestiariorum professus erat, lege in Milonem promulgata, quod gladiatoribus & bestiariis contra remp. usus esset. eam legem supra Cicero significat in eo loco: *Magna manus ex Piceno, & Gallia exspectatur; ut etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus.*

Unus est] non quia re vera unus, sed quod unus inter omnes eo magistratu dignus esset. similiter locutus est in epistola ad M. Catonem: *Et, si in civitate multi Catones essent; in qua unum fuisse mirabile est.* in magno enim Catonum numero singularem virtute fecit M. Catonem.

Tabulam proscripsit,] in publico posuit; cum in ea scripsisset, servos sese venditurum C. Catonis: quod illi esse dedecori intelligebat.

Hunc igitur Catonem] de quo hæc, quæ risum excitarent, sunt a me dicta: itidem eum infra locutum puto epistola 9.

Monstra] quas, opinor, leges perniciosissimas paullo ante appellavit.

Intercederet nemo] quibus enim legibus ab aliquo tribuno pl. intercessum jam erat, de iis impediendis, non erat, cur Marcellinus cogitaret: quibus autem intercederet nemo, iis, qua ratione poterat, obsistebat. has autem leges si vel pro Cæsare, vel contra Cæsarem scriptas fuisse dicam, vaticiner fortasse & aberrem a vero: quod tamen consequi conjectura liceat, crediderim pro Cæsare fuisse. alioqui non iis impedimento fuisset Marcellinus: qui, cum Pompejo esset infensus, quod paullo infra Cicero declarat, Cæsarem (est enim ita consentaneum) non amabat: cujus & affinitatem cum Pompejo, & perniciosam reip. cum eodem & cum M. Crasso initam societatem boni & sapientes cives oderant majorem in modum ac timebant.

Caninius] tribunus pl. qui rogationem promulgaverat, ut Pompejus regem Ptolemæum cum duobus legatis restitueret. hoc Cicero significat, obscure ille quidem, sed Plutarchus apertissime.

Refrixit] quo diligentius hoc verbum considero, eo minus existimo, *refrixit*, ideo dictum esse, quia rogationi a Caninio promulgatæ aliquis tribunus pl. intercessisset. libentius in eam sententiam delabor, ut in ipso Caninio remissionem quandam animi in re cœpta significari existimem. quo spectare videtur illud: *Neque enim res probatur. Refrixit* igitur, ipso remittente Caninio: qui de rogatione perferenda non laboravit, cum rem probari non videret. sic locutus est, simili sententia, ad Atticum 18. *Hac tota res, interpellata bello, refrixerat.*

Vituperatur] qui, cum a Lentulo fuisset ornatus, restituendi Ptolemæi regis honorem ei vellet eripere. ornamentum autem in Pompejum a Lentulo profectum, id fuit, quòd, ut rei frumen-

tariæ præficeretur, consul anno proximo retulerat: idque significant illa quæ sunt in epistola ad Lentulum: *Pompejo qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici.*

Facem populi] P. Clodii studiosam.

Propter Milonem] defensum contra Clodii accusationem XIX. id. Febr. qua de re supra.

Suboffendit] non omnino, sed leviter propter Milonem offendit. quòd alioqui popularis maxime Pompejus esset. itaque & supra, cum hac ipsa de re loqueretur, ita locutus est: *Concionario illo populo a se prope alienato.*

Multa ab eo desiderant] quæ non præstat, cum deberet.

Multa reprehendunt] quæ committit, cum non deberet.

Hoc uno] quia dixerat jam, *consul est egregius Lentulus*; unum excipit, asperitatem in Pompejum: ne, quæ in hominem amicum de seque optime meritum fiant, ea probare videatur.

Senatu non invito] jure. quid enim ei faveret, cujus nefaria contra libertatem consilia, coitione cum Cæsare & Crasso facta, cognovisset? supra: *Cato est vehementer in Pompejum invectus: auditus est magno silentio malevolorum.* & in epistola ad Lentulum: *Pompejus in senatu a Catone aspere & acerbe nimium magno silentio, est accusatus.*

A curia] ne in dicenda sententia vel bonos offendam, si pro Pompeio sentiam; vel ingrate faciam in ipsum, si sequar eos, qui ab illo dissentiunt.

Celebratur] clientium frequentia. idem ad Att. *Remp. nulla ex parte attingimus. in caussis atque in illa opera nostra forensi summa industria versamur. domus celebratur.*

Imprudentia Milonis] non, quod ipse accusaverit imbecille, sed quod tum alieno tempore, tum ab accusatoribus minime firmis accusandum curaverit Sex. Cœlium.

Sex. Cœlio] censeo legendum, *Sex. Clodio.* is enim & Milonis ac Ciceronis fuit inimicissimus; & Marcellino & Philippo cos. accusatus, atque absolutus est. de quo sic in oratione pro M. Cœlio in extremo fere: *Oro obtestorque vos judices, ut, qua in civitate paucis his diebus Sex. Clodius absolutus sit; quem vos per biennium aut ministrum seditionis, aut ducem vidistis; in ea civitate ne patiamini* &c. congruunt igitur tempora: nec res ipsa discrepat. de temporibus dubitari non potest: cum oratio pro M. Cœlio iisdem, quibus hæc epistola scripta est, consulibus habita sit, Marcellino, inquam, & Philippo. nam in oratione cum ait: *Intelligis pro tua præstanti prudentia Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis*: facile aperit, quo anno illa dixerit. video enim, Domitium Calvinum, qui prætor quæstionem illam exercuit, præturam gessisse consulibus Marcellino & Philippo. id quod, opinor, jam cognitum est. dixit enim supra: *Ad* III. *id. Feb. dixi pro Bestia de ambitu apud prætorem Cn. Domitium.* quam epistolam in consulatu

flatu Marcellini & Philippi scriptam ostendimus. Quod ad reum attinet; homo est, quem Milo pariter & Cicero perditum voluerint. quod utrunque non ex oratione minus, quam ex hac epistola, colligitur.

Neque hoc tempore] quod ei Clodius, qui tunc ædilitatem curulem gereret, prodesse suo studio plurimum posset. etiam illud; quod eo tempore sit accusatus, cum Pompejus neque carus plerisque de populo esset, propter Milonis patrocinium, & senatoribus offensus. ex quo paullo post: *Ea ipsa in re Pompeji offensio nobis obstitit: senatorum enim urna copiose absolvit.*

Accusari] de vi, ut opinor: cum, omnium seditiosissimum fuisse, Ciceronis scripta demonstrent.

Teterrimæ defuerunt] quæ nisi defuissent, condemnatus esset. &, *teterrimæ*, cum odio. nam si absolutus est Sex. Clodius immerito, non tres plane sententiæ, sed omnes quæ absolverunt teterrimæ. notat autem ordinem senatorium. nam tribuni ærarii damnarunt, equitum sententiæ pari numero fuerunt, senatores plerique absolverunt. quod subjungitur. notat igitur nominatim eas tres, quæ condemnationis numero defuerunt. Verum quæro, cum ex tribus ordinibus unus absolverit, alter damnaverit, tertius neque absolverit neque damnaverit, quî videri potest Clodius absolutus? quia, non ordinum judicia, sed sententiarum numerum spectari, lex jubebat. quod cum aliis exemplis, tum ex oratione pro Cluentio, & ex epistola 7. Cœlii ad Ciceronem cognoscitur, lib. IIX. fam. idque Plutarchus in Mario comprobat.

In concilio] judicum, ut infra.

Revocat] rursus accusandum esse dicit.

Fuerunt] malim, *ferunt*. nam, *non fuerunt homines*, ineptum quiddam atque enervatum videtur.

Pag. 56. *Apud suos*] quod ei judices faverent: opinor, quia non optime in Pompejum essent animati. sequitur enim: *Pompeji offensio nobis obstitit.*

Vident damnatum] futurum credunt, ut damnetur.

Urna] tres erant urnæ, cum tres ordines, senatores, equites, tribuni ærarii ex ea lege, quam tulerat in prætura L. Aurelius Cotta, judicarent. in eas separatim cujusque ordinis tabellæ conjiciebantur.

Tribuni ærarii] genus hominum fuisse constat dignitate inferius ordine equestri: de quibus Varro: *Quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, tribuni ærarii dicti.* hos ego existimo perfunctos eo munere nomen postea retinuisse. quo modo enim tot uno tempore tot in judiciis tribuni ærarii? quid, si bellum esset nullum; nulli ne ideo tribuni ærarii? quî ergo tres ordines judicarent? nomen igitur non a præsente magis, quam absoluto jam munere ceperunt.

Servius] antiquus Bessarionis liber, *Sevius*: alter, quo Magnu-

 lus

lus usus est, *Sejus*. quod potest esse verum. Sejus enim Romanum nomen.

Allisus est] adductus quidem in aliquod condemnationis, ut naufragii, periculum, sed ex quo tamen emersit, me non invito, qui non eo illum, quo ceteros Clodianos, odio persequor.

Conciduntur] judicio perduntur, damnantur. eadem narratione usus est supra: *Vatinium arbitratu nostro concidimus*.

Non siturum] nec sivit, tribunicio intercedendi jure. nulla enim hoc anno habita comitia, ac ne duobus quidem proxime sequentibus, sed ex interregno consules per triennium creatos, Cicero ipse aliquot locis, & Dio libro XXXIX. præterea Plutarchus, Appianusque declarant. hoc autem anno, sublatis Comitiis a C. Catone tribuno plebis vestem senatus mutavit. epitome, Dio lib. XXXIX.

Exempti] eximebat Marcellinus consul, ut ejus perniciosissimis legibus obsisteret.

Appius] P. Clodii frater.

A Cæsare] quo iverat, forte ob eam caussam, ut ei suam consulatus petitionem commendaret. valebat enim in comitiis Cæsar vel plurimum, ut qui popularis semper in primis fuisset. & in Gallia togata, Cæsaris provincia, municipia erant multa, quæ suffragium, in sua quodque tribu aut centuria, Romæ ferrent. itaque & M. Antonium iis ad petitionem auguratus Cæsar commendavit. quod ab Hirtio scriptum legimus. aut igitur ob eam caussam Appius ad Cæsarem iverat: aut, ut ab eo tribunatum mil. aliquem auferret. quod ei a Domitio collega objectum, infra scriptum est his verbis: *Etiam in senatu lusit, Appium collegam propterea isse ad Cæsarem, ut aliquem tribunatum auferret*.

Redierant] Romam. Falsus igitur Plutarchus, qui Appium Marcellino & Philippo cos. quo anno scripta est hæc epistola, Sardiniam prætoris officio administrasse, in Cæsaris vita significat. nam, si pro prætore Sardiniæ Appius est; quî vagatur, ab urbe in Galliam, ex Gallia ad urbem? verum, ut Sardiniam sortitus esset, fecit tamen, aliqua caussa retardatus, ut non ineunte anno, hoc est cum primum prætura in urbe perfunctus est, sed aliquot post menses in provinciam proficisceretur. hoc ego ita suspicor: quia etsi Plutarchus in rerum Romanarum notitia sæpe labitur, non errasse tamen, cum de Appii provinciali hujus anni prætura tradidit, eo mihi similius veri fit, quod annus, quo Marcellinus & Philippus consulatum gesserunt, proximus eum annum sequitur, quo præturam in urbe Appius administravit: ut necesse sit, aut non ivisse Appium in provinciam ex prætura, aut hoc anno ivisse. nam anno post Marcellinum & Philippum cos. certe ab urbe non discessisset, cum is ei ad petendum consulatum legitimus annus esset. distat enim biennio consulatus a prætura: & biennio Appius ipse post præturam consul fuit.

Clau-

Clausum] ob hiemem, quod eo uti per anni tempus non liceret. ita veteres loquebantur. atque hac de re Vegetius de re militari lib. IV. cap. XXXIX. *Ex die*, inquit, III. *iduum Nov. usque in diem* VI. *iduum Martii maria clauduntur. nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aëris obscuritas, ventorum, imbrium, vel nivium geminata sævitia non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbat.*

Olbia] Sardiniæ urbe, de qua supra bis.

In provincia] fecit aliquando hæc vox, ut Quinctum existimarem in Sardinia fuisse pro prætore, extra ordinem, dum aliquis annuo legitimo imperio succederet: quia non ultra mensem Majum in Sardinia Quinctum fuisse constat. nunc illum a Cicerone omnibus litteris Romam vocari cum videam; opinionem muto. quî enim accerseret eum Cicero, quem sciret non ante successoris adventum posse decedere? fuit igitur potius in Sardinia Quinctus alia de caussa. quod illa indicant verba, *Tu, si ita expedit, velim quamprimum bona & certa tempestate conscendas, ad meque venias.* Certe enim, si Quinctus pro prætore Sardiniam regeret, non hoc Cicero diceret; *Si ita expedit, statim conscendas.* nec rediit Quinctus Romam, nisi quattuor fere post menses, mense Majo. quod si hæc verba, *in provincia plurimi fieri*, vix in privatum videntur posse convenire: credamus ivisse quidem in Sardiniam eo nomine, ut suam rem ageret, cum libera tamen legatione, ut esset honoratior; aut potius, quod jam diximus, rei frumentariæ caussa, Pompeji legatum. certe hoc anno, ut proxime ostendimus, pro prætore Sardiniam rexit Appius.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VII.

Iisdem consulibus.

Pag. 56. L*aterio*] fundo Quincti, in Arpinati. ep. 1. lib. 3. & ad Atticum ep. 7. l. 4. & 1. lib. 10.

Pompejanum, Cumanum] non Quincti, sed ipsius Marci fundos.

Pag. 57. *Dies*] judicii. supra.

Prodita] sic Bessarionis & Tertii liber, recte. quòd enim usitatius videbatur, *producta*, quam *prodita*; forte minus notum verbum in familiare convertit aliquis latinæ linguæ non omnino peritus. *Prodita* vero idem valet, quod *producta*. sic Terentius: *Saltem aliquot nuptiis prodat dies.*

Ad eam diem viderem] non vidit, nisi post idus: ut in epistola, quæ sequitur proxima.

Arcani] villa Quincti fuit.

Sustentari] differri. pudet in iis verbis immorari, quorum usum congesta in libros exempla declarant, tametsi in his ipsis, qui omnes divitias nomine pollicentur, est sane cur aliquid, atque adeo multa nec ea levia, desiderentur.

EXPLANATIO EPISTOLÆ VIII.

Iisdem consulibus.

Pag. 57. *Cum desiderio*] antea, cum tuas litteras exspectabam, tui absentis desiderio tenebar; quia, non ita propinquum esse tuum reditum, intelligerem: postea vero quam, te esse jam jamque ad nos navigaturum, significasti; ita exspecto tuas litteras, ut interea me timor solicitet, eorum periculorum caussa, quæ navigantibus impendent. ita primo quidem erat, cur te absentem desiderarem: cur timerem, non erat: nunc reditum maturum cum sperem, sublato desiderio timor est exortus.

Idibus Mai] hoc anno consules erant Marcellinus & Philippus. proximo superiore, Lentulo & Metello cos. Gabinius ineunte anno in provinciam ierat. ergo ultra annum provinciam administravit. annum dico? immo, ultra triennium. rediit enim L. Domitio Ahenobarbo Ap. Claudio Pulchro cos. quod infra patet, epistola 1. l. 3. & ad Atticum epistola 16. libro 4.

Gabinio] qui tunc Syriam proconsul regebat.

Porcilius] antiqui libri, *Procilius*. cujus gentem nominis non dum inveni. *Porcilius*, placet: ut a Porcio deductum sit, quemadmodum a Sextio Sextilius, Quinctio Quinctilius, Curtio Curtilius.

Nemini accidisse] ut imperatoris litteris, bene gestam remp. nuntiantibus, senatus non crederet. quod Gabinio contigit. *divinus* igitur *senatus*, quod postulanti supplicationem Gabinio frequens denegavit. hac de re his verbis in oratione de provinciis consularibus: *Quæ*, inquit, *homini, in quo aliquis si non fama pudor at supplicii timor est, gravior pœna accidere potuit, quam non credi litteris iis, quæ rem bene gestam in bello nuntiarent? hoc statuit senatus, cum frequens supplicationem Gabinio denegavit; primum, homini omnibus sceleribus flagitiisque contaminatissimo nihil esse credendum; deinde, a proditore, atque eo quem præsentem hostem reipublicæ cognosset, bene rem geri non potuisse; postremo, ne deos quidem immortales velle aperiri sua templa & sibi supplicari, hominis impurissimi & sceleratissimi nomine.* & in ea in Pisonem: *Ab altero allatæ litteræ, recitatæ; relatum ad senatum. dii immortales, id ne ego*

op-

optarem, ut inimicus meus ea, qua nemo umquam, ignominia notaretur? ut senatus is, qui in eam jam benignitatis consuetudinem venit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, novis honoribus afficiat, & numero dierum & genere verborum; hujus unius litteris nuntiantibus non crederet, postulantibus denegaret? Et Phil. XIV.

Foris valde plauditur] *Foris*, est in vulgus, ut in epistola ad Lentulum: *Cum ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset.* Plauditur autem, senatui, quia fecerit, quod antea numquam, ut allatis e provincia litteris non crederet, iis, quibus rem a se feliciter gestam Gabinius significaverat.

Εἰλικρινὲς judicium] sincerum illud est ac simplex judicium senatus: nihil in eo gratiæ meæ tribuit.

Postridie] non video, si verus est Macrobius, qui potuerit postridie idus agi de agro Campano, in senatu, cum omnes dies postridie Kalendas, nonas, idus, decreto pontificum atri fuerint.

De agro Campano actum iri] ex eo senatusconsulto, quod non. Apr. ex Ciceronis sententia factum erat. de quo sunt hæc in epistola ad Lentulum. *Quin etiam, Marcellino & Philippo cos. non. Apr. mihi est senatus assensus, ut de agro Campano, frequenti senatu, idibus Maji referretur.*

Aqua hæret] quam in partem me dem, quid sententiæ dicam, incertus sum. ductum a clepsydris; in quibus non semper fluebat aqua, sed interdum hærebat immobilis. sic hærebat Cicero, dubius animi, quid ageret, utrum agri Campani venditionem probaret, quod videbatur e rep.; an Pompejo, de se optime merito, gratificaretur, qui dividi potius agrum illum suis veteranis militibus voluisset; qui etiam Vibullium ad Ciceronem miserit cum mandatis, ut integrum sibi de caussa Campana ad suum reditum reservaret. quod ita a Cicerone esse factum, aperte constat: quia scribit ad fratrem, non esse actum idibus de agro Campano.

Illud scilicet] expono, *scilicet*, *scire licet*: ut ab eo, *illud*, regatur. Sic Terentius, *scilicet facturum*, pro, *scire licet*.

Cenabis] forte scripserat Quinctus, qui erat in locis urbi admodum propinquis, se esse post cenam Romam iturum. Cicero, qui præ fratris videndi desiderio moram illam non ferret, *advola*, inquit: *nimirum cenabis, cum veneris.*

EXPLANATIO EPISTOLÆ IX.

Cn. Pompejo Magno,
M. Licinio Crasso, COS.

Pag. 58. L*Ibrum meum*] hic liber, quo erat in extremo Jovis oratio, qui fuerit ignoratur. de his certe, qui exstant, nullus est, in quo Jupiter loquatur. crediderim fuisse poema. nam, inducere Jovem loquentem, poeticum quiddam est, non oratorium. ac forte intelligendum est de versibus illis, quibus acta consulatus sui persecutus est. mihi enim venit in mentem cogitanti, Jovis in personam optime convenire tres illos versus, qui sunt in ad Atticum epistola III. libri II.

„ *Interea cursus, quos prima a parte juventæ,*
„ *Quosque adeo consul virtute animoque petisti,*
„ *Hos retine, atque auge famam laudesque bonorum.*

idque videtur illa oratio confirmare, quæ Sallustii nomine in Ciceronem inscribitur. *Quid ego*, inquit, *plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes docuit, Jupiter optimus maximus in concilio deorum admisit.* ut Ciceronem Jupiter admissum in concilium deorum, illa fortasse oratione, qua de nunc ad fratrem scribit, sit allocutus.

De non curantia] rara vox, & fortasse singularis, *curantia.* itaque videtur mihi, ceteris opinor item, duriuscule posita: tametsi, quæ pariter desinant, aliarum vocum exempla non desunt, *ut vigilantia, jactantia, arrogantia*, atque etiam *negantia.* sed si, quia similia in usu multa sint, eam tueri volumus: cujus tamen teretes aures rotundæque sint, is, non video, qui ferre possit negantem illam particulam, quæ antecedit. dixit quidem alibi Cicero, *non corpus*, cum exprimere vellet ἀσώματον: ut eadem forte licentia *non curantiam* pro ἀμελεία dixerit.

Mihi magis] ut meæ vitæ rationem ad ejus orationis, quam Jupiter habet, quasi normam instituerem.

Pag. 59. *Sed tamen*] ita loquimur interdum, cum, omisso, qui erat institutus, sermone, novam aggredimur narrationem. non enim est hic, *sed tamen*, ea sententia usurpatum, ut indicet contrarium aliquid iis, quæ jam dixit.

Postridie quam tu es profectus] redierat Quinctus e Sardinia superiore anno paullo post idus Majas, ut est supra in epistola, *O litteras:*

teras : hoc est, anno jam peracto. nam hæc epistola scripta est post III. id. Majas: cum in extrema de senatusconsulto III. id. Mai. facto mentionem fieri videamus. rursus igitur Quinctus Roma discesserat.

Vibullio] Rufo, Pompeji studiosissimo, ejusdemque præfecto fabrum. epistola longa ad Lentulum, ad Atticum sæpe, & Cæsar libro I. de bello civili.

Operibus] videtur ejusmodi res fuisse, quæ fieri sine publica consensione non posset. itaque dabat operam Cicero, ne Clodius adversaretur, & ut Pompejo Crassoque adjutoribus uteretur. opera vero ipsa, atque inscriptiones, de quibus laborabat Quinctus, crediderim significari in epistola I. libri III. ubi mentio de Telluris æde fit. nam ad eam ædem fieri quiddam, atque inscribi, suo videlicet nomine, Quinctus volebat. id curavit Cicero, ut scribit ipse in eo loco, diligenter: statuam etiam fratris locavit.

Per Pompejum] cum quo in gratiam anno proximo redierat, concionemque acerbissimam in Marcellinum consulem, Pompeji Crassique conatibus obsistentem, habuerat. Dio libro XXXIX.

P. Crassus] Marci consulis filius, eloquentiæ cumprimis deditus; qui, lege Clodia promulgata, cum Romanæ juventutis viginti fere millibus vestitum Ciceronis caussa mutaverat. Plutarchus.

Legatio libera] hac utebantur, qui sui negotii caussa, ut exigendæ pecuniæ, visitandi templa deorum, abesse diutius volebant. alioqui senatoribus per leges non licebat. erat autem ex hoc genere votiva legatio. nam ad Atticum epist. 18. l. 2. *Libera*, inquit, *legatio voti caussa datur*. harum legationum definitum fuisse tempus, lege a C. Cæsare lata, ostenditur his verbis in epistola ad Atticum II. libro XV. *Et habent*, opinor, *liberæ legationes definitum tempus lege Julia; nec facile addi potest.* ante legem Juliam annuum fuisse tempus lege ea, quam hic noster tulit in consulatu, ipse declarat libro III. de legibus. *Hoc*, inquit, *genus legationis ego consul, nisi mihi levissimus tribunus pl. intercessisset, sustulissem: tamen minui tempus, &, quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate sublata.* quo in loco liberas legationes, quasi turpes, nec satis aut ordine senatorio aut republica dignas multis verbis exagitat. Nomen autem liberæ legationis inde ortum videtur, quod, introire in urbem, & rursus exire, liberam legationem habentibus liceret. quod in ea ipsa, quam proxime nominavi, ad Atticum epistola declaratur. ceteri porro honores, qui extra urbem gererentur, ingredientibus in urbem deponebantur.

Per populum] dandarum legationum jus ad senatum pertinebat. Clodius, si per senatum non posset, confugere ad populum cogitabat. id homines populares facere solitos esse, ut Cæsarem de provincia, Vatinium de legatione, animadverti.

By-

Byzantium, aut Brogitarum] ut a Byzantiis, quòd eos tribunus pl. ab exsulio sua lege restituerat; a Brogitaro autem, quod eum Matris Magnæ templo præfecerat, promissam pecuniam exigeret. ideo subjungit Cicero, *plena res nummorum.* hac utraque de re satis aperte in oratione pro Sextio. *Lege*, inquit, *tribunicia Matris Magnæ Pessinuntius ille sacerdos expulsus, & spoliatus sacerdotio est; fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini, atque indigno illa religione, præsertim cum eam sibi ille non colendi, sed violandi caussa appetisset: reducti exsules Byzantium, condemnati tum, cum indemnati cives e civitate ejiciebantur.* & pro domo sua: *Idem tu una lege tulisti, ut Cyprius rex cum bonis omnibus sub præcone subjiceretur, & exsules Byzantium reducerentur.* in ea vero de aruspicum responsis, *quid ego*, inquit, *id admiror, qui, accepta pecunia, Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumque matris deorum, vastaris, & Brogitaro Gallogræco, impuro homini, ac nefario, totum illum locum, fanumque vendideris?* Et, quod ad Byzantios exsules attinet, negotium illud, tradit Plutarchus, M. Catoni a Clodio esse commissum, ut eo diutius, dum eos lege Clodia, hoc est jussu populi restitueret, ab urbe abesset: quo scilicet ipse magis ad libidinem suam, Cicerone expulso, Catone amandato, remp. vexare posset. exeundi igitur Clodio caussa erat, ut syngraphas persequeretur suas. unde in ea aruspicum responsis, *Dejotarus*, inquit, *est rex judicio senatus, per nos: Brogitarum putabo regem, si habuerit, unde tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti.* Quod autem legitur, *aut Brogitarum*, vix puto Latine dictum, cum hominis nomen sit non loci: ideoque particula, *ad*, videtur addenda.

Aut utrunque] vel, *utroque*, ut ad legationem referatur, malim legere: vel, si, *utrunque*, retinemus, ad verbum, *cupit*, accommodetur.

Quod volo] de operibus, & inscriptionibus.

Ad nostrum Jovem] ut ea, quæ Jupiter in extremo illo libro præcipit, observemus.

Ad III. *id. Maji*] quam multa peccavit incuria librariorum. hoc & quæ usque ad extremam epistolam sequuntur, recte nunc atque ordine sunt impressa in nostris libris, iis, quos proxime edidimus. ceteris in omnibus, quotquot ad eam diem exierant, cum aliæ partes erant præpostere collocatæ, tum hæc ipsa, quæ nunc tractamus, quæ Pompejo & Crasso cos. scripta esse facile cognoscitur, conjuncta legebantur cum ea epistola, cujus initium est, *dederam ad te*: quam eo scriptam anno, quo Marcellinus & Philippus consulatum gesserunt, satis jam, cum eam exponeremus, probavimus: ut una epistola duobus annis perscripta videretur. hoc vitium cum hactenus nemo animadvertisset, deprehendi statim, nec ita magno negotio, cum ad hunc locum inter-

terpretando pervenissem. vetus enim hoc nostrum est in exponendo, ut, cum aliquid, quod ad historiam pertineat, occurrit, illico revocemus id ad temporum rationem; ne quid de nostro tantum sensu litteris temere mandemus. temporum autem ratio certissima est, annorum per consules consideratio. quæ mihi sæpe res, incredibile est, quantas ad videndam veritatem fenestras aperuerit, quantosque eadem patefecerit aliorum errores, qui genus hoc diligentiæ aut tanquam nimis laboriosum refugientes, aut, quasi leve, contemnentes, ea suos in libros retulerunt, quæ satis magnam reprehendendi studiosis hominibus materiam præbeant.

De ambitu] eorum magistratuum caussa, quos proxime creari oportebat. ii prætores erant. nam consules ex interregno creati jam erant Pompejus & Crassus. qui cum id spectarent, quod etiam consecuti sunt, ut petentibus præturam M. Catone & P. Vatinio, Catoni Vatinius, integerrimo civi omnium nequissimus, anteferretur; neque id se posse obtinere sine ambitu sperarent; cavere sibi a legibus voluerunt, senatusconsulto facto, ne, qui præturam per ambitum cepisset, ei propterea fraudi esset. nimis hoc improbum atque iniquum videtur, sed patet ex Plutarcho in Catone Uticensi his verbis: *οἱ δὲ καὶ τοῦτο δείσαντες, ὡς τῆς στρατηγίας ἀξιομάχου διὰ Κάτωνα πρὸς τὴν ὑπατείαν γενησομένης, πρῶτον μὲν ἐξαίφνης, καὶ τῶν πολλῶν ἀγνοούντων, βουλὴν συναγαγόντες, ἐψηφίσαντο, τοὺς αἱρεθέντας στρατηγοὺς εὐθὺς ἄρχειν, καὶ μὴ διαλιπόντας τὸν νόμιμον χρόνον: ἔπειτα διὰ τοῦ ψηφίσματος τὸ διδόναι δίκας ἀνεπεύθυνον κατασκευάσαντες, ὑπηρέτας αὐτῶν, καὶ φίλους ἐπὶ τὴν στρατηγίαν προσῆγον, αὐτοὶ μὲν δόντες ἀργύριον, αὐτοὶ δὲ ταῖς ψήφοις φερομέναις ἐφεστῶτες.* & in Pompejo: *τὸν Κάτωνα τοῦ δήμου στρατηγὸν αἱρουμένου, καὶ τὴν ψῆφον ἐπιφέροντος, Πομπήϊος ἔλυσε τὴν ἐκκλησίαν οἰωνοὺς αἰτιόμενος, ἀντίαν δὲ καὶ Βατίνιον ἀνηγόρευσαν, ἀργυρίῳ τὰς φυλὰς διαφθείραντες.* est igitur hoc senatusconsultum non, ut alia, *contra ambitum*, sed *pro ambitu*. quod etiam inde fit apertius, quia factum est in Afranii sententiam. is enim nihil ad voluntatem Pompeji non administrabat, utpote qui consulatum & ejus opera adeptus esset, & ejusdem arbitratu gessisset, ut est ad Atticum, l. 1. ep. 14. & 16. addo illud, quod cum epistolam ita Cicero concluserit, *quid multa? tenent omnia*; indicat, nihil, contra quam vellent, esse factum.

Quam ego dixeram] non, *quam ego dixeram in senatu*. non enim eo turpitudinis Cicero venisset, ut, cum antea consul legem contra ambitum tulisset, idem sententiam in senatu diceret de impunitate iis danda, qui per ambitum deliquissent. expono igitur, *quam dixeram*, de qua tecum locutus eram.

Consules] Pompejus, & Crassus.

Non sunt persecuti] noluerunt, inquit, discessionem fieri a senatu,

natu, quo posset intelligi, probarentur nec ne eorum sententiæ; qui Afranio &c. id est enim, *persequi sententias*, non, *singulas omnium sententias rogare.*

Afranio cum essent assensi] hos necesse est non optime animatos in remp. fuisse, qui Afranii sententiam pro ambitu dictam secuti sint. id tamen argumentum videtur mentis non omninò pessimæ, quod addiderunt, ut prætores ita crearentur; ut dies LX. privati essent; eo nimirum consilio, ut accusare volentibus eos, qui per ambitum prætores creati essent, spatium daretur. nam, si præturam protinus iniissent, accusandi locus non fuisset. non enim eos, qui essent in magistratu, licebat postulare. sed consules hoc non latuit: itaque persequi sententias eorum noluerunt. scriptumque est illud in senatusconsulto, quod supra posuimus, τοὺς αἱρεθέντας στρατηγοὺς δι' ὅθυς ἄρχειν. neque vero quisquam miretur, mense Febr. de creandis prætoribus agi, qui mense Quinctili, postve designari soliti essent. nam ita producta comitia erant, ut, anni parte jam exacta, quo anno geri præturam oportuisset, prætores tamen creati non dum essent: itaque dicit, *Crearentur*; cum designandi tempus abiisset.

Dies LX.] si recte atque ordine ageretur, non LX. tantum dies, sed menses quinque, eoque amplius, privatos esse oportebat. Quinctili enim fere mense designabantur magistratus.

Repudiarunt] Consules Pompejus & Crassus. nullam enim ejus videntur habuisse rationem, cum senatusconsultum pro ambitu fecerunt. vel potius, quia nomen ejus, præturam petentis, recipere noluissent: primum, quod vir optimus Cato hoc est Pompeji Crassique improbis conatibus adversarius: deinde, quod L. Domitio Ahenobarbo affinitate arctissime conjunctus. ejus enim sororem, quod ex Plutarcho liquet, Domitius habebat in matrimonio. Domitium porro consulatu dejecerant, cum legitimus ejus esset annus, Pompejus & Crassus.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ X.

Iisdem consulibus.

Pag. 60. I*N isto*] scripserat Quinctus ad Marcum, ideo se non exisse cum ipso, ne quando eum interpellaret. Marcus ita: Si in isto essem, quod tu scribis, ut tu me posses interpellare, ut mihi occupato tuus interventus ullo modo molestus esset: sane, ut hac afficerer molestia, numquam accideret. tu enim, qui, quid sit *interpellare*, optime nosti; nihil aliud, inquam esse, quam intempestive aliorum occupationibus intervenire;

nire; numquam ad me, nisi tempestivus, accederes: ne, quod esse vitium scis in hoc genere, in illud incurreres. deinde volo tibi hoc licere apud me, ut nulla temporis aut occupationis meæ ratione habita, cum libet, appelles me, interpelles, obloquare, colloquare.

An te Atejus] ita mihi numquam esse molestus potes, quemadmodum nec tibi Atejus. An te Atejus, inquit, interpellat? aut interpellare potest? minime. itidem nec tu me: quando quidem, ut ille, ita tu scis, quid sit interpellare, & importuni numquam estis.

Istius generis] genus enim quoddam est humanitatis, cum ad eos, quos amamus, arbitratu nostro, qua volumus hora, libere accedimus. quod, inquit, tu cum faceres, humanitatem docere quodam modo videbaris. nunc autem, quando tibi venit in mentem timere, ne me interpelles, hac humanitate te magistro non utor, sed quod ea mihi vel sine tuo exemplo nota est, & placet ipsa per sese.

Tu vero] dixerat, *primum*: subjungendum erat, *deinde*. id, ut interdum solet, omittit; sed iis verbis utitur, quæ, si sententiam spectes, idem præstant. *Primum*, inquit, si hujus verbi, *interpellare*, vim attendimus, tu me numquam potes interpellare. quod enim vitium interpellatio significat, id tu, cui notum est, vitares, cum ad me numquam ires, nisi opportune. deinde, etiam si tu, quid esset interpellare, non teneres, me tamen vellem, qui meus est in te amor, & appellares, & interpellares, magis, cum tua voluntas ita ferret, quam cum mea postularet occupatio.

Pag. 61. *Μουσοπάτακτος*] subito musarum furore percitus: cujusmodi homines fundunt illi quidem, pede in uno stantes, multas versuum centurias, eas tamen, quas, animo sedatiore qui sunt, ne semel quidem possint perlegere; ipsi tamen sua poemata, præsertim illico postquam ediderunt, immoderate ac stulte nimis amant.

Invisa] quam ego nunc odi, cum ejus caussa factum intelligam, ut te, ab urbe discedens, non asportaverim, eadem scilicet, qua vectus ego sum, lectica; tibique, qui antea hujus generis humanitatem colebas, occasionem dederim de interpellatione metuendi. Movet me, quod veteres libri pro, *invisa*, habent, *infusa*. qua ego in dictione ut me diu torserim, &, ut ille inquit, labrum sæpe momorderim, assequi tamen ingenio nihil potui, quod probarem. non enim, quæ huic vocabulo, *infusa*, subjecta res est, ea certe (aut ego prorsus fallor) in hac sententia locum habet. *invisa* vero neque longe distat ab, *infusa*, & cum sententia videtur optime congruere.

Ἀντίακτον] placet, quod video scriptum esse in Bessarionis libro, ἀντείσακτον, hoc est, *adductam contra voluntatem meam.*

ita,

ita, cum habemus ex antiquo libro, quod sententiam satis ap-
tam continet, conjecturis meliora quærere non debemus.

Ciceronis nostri] filii tui.

Iterum ceteri omnes] Iterum cum excusares te, quia mecum non ires, hoc attulisti, quod domesticorum omnium caussa tibi manendum esset.

Suspicatus ero] non modo si tu dixeris, te vereri, ne mihi molestus sis; sed etiam, si hoc te animo esse suspicione assequi p tuero : nihil equidem propterea dicam ; te tamen pari ulcisc via. verebor enim, &c.

Sic fit] sic ulciscor eos, a quibus lacessor immerito.

Οὐδ' ἐν ἄιᾳ ἔζηκας] exemplo græcæ sententiæ cum utitur Ci cero, fere aut prima tantum attingit verba, reliqua, tanqu nota, prætermittit; aut ita totum recitat, ut aliqua tamen m tatione ad id, quod sibi propositum est, accommodet. utriusq generis plenæ sunt epistolæ. hic singula verba quid valeant, mo est, qui non videat. quid omnia simul spectent, mihi q dem obscurum est. quod si, quoniam ex poëta (certe enim a poëta aliquo videtur Cicero mutuatus) sumpta essent, t rem; facile opinor esset, sibi quid vellent, assequi. nunc, locum ignoramus, vel quod non exstet, vel quod aliquan gnitus, memoriam nostram effugerit; affirmare de sententi te nihil licet. nec placet inani conjectura nubes & inania ca

Marium autem nostrum] eum, ad quem scribit libro VII stolarum, ut vulgo appellant, familiarium, hominem incomm valetudine, litterarum studio deditum. Scripserat Quinctius li benter Marium quoque fuisse exiturum cum Marco, si esset in vitatus. caussam, cur eum proficiscens non sustulerit, confert Cicero tum in ipsius infirmam valetudinem, tum etiam in villam apertam, ac ne rudem quidem.

Conjecissem] verbi tralatio quiddam habet ad suam fruendi Marii cupiditatem indicandam.

Regis Ptolemai] quam Ptolemæus, Ægypti rex, qui a suis civibus ejectus Romæ aliquamdiu fuit, Anicio dono dederat, uni fortasse de suis creditoribus.

Octophoro] quem octo servi gestarent. quod ipsum regiam potius quam privati hominis lecticam arguit fuisse.

Aniciano] de quo mihi Anicius commodaverat, & est de quo paullo post.

Pag. 62. *Macharophoris*] *machæra* videtur fuisse, quam nunc *spatham* appellant. certe vagina condi solitam jocus apud Plautum paullo obscenior demonstrat.

Centum] non puto Ciceronem hujusmodi comitatu esse usum. vix hoc Milonis aut Clodii insaniæ tulissent. ac, si Ciceronem secuti essent, non extimuisset Marius, quasi ad aspectum novæ rei. crediderim igitur casu contigisse, ut eadem via post octophorum

phorum Anicianum sequerentur illi machærophori, quibus visis, Marium, qui non animo minus quam valetudine esset infirmus, hominum & machærarum subita specie perterritum pæne corruisse.

Tunc] forte verius, *hunc*: de quo scilicet locuti sumus. facit enim hoc Cicero, cum de aliquo aggressus dicere, de eodem aliquid a re tamen proposita sejunctum interponit: ut supra, cum de C. Catone tribuno pl. orsus esset dicere, deinde interposuisset quiddam de familia vendita, rursus ad id, quod cœperat, reversus, hoc utitur loquendi modo: *Hunc igitur Catonem Lentulus a legibus removit.*

Subtilitatem] acumen.

Veteris urbanitatis] veterum sales magna ex parte amissos esse ibi quoque Cicero conqueritur.

Hoc vero mihi peculiare &c.] *peculiaria* nostra sunt, quæ a nobis proprie possidentur, sic ut ad neminem præterea neque possessio neque fructus pertineat.

Hoc vero] quod si, inquit, Marius tecum venturus est, ut ficas; mea erit hæc propria suavitas, mihi nullo cum homine communis, ut homine ingeniosissimo atque humanissimo Mario ubique fruar, non modo in illis prædiis, quorum ille, mihi usus, quasi lumen est, verum etiam hic, ubi nunc ædifico.

] qui tecum venturus videtur, Mario.

rum] quæ tibi nota sunt in agro Pompejano: ubi villam fuisse patet ex epistola 3. ad ipsum, fam. lib. 7.

men] luminis loco; æque gratum ac lumen ipsum. nam lumine carent, loca jocunditatis habent minus, quam quæ ustrat.

atum sit] Marii caussa; ut fit, ubi homo infirmus comexcipiatur. nam ego ita sum philologus, hoc est, ita litm studiosus, ut mollis tamen minime sim: quales fere quos librorum consuetudo tenet. possum, inquit, vel cum habitare. non enim mea philosophia luxum, & voluptas & mollitiam sequitur. ea me, non oblectavit in Hymettnonte Atticæ amœnissimo, sed in area cum servis Syris, dificant, duriter exercuit. Jocatur, cum *se philosophari in* hoc est, suum studium in fabris exercendis ponere signi-

ea Syra] in qua servi Syri opus faciunt.

interpellatione] ad epistolæ partem respondet, in qua scrit Quinctus, futurum, ut ipse & Marius eum, quam mipossent, interpellarent.

rep.] hoc videtur dicere. Philoctetes, ille Herculis comes, pta a suis civibus, hoc est, a Græcis, injuria, cum in Lemnsula destitutus est, execrabatur eos, a quibus eam injuriam erito tulisset. tu contra; cum eos cives, qui nos indignissimis

ita, cum habemus ex antiquo libro, quod sententiam satis aptam continet, conjecturis meliora quærere non debemus.

Ciceronis nostri] filii tui.

Iterum ceteri omnes] Iterum cum excusares te, quia mecum non ires, hoc attulisti, quod domesticorum omnium caussa tibi manendum esset.

Suspicatus ero] non modo si tu dixeris, te vereri, ne mihi molestus sis; sed etiam, si hoc te animo esse suspicione assequi potuero: nihil equidem propterea dicam; te tamen pari ulciscar via. verebor enim, &c.

Sic fit] sic ulciscor eos, a quibus lacessor immerito.

Οὐδ' ἂν ἴσα ἴζησας] exemplo græcæ sententiæ cum utitur Cicero, fere aut prima tantum attingit verba, reliqua, tanquam nota, prætermittit; aut ita totum recitat, ut aliqua tamen mutatione ad id, quod sibi propositum est, accommodet. utriusque generis plenæ sunt epistolæ. hic singula verba quid valeant, nemo est, qui non videat. quid omnia simul spectent, mihi quidem obscurum est. quod si, quonam ex poëta (certe enim hæc a poëta aliquo videtur Cicero mutuatus) sumpta essent, tenerem; facile opinor esset, sibi quid vellent, assequi. nunc, quia locum ignoramus, vel quod non exstet, vel quod aliquando cognitus, memoriam nostram effugerit; affirmare de sententia certe nihil licet. nec placet inani conjectura nubes & inania captare.

Marium autem nostrum] eum, ad quem scribit libro VII. epistolarum, ut vulgo appellant, familiarium, hominem incommoda valetudine, litterarum studio deditum. Scripserat Quinctus, libenter Marium quoque fuisse exiturum cum Marco, si esset invitatus. caussam, cur eum proficiscens non sustulerit, confert Cicero tum in ipsius infirmam valetudinem, tum etiam in villam apertam, ac ne rudem quidem.

Conjecissem] verbi tralatio quiddam habet ad suam fruendi Marii cupiditatem indicandam.

Regis Ptolemæi] quam Ptolemæus, Ægypti rex, qui a suis civibus ejectus Romæ aliquamdiu fuit, Anicio dono dederat, uni fortasse de suis creditoribus.

Octophoro] quem octo servi gestarent. quod ipsum regiam potius quam privati hominis lecticam arguit fuisse.

Aniciano] de quo mihi Anicius commodaverat, & est [illegible] de quo paullo post.

Pag. 62. *Macharophoris*] *machara* videtur fuisse, quam nunc *spatham* appellant. certe vagina condi solitam jocus apud Plautum paullo obscenior demonstrat.

Centum] non puto Ciceronem hujusmodi comitatu esse usum. vix hoc Milonis aut Clodii insaniæ tulissent. ac, si Ciceronem secuti essent, non extimuisset Marius, quasi ad aspectum novæ rei. crediderim igitur casu contigisse, ut eadem via post octophorum

phorum Anicianum sequerentur illi machærophori, quibus visis, Marium, qui non animo minus quam valetudine esset infirmus, hominum & machærarum subita specie perterritum pæne corruisse.

Tunc] forte verius, *hunc*: de quo scilicet locuti sumus. facit enim hoc Cicero, cum de aliquo aggressus dicere, de eodem aliquid a re tamen proposita sejunctum interponit: ut supra, cum de C. Catone tribuno pl. orsus esset dicere, deinde interposuisset quiddam de familia vendita, rursus ad id, quod cœperat, reversus, hoc utitur loquendi modo: ***Hunc igitur Catonem Lentulus a legibus removit.***

Subtilitatem] acumen.

Veteris urbanitatis] veterum sales magna ex parte amissos esse alibi quoque Cicero conqueritur.

Hoc vero mihi peculiare &c.] *peculiaria* nostra sunt, quæ a nobis proprie possidentur, sic ut ad neminem præterea neque possessio neque fructus pertineat.

Hoc vero] quod si, inquit, Marius tecum venturus est, ut significas; mea erit hæc propria suavitas, mihi nullo cum homine communis, ut homine ingeniosissimo atque humanissimo Mario ubique fruar, non modo in illis prædiis, quorum ille, mihi vicinus, quasi lumen est, verum etiam hic, ubi nunc ædifico.

Isto] qui tecum venturus videtur, Mario.

Illorum] quæ tibi nota sunt in agro Pompejano: ubi villam Marii fuisse patet ex epistola 3. ad ipsum, fam. lib. 7.

Lumen] luminis loco; æque gratum ac lumen ipsum. nam, quæ lumine carent, loca, jocunditatis habent minus, quam quæ Sol illustrat.

Paratum sit] Marii caussa; ut fit, ubi homo infirmus commode excipiatur. nam ego ita sum philologus, hoc est, ita litterarum studiosus, ut mollis tamen minime sim: quales fere sunt, quos librorum consuetudo tenet. possum, inquit, vel cum fabris habitare. non enim mea philosophia luxum, & voluptatem, & mollitiam sequitur. ea me, non oblectavit in Hymetto, monte Atticæ amœnissimo, sed in area cum servis Syris, qui ædificant, duriter exercuit. Jocatur, cum *se philosophari in area*, hoc est, suum studium in fabris exercendis ponere significat.

Area Syra] in qua servi Syri opus faciunt.

De interpellatione] ad epistolæ partem respondet, in qua scripserat Quinctus, futurum, ut ipse & Marius eum, quam minime possent, interpellarent.

De rep.] hoc videtur dicere. Philoctetes, ille Herculis comes, accepta a suis civibus, hoc est, a Græcis, injuria, cum in Lemno insula destitutus est, execrabatur eos, a quibus eam injuriam immerito tulisset. tu contra, cum eos cives, qui nos indignissi-

 mis

mis & iniquissimis modis vexarunt, doles tamen non optimo in statu esse, mutuis discordiis agitari. hoc animo te esse, mihi, inquit, molestum est. vellem Philoctetem imitareris. De Philoctete, in Lemno a Græcis Trojam proficiscentibus derelicto, exstat Sophoclis tragœdia.

Illa spectacula] calamitates, & miserias suorum civium gravissimas.

Consolabor] quasi præsens remedium manu teneat, ita pollicetur: credo, quia significet, facile esse, rationibus Quincto ostendere, quam sine caussa doleat.

Hortus domi est] Ruri vicinitas horti requiritur maxime: ut sit, non modo quo opsonia condiamus ad suavitatem, verum etiam quo languentem stomachum quarundam herbarum acrimonia excitemus. *hortensia*, inquit, *non longe petemus*.

EXPLANATIO EPISTOLÆ XI.

Pag. 63. NOn] puto hanc epistolam scriptam esse Appio & Ahenobarbo cos. quia, proxima quæ sequitur, Januario mense scriptam esse constat. aut suo loco minime collocata. quod si, Pompejo & Crasso, scripta est: ne sic quidem suum locum obtinebit. nam eam, quæ ante proximam legitur, post IV. id. Mai. scriptam videmus: hæc porro ante pridie id. Apr. Quare sive Pompejo & Crasso, sive Appio & Ahenobarbo cos. est data; non est ad ordinis rationem constituta. crediderim tamen scriptam esse potius anno Pompeji & Crassi: quia, si anno Appii & Ahenobarbi scripta esset, absque dubio de itione Quincti ad Cæsarem mentionem aliquam fecisset; cum ad paucos dies ad eum Quinctus profecturus esset. nam Arimini Quinctum fuisse mense Majo, hoc est, in Cæsaris provincia, legimus infra.

Convicio] acriter: quasi conviciantum morem referrent, cum litterarum officium, diutius jam desideratum, Ciceroni exprobrarent. sic in epistola, quæ sequitur proxima, *convicio*, dixit, pro querela satis libera, minime tamen pro convicio.

Codicilli] scriptorum genus in ceratis tabulis, quo veteres utebantur, ubi properanter aliquid ac breviter, quod instar epistolæ non esset, exarare cogitarent: ut apud amicum in cena, foris, in itinere, vel navi, si charta præsto non esset. dabant deinde amanuensi, ut descriptæ inde litteræ mitterentur. interdum etiam ipsos mittebant codicillos. quod hæc ipsa ad Quinctum epistola perspicue probat. non missos verba illa ad Papirium demonstrant: *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.*

Nam

Nam res quidem ipsa] ideo commisi, ut tu me de scribendo urgeres, quia neque res ipsa, de qua scire aliquid velles, neque omnino ulla de re dies is, quo tu es profectus, argumenti quidquam dabat.

Deesse non solet] cum res tamen certa, de qua sermo sit, nobis deest.

Alucinari] certa re non proposita loqui, huc illuc errantium more ferri. est enim *alucinari*, aberrare, non consistere, ut ait Nonius: & ab ἀλύειν deductum, scripsit Cloatius Verres. propterea sine aspiratione, unico l, scribi debet: & in hoc antiquus item Bessarionis liber consentit.

Tenediorum] petitum est a legatis ex insula Tenedo missis, ut Tenedii suis legibus viverent. negatum. potius enim censuit senatus, ut eadem condicione, qua ceteri in provincia populi Romani, tenerentur, hoc est, ut legibus a populo Romano aut a provinciali magistratu datis uterentur.

Securi Tenedia] ictu vehementi; cum universus fere senatus contra Tenediorum libertatem consentiret. &, *securi Tenedia*, cum dixit, quasi quodam joco allusit ad veterem illam sive fabulam sive historiam de Tenne rege, a quo insula nomen accepit; qui leges sanxit, si quis adulterum deprehendisset, ut eum securi interficeret: idque servavit ita diligenter, ut etiam de filio suo deprehenso interrogatus, quid fieri oporteret, respondisse dicatur; id fieret, quod lex juberet. inde datus locus proverbio de Tenedia securi, in iis rebus, quæ præciduntur. Heraclides ἐν τῷ περὶ πολιτειῶν.

Bibulum] Marcum, C. Cæsaris in consulatu collegam.

Calidium] Marcum, oratorem dulcem potius quam vehementem; qui prætor in Cicerone restituendo diligenter operam navavit. in Bruto, & oratione post reditum in senatu.

Favonium] Marcum, Catonis amicum & æmulum in tuenda libertate, atque insectanda paucorum potentia. interfectum post obitum Cæsaris triumvirorum jussu, Suetonius tradit. Et ordine Bibulus, Calidius, Favonius, habita dignitatis gestorumque magistratuum ratione, nominantur. nam Bibulus consularis, Calidius prætorius, Favonius necdum ædilicius. quod in Catone scriptum est apud Plutarchum.

De te] quia Tenedum & Sipylum Quinctus, cum esset in Asia pro prætore, triennio ante rexerat. Sipyli autem legati potius quam Tenedi Quinctum in senatu laudarant.

Unum] in eo consilio, ubi de Sextii postulatione deliberatum est.

Pansa] postulantis aliquid, opinor, pro publicanis contra Asiaticos, quod ei concedi jus non esset. nam inter provinciales & publicanos vectigalium caussa numquam defuit contentio.

Neque tibi, neque Pomponio deero] forte, ut communem utrius-

que rem in aliqua caussa defenderet.

Poemata] si de iis, qui nunc exstant, Lucretii versibus intelligit: non videtur, *Poemata*, satis proprie dixisse. *poëticam enim*, definit Aristoteles, *imitationem esse*. at in opere suo (de eo, quod in manibus est, loquor) non imitatur Lucretius, sed ipsam rem, ut est, ita docet. eadem oratione Empedoclem, qui versibus *de rerum natura* scripsit, Aristoteles idem esse poëtam negat. verum alia præterea, quæ fortasse *poemata* recte possent appellari, scripsit Lucretius: quod ex Varrone, Charisio, aliis colligitur. aut puta Ciceronem, etiam si definitionem Aristotelis teneret, voluisse tamen cum populo, quod e versibus constaret, id *poema* nominare; item ut tribunatum pl. & ipse & Livius *magistratum* appellant; quem tamen non esse magistratum, Plutarchus ἐν τῷ τῶν προβλημάτων multis probat argumentis. etiam in Oratore, non se rationem sed consuetudinem in loquendo sequi, tradidit his verbis: *Usum dicendi populo concessi, scientiam mihi reservavi*.

Ut scribis, ita sunt,] ejusmodi sunt, qualia tu scribis esse, multis illa quidem ingenii luminibus, multis tamen etiam artis. quibus verbis plus in Lucretio declarat ingenii, quam artis, esse. quod sane hi quoque ipsi, qui ad nostram ætatem pervenerunt, sex illius libri satis indicant.

Pag. 64. *Hominem non putabo*] forte scripserat Quinctus, rediturum se esse in urbem, cum legisset ea, quæ Sallustius Empedocleo more versibus tractaverat. eam morandi caussam M. Cicero reprehendit. *Virum*, inquit, *te putabo, cum veneris: si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo*. Laudis enim est, *virum* vocari; *hominem*, non item. quia, etiam in quibus nihil laudes, homines tamen sunt; qui vero de hominibus ipsis excellunt, viros cum laude nominamus. itaque in Bruto, *vidi*, inquit, *Mitylenis virum, & vidi plane virum*. & ad Att. epist. 15. lib. 5. *O virum, o civem Memmium*. & apud Terentium in Hecyra: *Tu virum me, aut hominem deputas adeo esse?*

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XII.

Ap. Claudio Pulchro,
L. Domitio Ahenobarbo, COS.

Pag. 64. P*Ridie idus*] Januarii, an Februarii? Februarii. nam pridie idus Januarii senatus haberi non poterat. erat enim dies comitialis, ut vetus Romanum Kalendarium signifi-
cat.

erat. pridie autem idus Januarii nefastus erat: quo dierum genere senatus habebatur. scripsit autem hanc epistolam idibus mane, posteaque quod idibus est actum, scripsit postridie idus: &, quod postridie idus, Lupercalibus. patet ex epistola sequenti.

Populi] stantis ante fores curiæ in Græcostasi & gradibus. itaque in epistola I. hujus libri, *ejus*, inquit, *opera repente a Græcostasi & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt.*

Convicio] an Appio consuli populus convicium diceret? nihil ne metueret illos fasces, quos in manibus lictorum, ante curiæ fores consuli præstolantium, videret? quid igitur est, *convicio?* clamore & querela paullo liberiore. sic in proxima, quæ antecedit, epistola: *Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui.*

Commageno] Antiocho, Commagenes rege: cujus regni caput Samosata fuit, in Asia, citra montem Taurum. de hoc rege meminit ep. I. 3. & 4. lib. 15. fam.

Rem] petierat, opinor, ut ei regni possessio senatusconsulto confirmaretur. idque videntur indicare quæ proxime sequuntur verba, de oppidulo extorto.

Discusseram] abjeceram: ita contra eum locutus eram in senatu, ut tota res ad nihilum recideret. discusserat autem, non pridie idus, sed ante. nam pridie idus nihil actum in senatu videtur. coactus enim est consul populi convicio senatum statim dimittere.

Blanditur] metu: ne itidem exteris legatis, aut regibus, aliquid a senatu petentibus, obsistam. quod ideo Appius nolle videbatur, quia, cum aliquid eorum caussa senatus decrevisset, munera mercedis loco aut etiam pactam mercedem consuli, qui ad senatum retulisset, dare consuessent. id significant illa verba, quæ sequuntur: *Videt, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum.*

Hoc genere dicendi] quo facile consequi possum, ut ea, quæ petuntur, senatus minime concedat.

Februarium] reliquos Februarii dies. nam epistola scripta est post idus Februarii.

Et Zeugmate] affirmo, *& Zeugmate*, Ciceronis non esse: &, ut olim in jure solebant, sic ego sponsionem facerem, ni glossema sit. oppidum enim in Commageno, positum in Euphrate, nullum fuit, præter Zeugma: de quo Plinius libro naturalis historiæ v. sic: *Latitudo a Seleucia Pieria*, ad oppidum in Euphrate Zeugma, CLXXV. M. P. & ibidem infra: *Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia, quæ ad Euphratem vocantur: item Zeugma,* LXXII. M. P. *a Samosatis, transitu Euphratis nobile.* in libro Bessarionis est, *in Euphrate & Zeugmate.*

Cæsare consule] aut, quia consulatum Cæsar solus gessit, Bibulo collega domi incluso: aut, quia Cæsar ad senatum retulit de honore togæ prætextæ Commageno regi impertiendo.

Quod non vult] hoc totum quid sibi velit, non assequor: nec pudebit umquam fateri nescire, quod nesciam: etiam, si cujus me ex his tenebris eduxerit industria, æque lætabor, ac si, quod nunc quæro, meo ipsius ingenio nactus essem.

Pag. 65. *Decernendum nihil censeo*] ex sententia petentis Commageni. erat autem hæc in sententiis senatoriis, ubi nihil novari placeret, usitata conclusio: *Decernendum nihil censeo.* Sic & Livius lib. XLI. *Ego*, inquit, *nihil novi censeo decernendum.*

Busrhenum] regis barbari nomen; qui tamen paullo, quam Commagenus, erat nobilior. ei quoque permiserat senatus, ut prætexta, itidem ut magistratus Romani, posset uti; cum nobiles inique ferrent, eo barbaros honore impertiri, qui magistratuum Romanorum proprius esse deberet.

Genus, & locum] falsum genus; locum, materiam ejusmodi, in qua *dicta dicere* facillimum sit.

Reliqua discutere] ita contra reliquas legationes dicere, nihil ut omnino a senatu obtineant. quod si fiat, eripietur Appio pecunia, quam cupiditate jam ac spe devoravit.

Jovis hospitalis] cum, hospitibus meis, Græcis hominibus intercedentibus, in gratiam cum eo redierim.

Fugerat] hactenus in mentem non venerat, superiora scribenti.

Optandum, quam sperandum] videtur Balbus ad Cæsarem scripsisse, itemque, ut opinor, Cæsar ipse; si vellet, Quinctum ad eum iturum, ut operam in bello navaret. suam ejus rei cupiditatem Cæsar indicat, cum respondit, *optandum magis, quam sperandum.*

Ne sis aspernatus] ita jocus est, ut serio tamen dictum videri possit. Scripserat Cæsar tale quid: argentum sibi non esse, unde Quinctum ditare posset: studium & benevolentiam, quæque in sua potestate essent, ei non defutura.

Arcæ nostræ] jocus joco relatus. si tu, inquit, eges; nos non abundamus. itaque arcæ nostræ noli confidere. nam si decoxeris, ego te meis nummis tuo aëre alieno non expediam. Et est hic, *conturbare*, pro, *decoquere*. quo sensu dixit Martialis:

Conturbabit Atlas; & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse deum.

Pag. 66. *Singulorum dierum*] ita videtur fecisse. nam hanc epistolam scripsit, ut dixi, idibus, sequentem postridie idus, aliam, quæ non exstat, Lupercalibus. alibi aliud significat, ut ostendimus in commentariis ad Atticum. Vere autem jocus ille Cæsaris fuit de sua egestate. victis enim sæpe Gallis, ex eorum spoliis & urbium direptione vim pecuniæ maximam coëgerat; ut qui, belli civilis initio, uni Paullo consuli talentorum MD dono dederit.

Fere

Fere cum tuo reditu jungentur] id est, eo fere tempore perferentur ad te, quo tu reditum ad nos adornabis.

Sua ædes urerentur] quod in domo consulis, quo salutandi ac deducendi caussa quam plurimi convenirent, caminum esse oporteret, sæviente frigore, luculentissimum.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XIII.

Iisdem consulibus.

Pag. 66. R*Isi nivem atram*] de qua scripsisti. Anaxagoræ fuit opinio, *nivem atram* esse, quod ex aqua fieret, quæ nigra esset, inepto ac falso argumento. sed hoc nihil ad hunc locum. scripserat forte Quinctus jocose, nivem se atram invenisse, illam inquam, Anaxagoræ; quasi tristem minimeque jocundam; quia scilicet ei per nives incommodissimo itinere eundum, ac forte etiam in ipsis nivibus cum hoste, non sine summo vitæ discrimine, pugnandum foret.

De Pompejo] non debere nos unius Pompeji amicitia niti: Cæsarem simul esse complectendum, ut amicum Pompejo firmiorem.

Canto] in ore frequenter habeo, prædico. Terentius: — *Qui harum mores cantabat mihi.*

In sinu est, neque discingor] faveo, neque favere umquam desinam. ductum a rebus carissimis, quas in sinu gestamus; quæ ne excidant, non discingimur.

Idus] Februarii. scripsit autem hanc epistolam postridie idus mane. quod extrema epistolæ verba declarant.

Decimus erat Cœlio dies] is dies, quo reus M. Cœlius caussam de vi dicere prætoris edicto debebat. sic enim erat in consuetudine positum. nam & Pedianus in commentario Cornelianæ, *Reum*, inquit, *Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt.* & cum L. Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse jussisset; eoque die ipse non affuisset: circumventi sunt ante tribunal ejus accusatores a notis operarum ducibus. Eos jurisconsulti *justos dies* vocant.

Cœlio] M. Cœlio Rufo, qui tribunatum pl. gessit, Cn. Pompejo Magno III. consule; ædilitatem curulem, L. Æmilio Paullo, C. Claudio Marcello; præturam, C. Cæsare, P. Servilio cos. anno uno post ædilitatem, quod equidem miror: cum prætura biennio ab ædilitate distet.

Domitius] Cn. Domitius prætor. Nolo quemquam in prænominibus errare. duo eodem tempore Cn. Domitii fuerunt: uterque præturam gessit: ad utrumque Cicero dixit. horum alter est

Cn. Domitius Calvinius, qui tribunus pl. fuerat Cæsare & Bibulo cos. ut ut indicant oratio pro Sextio, interrogatio in Vatinium: & post biennium (ædilitatem enim omisit, ut multi) præturam gessit, Marcellino & Philippo cos. ut eædem duæ oratio & interrogatio docent. in prætura de ambitu quæsivit, & apud eum Cicero Bestiam defendit, ut in hoc ipso libro supra cognoscitur. anno, qui post annum, quo scripta est hæc epistola, sequitur proximus, consulatum gessit cum M. Messalla. itaque satis patet, non esse hunc, qui de Cœlio quæstionem exercuit: cum & inter præturam consulatumque biennium intercedat; &, præturam ab illo, non hoc anno, hoc est Appio & Ahenobarbo cos. gestam, sed Marcellino & Philippo cos. jam ostenderim. Alter est Cn. Domitius hic, qui de vi cognovit in caussa Cœlii, quem in ipsa oratione Cicero appellat. consulatum numquam gessit.

Ad numerum judices non habuit]. cum eo die, quo caussam dici ex edicto oporteret, judices eo, quo opus erat, numero non affuissent, irrita fiebat accusatio; ut integrum tamen esset, si quis eam præterea vellet instituere: quod in hac Cœlii caussa timet Cicero, cum ait: *Vereor, ne homo teter & ferus Pola Servius ad accusationem veniat.* atque etiam renovatam esse accusationem M. Cœlii, ipsa declarat Ciceronis oratio, initio mensis Aprilis habita, ludis festisque publicis, satis longo post idus Februarias, qui decimus erat Cœlio dies, intervallo. Posuimus caussam unam accusationis, quæ instituta esset, omittendæ. altera fuit, cum accusatores, quo die reus adesset, ad agendum non venissent. hoc ex Pediani verbis animadverto. inquit enim sic, in eo, quo de proxime memini, commentario. *Postero die, cum P. Cassius prætor assedisset, & citati accusatores non adessent; exemptum est nomen de reis Cornelii.* Ergo, cum in caussis quattuor interveniant, *prætor*, *judices*, *accusator*, *reus*; ex numero judicum, & ex accusatoris absentia fieri poterat, ut reus, quod quidem ad ceptam accusationem pertineret, dimitteretur. de reo autem dubium non est, quin, si ad diem non adesset, condemnaretur. prætoris diversa ratio fuit. nam etsi, quo die reum adesse jussisset, ipse non affuisset, deinde tamen peragere quæstionem poterat. idque L. Cassii prætoris exemplo cognoscitur, de quo idem Pedianus in eodem loco. Quod ad judicum numerum attinet, non eundem video fuisse in omnibus caussis. in caussa Milonis, quæ & ipsa de vi fuit, *unum* & *quinquaginta* reperio. is fuerit ne legitimus & ordinarius numerus in omnibus caussis de vi, an tum primum nova Pompeji lege de vi institutus, satis est a nobis accurate consideratum in libro de judiciis.

Pola Servius] novum est, ut pronomen post cognomen ponatur. Livius tamen semel, quod meminerim, ita locutus; cum Manlium Cnæum appellat. Polam hunc aut de gente Clodia,

dam, plebeia tamen, aut certe gentis Clodiæ studiosissimum opinor fuisse. nam in epistola M. Coelii ad Ciceronem, ejus opera, video, Ap. Pulchrum, P. Clodii fratrem, in accusando Cœlio uti cogitasse. & puto Servium istum accusationes factitasse, primum, quia *ferum hominem* hic appellat Cicero; deinde, quod in ea Cœlii epistola ita scriptum est: *Non destitit accersere Polam Servium accusatorem, inire cum Domitio consilia.*

Veniat] non venit tamen. nam accusavit Cœlium Atratinus Sempronius adolescens, ut in oratione patet.

Noster] primum, quia equitis R. filius, itidem ut Cicero: deinde, quia Ciceronis amantissimus: quod utriusque indicant epistolæ: cui etiam curam collocandæ filiæ Cicero dedit, cum iret in provinciam.

A gente Clodia] quia Clodia, P. Clodii soror, quæ Q. Metelli Celeris uxor fuerat, suas omnes ad oppugnandum Cœlium opes contulerat; ut oratio pro ipso demonstrat.

Tyriis] legationibus Tyro missis, ut de publicanis quererentur. nam inter provinciales & publicanos, ob nimis acerbam vectigalium exactionem, aut nimis lentam solutionem, numquam fere negotium non fuit.

Syriaci] quia Tyrus in Phœnicia: quæ Syriæ pars fuit.

Vexatus] a publicanis, in quos iniquissimus fuerat: quod indicant illa verba in oratione de provinciis: *Jam vero publicanos miseros tradidit in servitutem Judæis & Syris, nationibus natis servituti.* & quæ sequuntur. & Dio libro XXXIX. & hic in ep. II. lib. III.

Gabinius] qui Syriæ imperio proconsulari præfuerat, & hoc anno Romam decessit; ut infra, ep. I. l. 3.

Domitio] Ahenobarbo, cos.

Prosecuti] cur enim ei nnnc in senatu maledicerent, quem jam essent cum equis prosecuti? prosecuti autem quo? an, cum e provincia decederet? non puto. nimium enim multo post Gabinius ad urbem pervenit: ut simile veri vix esse videatur, tot ab eo menses in itinere esse consumptos. malo, cum iret in provinciam.

Noster Lamia] Veteres libri, *C. noster Lamia.* mallem, *L. noster Lamia*: ut intelligatur Lucius ille Ælius Lamia, princeps equestris ordinis, Ciceronis studiosissimus: de quo sic in epistola ad Brutum: *Clodianis temporibus, cum equestris ordinis princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio consule relegatus est.* & in oratione pro Sextio, & ubi non? Addo illud, *noster*, dici, ob eandem, quam M. Cœlius, caussam, quod, sicuti Cicero, equestri loco natus.

Equites Romani] horum in numero Lamiam, qui respondit Domitio, fuisse constat. quod *si eques* Lamia; quo jure in senatum venit? nam qui senatorium ordinem est adeptus; retinet ille quidem *equestria ornamenta, annulum, equum publicum*; e-

 ques

ques tamen, & equestris ordinis neque est, neque dicitur, sed senator, & ordinis senatorii. itaque legitur apud veteres, Pompejum, cum eques Romanus adhuc esset, triumphasse: quia scilicet non dum lectus esset in senatum. quo facto, desiit esse eques Romanus. ergo si eques Lamia; quod satis apparet; non ideo in senatu, quia senator esset; sed quia cum publicanis, qui erant omnes equites, quasi dux eorum ac princeps introierat. nam & in epistola, cujus proxime verba recitavi, princeps equestris ordinis dicitur fuisse Pisone & Gabinio cos. hic postea gessit ædilitatem curulem, ut in eadem est epistola: deindeque in senatum aditum habuit, non modo jure gesti magistratus, (hoc enim soli curules magistratus juris habebant, ut in libro de senatu docuimus) verum etiam quia proximis a censoribus, Appio & Pisone, lectum esse in senatu, verisimile est.

Dissolute enim judicatis] qui si vere judicaretis, condemnarentur ii, quibus, improbe agendo, simillimum se Vatinius præbet. sperat enim, impune sibi fore, quia dissolute judicatis. Diximus jam, hoc tempore lege Aurelia tres ordines judicasse, senatores, equites, tribunos ærarios.

Laudatis] reos: quos si absolvimus, quid reprehenditis, cum eosdem vos laudetis? Mos erat, ut auctoritate præditi viri reos in judicio, antequam sententiæ ferrentur, laudarent. pleni exemplorum libri.

Nox diremit] senatus haberi de nocte non poterat: ideoque reprehendit Cicero in Philippicis quædam senatusconsulta vespertina, quæ fecerat Antonius. testatur idem & Gellius.

Comitialibus] qui nulli dum fuerant. nam toto mense Feb. comitiales qui fuerunt, omnes post Quirinalia, nec plures quam sex fuisse constat. comitiales autem erant de numero fastorum. sed eodem tempore & *lege* & *cum populo* non agebatur: si lege, non cum populo: si cum populo, non lege. itaque licebat utrumque: sed eodem tempore utrumque non fiebat. senatus autem per eos dies non habebatur. contraque qui dies fasti non erant comitiales, iis & lege agi, & haberi senatum, idque eo die, confectis judiciis, licebat: factumque animadvertimus.

Interpretatur] Hinc, opinor, suam Appius hauriebat interpretationem. Vetabat Pupia lex, haberi senatum a XIIX. Kal. Febr. usque ad Kal. Febr. tametsi dies essent duo, fastus unus, alter nefastus, ille IV, hic III. Kal. Febr. quibus, nisi Pupia lege contra sancitum esset, senatus haberi potuisset. Cautum erat præterea eadem lege, ne, nisi perfectis aut rejectis legationibus, aliis de rebus senatus haberetur. sic igitur suam opinionem, aut voluntatem potius tueri Appius poterat. Quid vetat Pupia lex? id scilicet, haberi senatum mense Febr. nisi perfectis aut rejectis legationibus. ego legi pareo: senatum alia de re, præterquam perficiendarum legationum caussa, non habeo. ea quidem

dem me non impedit, quo minus audiendis legationibus senatum dem. nihil enim in ea tale scriptum est, sed hoc tantum, ne senatus habeatur, nisi perfectis aut rejectis legationibus. Cogi autem se Gabinia lege contendebat Appius: quia, cum in lege scriptum esset, ut quotidie senatus legationibus daretur mense Februario; verbum, *quotidie*, volebat omnes Februarii dies comprehendere, sive comitiales, quibus haberi senatus non poterat, sive non comitiales. Gabinius autem, *quotidie*, dixerat, non de omnibus plane diebus, sed de omnibus iis, qui quidem comitiales non essent; quia scilicet haberi senatum eo mense nulla omnino de re, nisi legationum caussa, volebat. nec dubito, quin leges hæ tribunitiæ fuerint: siquidem senatum quibusdam quasi condicionibus coërcent. de Pupiæ sententia locus exstat in epistola ad P. Lentulum.

Pag. 67. *Ita putantur*] non dixit: *detruduntur comitia*; sed *putantur detrudi*: quia certum non erat, an Appius, id quod affirmabat, habiturus esset senatum per omnes reliquos Februarii dies, etiam comitiales. nam si, ut solebat, non habuisset senatum Appius comitialibus Febr. diebus; habere comitia potuisset.

Comitia] quid hoc? an comitiorum tempus adest ante Quinctilem mensem? numquam sane, si ordine res agatur: sed extra ordinem interdum. nam, cum Appius ipse & Ahenobarbus consules essent creati ex interregno, creandorum prætorum cura ad eos pertinebat, qui proximo superiore anno designati non fuerant: eaque comitia consules in hoc usque tempus duxerant; sicuti Pompejus & Crassus anno proximo, cum ipsi creati essent consules ex interregno, comitia tamen rogandis prætoribus non ante mensem Majum habuerunt: quod supra ostendimus. his porro comitiis prætorem creatum M. Catonem, historiæ demonstrant; qui superiore anno iniquissimam, prælato homine improbo P. Vatinio, repulsam tulerat. Plutarchus, & alii.

His comitialibus] sex Februarii mensis diebus comitialibus, quibus habere senatum Appius constituerat.

Tribuni pl.] maxime C. Memmius, qui eum de repetundis postulavit. ep. 1. l. 3.

De Gabinio] ut ei, Syriam provinciam contra leges & jura sociorum administranti, imperium abrogetur.

Acturos] rogationem, ut puto, promulgaturos; sicuti biennio ante C. Cato tribunus pl. rogationem de abrogando Lentulo Spintheri imperio promulgaverat. epist. 3.

Callisthenem, & Philistum] quorum uterque scripserat historiam, Callisthenes Olinthius de rebus gestis Alexandri, Siculus Philistus cum aliis de rebus, tum de Dionysio Siciliæ tyranno.

Redeo] videtur accipiendum, pro, *venio*. nam neque in hac epistola, neque in superiore, pridie scripta, verbum ullum de Callisthene & Philisto. aut, *redeo*, quia cum cœpissem tuis litteris

ris respondere; jamque de nive atra & de Pompejo scripsissem; interposui non nulla de rebus urbanis. *redeo* igitur ad tuas litteras quibus cœperam respondere.

Volutatum] assidue versatum. nota tralatio. sic, *versari in libris*, verbo idem significante, paullo tamen, ut videtur, leniore.

Vulgare & notum negotium] locutus est in historia sua Callisthenes, non exquisite, quod ad sententias attinet, sed quo modo homines vulgo loquuntur, itidem ut aliquot Græci suis in libris.

Capitalis] gravis, capita rerum attingens.

De Dionysio] ubi de seniore Dionysio scribit, a quo in exsulium missus est. nam de juniore vix potuit, magnis districtus negotiis: de seniore spatium ei non defuit ad scribendum, cum circa Adriam otiosus exsularet.

Pusillus Thucydides] est enim densus, & brevis, & semper instans sibi Thucydides: quibus eum verbis designavit. Quinctilianus. *pusillus* autem, quia non ita multa scripserat, ut Thucydides.

Pag. 68. *Ipse etenim veterator*] delectat me Philistus non tam quia capitalis, creber, acutus, quam quod ipse Dionysius, de quo scribit, astutus in primis ac vafer est: quæ tum, narrante Philisto, tum ipsa per sese delectant.

Perfamiliaris] loquitur enim Philistus de familiarissimo suo, & ea tractat, quæ ipse novit optime omnium.

Ad historiam] scribendam; cum veteres jam legisset historicos.

Lupercalibus] cras. nam hæc epistola scripta est postridie idus, mane. & Lupercalibus item mane scribere cogitabat ea, quæ postridie idus essent acta.

Quam bellissime] quam potes jocundissime. *bellum* enim non ad pulchritudinem, sed ad jocunditatem & commoditatem quandam refertur: *ut bella puella*, non quæ forma, sed quæ elegantia, & quadam quasi gratia intuentium oculos tenet. sic epistolam *bellam* vocat ad Atticum l. IV. ep. 6. quam scripserat ad Lucceium; quod esset historiarum pigmentis haud paullo, quam ceteræ epistolæ, nitidior atque ornatior.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XIV.

Iisdem consulibus.

Pag. 68. *Discessu nostro*] statim postquam a te discessi.

Arimino] primo provinciæ Cæsaris oppido: cum ad Cæsarem Quinctus proficisceretur.

Ceterum] alioqui, ceteroqui.

Dixe-

Dixeram] non quæ dixeram me scribere, sed quæ me esse scripturum ostenderam. libros enim *de republica*, quos intelligit, aggressus est scribere in Cumano, ut ep. 5. l. 3. quos libros, magno litterarum detrimento, temporum extinxit injuria, uno Scipionis excepto somnio; quod, quasi scalmum ex naufragio, fortuna servavit.

Spissum] difficile. nota significatio. ut fam. libr. 2. epist. x.

Adjungendis] ad amicitiam: ut in posterum non modo reip. verum etiam ipse mihi consulam, salutis pariter & dignitatis habita ratione. quod antea minus a me factum, nunc, meo malo doctus, te mandante corrigam.

Discat]. Tyrannione docente. epist. 4.

Otio] quo in urbe egebat, judiciis reique publicæ procuratione districtus.

Minore] scio, recte dictum *Minore*; ut *a majore*, Quincti filio, distinguatur; quo modo & Africanus major, Africanus minor; Cato major, Cato minor: moveor tamen suspicione non nulla, ne glossema fuerit, additum ad illud, *nostro*. cur enim, cum ad fratrem scribat, adjungat, *minore*? non ne satis filium suum ab illius filio distinxit, cum de suo dixit, *nostro*; de illo, *tuum*?

Pag. 69. *Digeras*, *persequare*, *conficias*,] *digerere*, prudentiæ est; *persequi*, diligentiæ; *conficere*, constantiæ: quibus tribus virtutibus officium ejus, cui aliquid mandatum est, omne continetur.

Splendidum] refertur ad divitias. nec desunt exempla.

Liberalitate] officiis, humanitate.

Tribunus mil.] tribunorum mil. duo genera Pedianus facit, *Rufulos*, in exercitu creatos; & *comitiatos*, Romæ.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ XV.

Iisdem consulibus.

Pag. 69. B*Landenonæ*] mendosum locum existimo, &, cur existimem, caussas tres habeo, sententiam, geographiam, veteres libros: sententiam, quia, cum dicat Cicero, *deinde alteras*, dictio, *deinde*, satis indicat non eum eodem die accepisse litteras & Placentiæ datas & Blandenonæ. itaque in, *Blandenonæ*, dies, quo accepit eas litteras, videtur inesse, sed mendo perturbata latet. geographia me monet, quia loci hujus mentionem, ut geographos omnes evolverim, nullam tamen inveni. suspicionem augent libri veteres, quia dissentiunt ab impressis. nam in eo, qui Bessarionis fuit, video scriptum, Blandenovæ,

denovæ. quibus iisdem adducor caussis, ut hominis egregie docti &, quod hodie perquam rarum est, in judicio litterarum elegantissimi; Caroli Sigonii conjecturam sequar; mirificeque laudem: is, cum inter nos: ut fere pro nostra conjunctione & familiaritate quotidie solemus: hoc de loco satis multis verbis collocuti essemus; rediit ad me postridie; quasi thesauro invento; lætissimus; dixitque se non magna mutatione excogitasse quiddam; quod a me probatum iri existimaret: quid, inquam? tum ille, hoc: pro, *Blandenone*, reponendum puto, *laude*, *nomis*. ut duas se dicat Cicero epistolas accepisse; unam IV. non. Jun. Placentiæ datam; alteram *nonis*; cum Cæsaris litteris, *laude*. quod oppidum adhuc esse Placentiæ proximum; qua transeundum erat Quincto in Galliam proficiscenti; nemo nescit. gratulatus homini amicissimo properavi ad scribendum; cum ejus sententiam, ut ceteri quoque judicare possint, qui tamen haud sane dubito quin mecum sentientes eam probent, notam ac testatam esse vellem.

Ista] honores, quos, ut scribis, a me exspectare Cæsar vult.

Vim magnam] magnopere valent ad gloriam: ejusmodi sunt, ut ornare me summa gloria summaque dignitate possint.

Quem nosti] quem scis mentiri non solere.

Pag. 70. *Veteris amoris*] Clodianis temporibus interrupti: cum Cæsar nimia Ciceronis libertate commotus, quia in defensione C. Antonii quædam adversus potentes injecerat, P. Clodium statim ad plebem traduxit.

Nostrum poema] de quo infra ep. I. libri III.

Quadrigis poeticis] dicturus videbatur, *tum equis*, *tum velis*: sed per jocum, pro *velis*, intulit, *quadrigis*: quæ & ipsæ ad celeritatem faciunt. addidit autem, *poeticis*; ut cum aliis rebus, tum vero scriptis versibus, gratiam se a Cæsare initurum ostenderet. ita nec ab instituta tralatione discessit: nam tum equis tum quadrigis curritur: &, quid in Cæsare colendo sui consilii esset, aperuit.

Ardenti quidem studio] faciam quod me mones: mea studia in Cæsarem omnia conferam. sic ad Trebatium in Topicis: *Verecunde tu quidem, sed ut te ardere studio cernerem*. & in epistola ad Lucceium: *Ardeo cupiditate*. Voluntatis enim augetur significatio, cum &, *studium*, dicimus; & ad, *studium*, epithetum adjungimus; & epitheto ipso utimur tralato, & ab ejusmodi re tralato, quæ maxime omnium rerum nota sit, maximamque omnium vim habeat: cujusmodi *est ignis*.

Pag. 71. *Britanniam*] res, quas in Britannia geretis. jam enim, ut opinor, erant in itinere, Britanniam cogitantes. nam in epistola ad Atticum, mense Quinctili data, suspicari se dicit, *Quinctum esse in Britannia*.

Coloribus tuis] ornamentis. ut Britannia sit poematis materia, or-

ornamenta Quincti, ars Marci. satis enim bonus poeta Quinctus: aut, si minus, hoc tamen illi a fratre tribuitur.

Penicillo meo] ut ornamentis, quibus quasi coloribus rem illustrare possem, a te sumptis, eum deinde ordinem, quem probavero, ipse adhibeam.

Iste] Cæsar. ut ejus absentis dignitatem, cum res postulet, Romæ tuear atque augeam.

Tuus amor] tua caussa, qui legati locum apud Cæsarem obtines, fortasse vel in summis occupationibus poema, de rebus a Cæsare gestis in Britannia, conficiam.

Miserim] commendatum iis litteris, quæ ep. fam. lib. VII. leguntur.

Vadimonium concipere] certa erat verborum formula, qua sese invicem vadarentur; quibus verbis cum essent usi, *conceptum vadimonium* dicebatur. Jocus Cæsaris in eo fuit: Opportune Ciceronem fecisse, qui Trebatium jurisconsultum ad se misisset: nam antea in universa prætoria cohorte, totoque comitatu suo neminem fuisse, qui, cum litigare vellet, quibus verbis vadaretur, teneret: itaque esse, cur ea de re Ciceroni plurimum deberet. erat enim Cæsaris provincia, ut aliæ quoque, non imperii solum verum etiam jurisdictionis. & quoniam in munere jurisconsulti hoc erat minimum & levissimum, docere quibus inter se litigantes vadari verbis, alter alterum, deberent, ne in concipiendo vadimonio peccatum irritam vadationem faceret: scripserat Cæsar se Ciceroni gratias agere: cum tamen, qua de re gratias agat, esse minimam significet.

Curtio] quem rogatione ac testimonio Quincti diligebat. ep. I. lib. III.

Domitius] Ahenobarbus, cos.

Rogatus] ut ad Cæsarem scriberet de tribunatu mil. Curtio mandando. quod si fecissem, derideri se putasset; qui peterem ab eo, ut inimicissimo suo Curtii honorem commendaret. Dissidebat autem capitali odio cum Cæsare Domitius. nam & prætor in senatu retulerat, ut, quæ Cæsar anno proximo consul egisset, cognoscerentur; & biennio post, consulatus candidatus cum palam minaretur, consulem se effecturum, quod prætor nequisset, ademptumque ei exercitus, coitione Cæsaris, Pompeji, & Crassi dejectus erat consulatu.

Ne tribunum mil. quidem] nedum legatos; qui tribunis mil. in castris honore præstabant.

Facere] non, *Romæ*, *comitiis*; quibus, credibile non est, non potuisse studio consulis tribunum mil. fieri; sed in exercitu Cæsaris, commendatione sua; quia scilicet neminem omnino ei, ullius honoris caussa, commendaret. Aut, *Facere*, omnino non facere: cum tamen consul esset. consulum enim & dictorum primis reip. temporibus hæc fuerant beneficia, postea tribunatus mil.

mil. dari per populum cœptus est: postremo alios in exercitu imperator, alios Romæ populus creavit. Livius, Pedianus.

Isse] non, in consulatu. nimis enim præter dignitatem atque omnino absurdum, consulem, maximarum rerum procuratione districtum, discedere paullo longius ab urbe, ut tribunatum mil. peteret a proconsule. intelligo igitur de itione illa, de qua epist. 6. Lentulo & Philippo cos. ante annum.

Auricula infima] neque acrem in tuenda rep. neque acerbum in persequendis inimicis, sed in utroque ita remissum ac lenem, ut, quod dici solet, *mollior auricula infima* videri possim. Monuerat Quinctus, ut ex illo doctus rationem haberet aliquando etiam salutis. hinc illud epistola 13. *Tua mandata persequar* &c.

Comitiorum] quæ tamen hoc anno habita non sunt. nam Calvinus & Messalla, qui sequenti anno consulatum gesserunt, ex interregno creati.

Suspicio] postea non suspicio, verum etiam sermo fuit multus. nam ad Atticum, *res*, inquit, *fluit ad interregnum; & est non nullus odor dictaturæ, sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos judices adjuvit*. Quibus verbis, de Pompeji dictatura hoc tempore homines loqui significat. quod in commentario diximus.

Otium forense] infrequens a judiciis forum: judicia frigent.

Senescentis] non quia desit, quod homines in foro agant: sed omnium rerum tædio civitas languet. Videtur hoc dicere: Cum publicis in rebus male agatur, serpit idem morbus etiam ad privata, & omnino nihil curatur.

Quam nosmet ipsi] quia, ne offendam eos, qui principes in republica sunt, quorum a voluntate neque tu dissentire me vis, neque meorum temporum acerba recordatio patitur; cogor de recto illo meæ mentis cursu paullulum deflectere. atque hoc ipsum tamen ita facio, ut me boni viri, tamquam patriæ parum amantem civem, reprehendere non possint. iis igitur satisfacio: mihi non item: quia summum illud jus, simplex, inquam, illa, mihi antea proposita tuendæ reip. ratio, temporis caussa non plane in meis sententiis defenditur.

„ *Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται*
„ *Miseranda belli talia condicio efficit.*

senarius Euripidis in tragœdia Ἱκέτιδες. Hæc, inquit, facimus ærumnarum metu. nimis enim magna mercede didicimus, quam, potentibus adversari, non sit tutum.

Calamo] quattuor fit argumentis, ut hoc putem esse principium epistolæ: primum, quod fortasse paullo infirmius videbitur; ut homines diversa sentiunt: quod hæc verba initium potius epistolæ, quam epistolæ partis, redolent: deinde quod apparet, re-

respondisse jam Ciceronem duabus Quincti epistolis, Placentiæ & Blandenone datis: nunc autem uni respondet brevi epistolæ, quam post illas accepit. præterea, si una esset epistola, bis ageret de rebus Romanis. nam & dixit jam: *Res Romanæ sic se habebant. Erat nonnulla spes comitiorum*, &c. infra vero rursus: *Ambitus redit immanis*, itaque, eadem esse repetita, credibile non est. postremo, quod hanc scriptam esse constat post idus Quinctiles; cum inferat: *Idibus Quinctilibus fenus fuit ZZ* ex Z. at superiora paullo post IV. nonas Junias: ut ipse in prima epistolæ parte significat.

Temperato] ita concinnato, ut ad pingendas litteras aptissimum sit.

Dentata] apri, aut etiam equi dente lævata. quod item nunc, ubi quid scribimus accuratius, facere solemus, ad inæqualitatem chartæ complanandam; quo calamus quasi currat expeditius. Nec vero mirari satis possum, quid Erasmo venerit in mentem hoc in loco interpretari, *charta dentata*, pro acerba & iracunde scripta: cum de litteris agi, quæ bono calamo, temperato atramento, levi ac polita charta commodius formantur, illa verba demonstrent: *Scribis, te meas litteras superiores vix legere potuisse*: & illa: *Hoc facio semper, ut, quicumque calamus in manus venerit, eo sic utar, tamquam bono.* Verum hoc, itemque alia, tum in adagiis, tum alibi non satis recte aut explanata, aut de Græcis conversa, homini erudito, ac de litteris, quantum præstare potuit, bene merito largiamur.

Pag. 72. *Nihil eorum*] non ob eas, quas tu suspicaris, caussas, parum perspicue scripsi.

Πραγματικῶς] more hominis in usu rerum versati: qui te non segniter, sed sine ulla mora, si res exigat, ad me volaturum confirmes.

Genuine] vere, sine arte, eo quo natura genuit modo inde enim videtur, *Genuine*, ductum.

Id est, utrum voles] mendi labes satis manifesta: nec eluere conabor: cum ab impressis libris minimum dissentiant scripti. tantum enim pro, *commorere*, Bessarionis liber habet, *commoneres*. quod si pro, *dixerimus*, legeretur, *dixerim*, *an*: nihil, opinor, superesset vitii, hoc ordine: *Id est, utrum voles, (ut dixerim) an, ad expediendum te, si caussa sit, commorere.* nec esset obscura sententia. nam, *voles*, *μεταφορικῶς* usurpatum pro *celeriter venias*, &, *commorere* opponuntur. sed minus audeo, propter incertas maximeque fallaces conjecturæ vias.

Domus] a multis celebrata. ep. 5. & ad Atticum epist. 22. lib. 2.

Forum] in quo, caussis agendis, amicitias & clientelas mihi comparo.

Theatri] malis civibus, theatrum ingredientibus, plausum aut

nullum, aut clamore & sibilis dissonum populus dabat; bonis & in republica præstantibus magnum & æquabilem. ergo, quam quisque aut invisus aut carus esset populo, theatrum significabat. ad Atticum epist. 19. lib. 2. & 15. lib. 4.

Neque laborant] hic alii fortasse viderint acutius: ego plane τυφλώττω. obscuratur enim mendo sententia: neque est ut aut ex ingenio meo locum illustrare possim. tantum, pro, *neque*, *nec* habet liber Bessarionis.

Pag. 73. *Amentis*] P. Clodii.

Illud malo] quod scribis: ut istic, si caussa sit, commorere.

Quod putas] putas enim e re tua esse, te istic commorari.

Magis etiam illi] volo equidem te istic manere tua caussa, sed mea etiam magis; qui, quod ad me pertinet, magni faciam. malo enim ἀμφιλαφίαν illam tuam, & expectationem debitorum tuorum, quam adventum tuum. Nec vero dubitandum est, quin hæ duæ dictiones, ἀμφιλαφίαν, *&* *exspectationem*, Ciceronis rem utraque significet; cum dixerit proxime: *Etenim magni æstimo me.* ἀμφιλαφίαν expono, *cautionem utroque spectantem, ad dignitatem & salutem*: cujus magnam partem in eo positam intelligo, si diutius apud Cæsarem sis, eumque tibi tuis officiis ac studiis quammaxime devincias.

Illam tuam] quo tu vocabulo *cautionem* significare, duabus rebus utilem, consuesti. erat enim hæc Quincto familiaris dictio. itaque supra, ep. 5. ἀμφιλαφίαν, inquit, *illam tuam, quam tu soles dicere, bono modo desidero.*

Exspectationem] exspectabo, ut, quæ mihi debes, ea persolvas, ut, quæ te facturum pollicitus es, re præstes. quæ vero hæc? ut Quinctus Cæsarem ipsum, primum scilicet, deinde ut alios quoque & de cohorte, & de exercitu Cæsaris, qui Romæ aliquid possent, Marco fratri benevolentia conjungeret: quo præsidiis firmioribus contra Clodii furorem in urbe muniretur. id autem Quinctus fratri mandanti ac roganti promiserat. huc enim spectare illud puto, quod supra dixit, *mea mandata digeras, persequare, conficias.* Nec, in castris quid aliud navare Quinctus pro fratre posset, intelligo.

Expeditis] a molestia: nisi quid eveniat, quod impedimento sit: si per inimicos atque invidos licebit. itaque, præsidii caussa, de retinenda, atque adeo augenda Cæsaris gratia plurimum laborare debemus. quod cum ita sit; potius tibi de mansione, quam de discessu, vides esse cogitandum.

Quo, nostris quidem moribus] & parva sunt, nec tamen nobis admodum curanda. quo enim? cum moribus nostris, temperatis scilicet & ad frugalitatem compositis, satis ea sint, quæ jam habemus. valeamus modo, & liceat nobis esse expeditis.

Ambitus redit] redibat enim singulis annis ambitus comitiorum tem-

tempore, sed *immanis*, ut hoc anno, numquam. *Ardet ambitus*, hac de re dixit in ep. ad Att. ep. 15. l. 4.

Pag. 74. *Fœnus fuit ZZ ex Z*] duplicatum fœnoris quæstum significat; idque ipsum scribit ad Atticum ep. 15. l. 4. his verbis, *fœnus ex triente idibus Quinctilibus factum erat bessibus*; hoc est, ut, centenis acceptis, octoni pro annuo fœnore penderentur. atque his notis, *ZZ, duos trientes*, qui *bes* est, significari oportet: ut hic locus cum illo ad Atticum, jam recitato, congruat; & hoc dicatur, *ex uno triente fœnus esse factum duobus*; hoc est, *ex triente bessibus*. quod idem est. nam bes duo trientes fuit. Bessarionis liber habet, *fuit & ex*, pro, *fuit ZZ ex Z*. utrumque suspicor esse mendosum. & forte sincerum hoc. *Fuit S-S-ex S*. aut hoc: *Fuit* 33. *ex* 3. nam hac nota, 3, *triens* indicabatur, qui bessis dimidium est: item hac S. ut, sive *S-S* reponas, quibus notis bessem significari Demetrius tradit; sive 33, quas Demetrius idem videtur probare, siquidem unam 3. pro triente ponit; ab antiqua numerorum ratione nihil recedas. quia tamen in hac emendandi ratione eas maxime conjecturas approbo, quæ quamminimum a depravatis veræ scripturæ vestigiis recedere videntur; fit ut in hanc libentius inclinem, *fuit* 33 *ex* 3, quam in illam, *Fuit S ex-S-S-*. quam enim facile ex 33 fieri potuerit *ZZ*, id est e duabus minusculis litteris eædem majusculæ, omnes, ut opinor, intelligunt.

Coitione Memmii] hac; ut ipse & suus competitor Domitius Calvinus HS quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti; nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset; & duos consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset. ad Att. ep. 18. l. 4.

Quam cum Domitio] forte, *cum Cn. Domitio*.

Scaurus] M. Æmilius, ejus filius, qui princeps senatus fuit, Sullæ dictatoris vitricus: pro quo exstat mutilata Ciceronis oratio.

Unum vincere] malim, *enuntiare*; ut subaudiatur, *coitionem*: & sit, *enuntiare*, pro *enunciabat*.

Messalla] consularis candidatus. quattuor nominantur in epistola ad Atticum, *Memmius*, *Domitius*, *Scaurus*, *Messalla*.

Flaccet] languet, ob consulum coitionem, & Pompeji studium in Scaurum. ad Att. ep. 15. l. 4.

Ὑπερβολάς] quæ supra veritatem sint.

HS centies] aureorum scutatorum nostratis pecuniæ trecenta millia.

In prærogativa] ea centuria, quæ prima de consulatu mandando suffragium ferret; inde dicta, quod *prima rogaretur*, quos vellet consules fieri. eodemque nomine prima quoque tribus ap-

pellabatur. ac possit hic , *prærogativa* , non tam ad centuriam , quam ad tribum, referri: siquidem binis comitiis, centuriatis, & tributis, consules creabantur. qua tota de re in libro de comitiis.

Pronuntiare] polliceri se daturos, si eam tulerint, ejusque suffragiis consules fuerint designati. verbum in hoc genere proprium. itaque ad Att. ep. 14. l. 1. *Qui nummos in tribu pronuntiaverit.* quo loco, cum de comitiis consularibus agatur, *tribu* tamen dixit, non centuria. ut hic fortasse , *prærogativa* , de tribu dictum sit, non de centuria.

Res ardet invidia] hac ipsa de re, *consules flagrant invidia*, dixit in epist. ad Atticum ep. 18. l. 4.

HS quingenis] quingenis millibus, quæ efficiunt monetæ nostratis aureorum scutatorum quindecim millia.

Catonem] qui prætor tunc erat.

Ejus arbitratu] quo modo ille voluisset, sine fuco videlicet ac fallaciis, more majorum. fuit enim Cato, quod omnes historiæ clamant, bonarum legum omnisque juris accerrimus observator.

Contra fecisset] tribunatum pl. contra præscriptum illius petiisset.

Condemnaretur] amitteret quod apud illum pecuniæ deposuisset: idque aliis, qui sine arte mala petiissent, tribueretur. & condemnatum ex iis nescio quem ab ipso Catone, legimus apud Plutarchum in ejus vita.

Gratuita] non corrupta nummis, recte atque ordine habita. ad Atticum lib. IV. ep. 16.

Leges] quia Cato unus eos ad veterem petendi consuetudinem, & tamquam intra girum rationis revocaverit. quod neque legum neque judicum metus solet efficere.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XVI.

Iisdem consulibus.

Pag. 75. NE *paullum otii*] videtur quibusdam tamquam integumentis velata sententia; sed ostendetur hoc modo: Cum a me librarii manu litteras acceperis, ne quidquam otii me habuisse judicato; cum autem mea, ne nullum. cum utor, inquit, librarii manu, prorsus otii nihil habeo; cum autem mea, non nihil. hoc significari, demonstratur infra, initio II. epistolæ libri III. sic enim ibi est: *Occupationum mearum signum tibi sit librarii manus.* caussamque subscribit occupationis hanc: *Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo.* Hanc igitur epistolam librarii manu scripsit Cicero: nam infert hic quoque: *Sic habeto*,

num-

numquam me a caussis & judiciis districtiorem fuisse. In epistola etiam ad Atticum 15. lib. 4. *signum ait esse occupationum librarii manum.*

Nullum] subaudi, *ne*; quod proxime antecedit: ut sit: *Ne nullam otium.*

Gravissimo] cum a morbis timendum est maxime.

Praescribis] ut amicorum clientumque copia muniamur.

Spei, aut cogitationi] putatis enim vos ea, quæ speratis aut cogitatis, facilius posse consequi, si ego in forensi labore pergam. nihil enim ad comparandas amicitias, hominumque studia colligenda magis accommodatum.

Vestra] tui, & Cæsaris, qui me hunc laborem etiam sua caussa sustinere vult. Supra dixit, se rogatum a Cæsare, ut Romæ maneret. quod facit ad hanc sententiam. ep. 14.

Praesertim] eo libentius operam dabo, ut aut spei, aut cogitationi vestræ defuisse ne videar; quod simul ipse mihi, hoc labore perferendo, optime consulam. multum enim gratiæ, multum inde colligam dignitatis.

Difficilius] hæc ferre. fuerit, inquit, id cum aliqua difficultate: præmii tamen hoc erit, magna gratia, magna dignitas. Videbitur, quod subjungam, fortasse humilius: sed, hæc humilia non contemnendo, veteres illi Romani summam eloquentiæ laudem sunt adepti. Nomina quædam sunt, quæ *secunda comparationis* appellant grammatici: quæ cum ideo fuerint inventa, ut augerent; minus tamen significant, quam ea, quæ iidem *positiva* dicunt. itaque illud Virgilianum,

„ *Tristior, & lacrymis oculos suffusa rubentes,*

exponit Servius hoc modo: *Tristior*, minus est, quam *tristis*. exempla sunt cum apud hunc nostrum, tum apud alios ejusdem scriptores ætatis innumerabilia. non igitur adductus feci nulla caussa, quod, *difficilius* exposui, *cum aliqua difficultate.*

Ab iis ipsis] L. Domitio Ahenobarbo, hujus anni consule; M. Porcio Catone, prætore; M. Calpurnio Bibulo consulari. hos enim maxime designat, acerrimos Cæsaris inimicos.

Ab aequis] quorum æquus in utramque partem animus est, neque studio in Cæsarem affectus, neque odio. itaque nos cum Cæsare conjunctos neque dolent, neque lætantur.

Propensis in hanc partem] Cæsaris causa cupientibus. tria nominavit hominum genera; qui Cæsarem oderant; qui nec oderant, nec amabant; qui amabant.

Excolamur] nusquam hac sententia usurpatum, quod meminerim, hoc verbum inveni. venit in mentem, cum sequatur, *& amemur*, scriptum forte a Cicerone, *& colamur, & amemur.*

Non fui] cum quidem hæc scripsit. postea vero fuit: quod

 ipse

ipse ad Atticum scribit, lib. 4 ep. 16.

Præsidio] nisi plures videam esse, qui mecum sentiant, quam qui contra: ut, si quem offenderit mea sententia, socios atque adjutores, ubi tempus ferat, multos habeam.

Drusus] Liviæ gentis, plebeiæ; accusatus a Lucretio. ad Att. lib. 4. ep. 15. pater fortasse Liviæ, quam Augustus a marito Ti. Claudio Nerone prægnantem abduxit: quæ alteri quoque filiorum Drusi cognomen imposuit.

Prævaricatione] *prævaricatur*, qui susceptam caussam bona fide non agit.

Tribunis ærariis] dixi jam, de tribus ordinibus judicantibus unum fuisse tribunos ærarios.

In summa] ergo, quod ante posui, omnium ordinum sententiæ numerabantur, & ex majore parte vel absolvebatur, vel condemnabatur reus. ordinum ipsorum ratio non habebatur. poterat enim usu venire, ut a duobus ordinibus condemnatus, ex universo tamen sententiarum numero absolveretur.

Ego eodem die] miram diligentiam, mirum amorem erga fratrem. absoluto Druso, quem ipse defenderat, reversus domum hæc scripsit, rediturus post meridiem in forum ad agendam Vatinii caussam. dictio tamen, *ego*, non a Cicerone defensum Drusum, sed ab alio patrono, videtur indicare. ac fieri potest, ut bis accusatus fuerit Drusus, & eum Cicero de uno crimine, de altero, de prævaricatione scilicet, alter defenderit. locus certe ad Atticum ille, *deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum*; actas a Cicerone tum Drusi, tum Scauri caussas demonstrat.

Post meridiem] bis igitur in die judicia, ante meridiem, & post. de iis, qui ante meridiem, non puto opus esse, ut probetur exemplis. patet ipsa per se res. post meridiem, vocari possit in dubium: sed illud in Verrem dubitandi caussam aufert. *Nonæ sunt hodie Sextiles: hora nona convenire cœpistis.* & illud in ep. Cœlii: *Caussas agit, sed raro post meridiem.*

Vatinium] defendit eum, cum accusasset antea, Cicero Cæsaris caussa: cujus amicitiam quanti æstimet, hæ ad fratrem epistolæ declarant. nam Vatinius Cæsare consule tribunatum pl. gesserat, legesque pro Cæsaris potentia multas, invito senatu, collegis etiam suis de cælo servantibus, pertulerat. itaque magnis sibi Cæsarem beneficiis obstrinxerat. nec Cæsar ei, nec Cæsari Cicero, cujus in exercitu legatus erat Quinctus, poterat opem suam denegare. Est etiam illud in epistola ad Marium, ad hanc quasi levitatem in hominibus iisdem & accusandis & defendendis excusandam: *Cogor non numquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere.* Hujus defensionis meminit Pedianus in commentarii prooemio pro Scauro, & ipse Vatinius in epistola.

Pag. 76. *Facilis*] non deest, quod pro illo dicam. Fore significat,

ficat, ut defensionem facile sequatur absolutio.

Rejecta] non tamen futura. usque enim eo producta res est, ut consules, non habitis comitiis, magistratu abierint.

Scauri] de repetundis accusati. Asconius.

Statim] falso putat. non enim statim, sed aliquot post diebus acta Scauri caussa est, IV. nonas Sept. ut Pedianus docet. hanc autem epistolam ante Septembrem esse datam, inde conjicio, quod proxime dixit: *Comitia in mensem Septembrem rejecta sunt.*

Exercebitur] apud M. Catonem prætorem. is enim de repetundis quæsivit. Asconius, & hic ep. 8. l. 3.

Non deerimus] ita non defuit, ut Scaurus, eo defendente, sit absolutus.

Συνδείπνους σοφοκλέους] videtur Quinctus in parte epistolæ narrasse, quid sibi contigerit in quodam convivio, perquam simili cenæ in Sophoclis fabula descriptæ. nam si conversam in latinum a Quincto Sophoclis fabulam, quæ σύνδειπνοι inscriberetur, significaret; numquam, opinor, fratris ingenium tam rustice notasset, ut diceret quod subjungit, *nullo modo probavi.*

Actum] in eo convivio tu quidem egisti, quod eam fabellam repræsentaret: ego tamen nullo modo probavi.

De Britannia] de adventu nostro in Britanniam.

Reliqua] de bello, quod in ea geretis.

Exspectatione] de successu belli nihil timeo: futurum auguror, quod opto; eaque me solicitat exspectatio.

Adjuvabo] in Britannica historia componenda.

Quos rogas,] rogabat Quinctus fratrem, ut versus, quibus ipse ad opus Britannicum pro suis uteretur, scriberet. id infra satis patet ep. 1. l. 3. ex illis verbis: *Tibi, quod rogas, quoniam ipsi fontes jam sitiunt, si quid habebo spatii, scribam.* & ep. 4. l. 3. ex illis: *De versibus, quos tibi a me scribi vis.*

Γλαυκ' εἰς Ἀθήνας] cum ipse versus optime facias. Infra dixit, eadem sententia: *Quoniam ipsi fontes jam sitiunt.* proverbium iis de rebus usurpatum, quas ad eos, qui abundant, mittimus. noctua enim suos nummos Athenienses signabant.

Primum librum] forte intelligit tres libros, quos a se de suis temporibus conscriptos in epistola memorat ad P. Lentulum: aut tres de consulatu, de quibus ad Atticum ep. 1. l. 2. aut poëma illud, de quo ad eundem ep. 8. l. 4.

Ῥαθυμότερα] minus accurata, scripta indiligentius, videri sibi ajebat.

Aut res, aut χαρακτὴρ] aut argumentum, aut meum scribendi genus. quod uno verbo se non posse satis exprimere significat, quia χαρακτὴρ, dicit.

Quod vereare:] si verum dixeris. ego enim nihil me, quam antea, minoris æstimabo.

Φιλαλήθως] cum studio veritatis, vere & ex animo.



IN EPISTOLARUM M. TULLII CICERONIS AD QUINTUM FRATREM LIBRUM III. PAULLI MANUTII COMMENTARIUS.

EXPLANATIO EPISTOLÆ I.

L. Domitio Ahenobarbo,
Ap. Claudio Pulchro, COS.

Pag. 77.  *Mœnitate fluminis*] de Fibreno flumine intelligit: *quo nihil amœnius, nihil frigidius*: ut in libro II. de legibus.

Refeci] recreavi, collegi, caloribus debilitatum atque afflictum.

Ludorum] Romanorum: qui pridie nonas

nas Sept. commissi, per novem continuos dies in Palatio, ante Matris magnæ templum ab ædilibus cur. fiebant: rursusque, biduo intermissi, per quinque dies in circo. hoc & Kalendarium vetus Romanum, & alia veterum monumenta declarant.

Tribulibus commendatis] ut eis meo nomine ad spectandos ludos locum daret. moris enim erat, ut amicis & tribulibus & in circo & in foro locus ad spectandum daretur. ad Atticum epist. 1. lib. 2. & pro Murena. *Tribules* autem intellige non eos tantum, qui Romæ domicilium haberent, verum & municipes, & si qui præterea cives in Italia habitarent: quos interdum ad urbem venisse ludorum spectandorum caussa, simile veri est.

Arcano] Quincti prædio: de quo epist. 3. & 9.

Messidium cum Philoxeno] redemptores erant aquæ deducendæ, quod in hac ipsa epistola, infra, videtur posse conjici.

Herum] villicum in Arcano, ut Nicephorum in Laterio, quem infra nominat.

Pag. 78. *Manliano*] fundo, in quo villam Diphilus architectus ædificabat Quincto. Nec dubito, quin & Manlianum, & Fufidianum, & Bovilianum prædia fuerint in Arcano, non ab Arcano sejuncta. nam in epistola hujus lib. III. cum argumentum hujus epistolæ breviter attingit, Arcanum & Laterium dumtaxat nominat, omissis Manliano, Fufidiano, Boviliano, quasi Arcano comprehensis.

Diphilo] se ipso: erat enim natura tardus. Diphilus, inquit, se ipsum tarditate superavit.

Aviarium] locum in villa, ubi aves alerentur, aliæ oblectationis, aliæ cibi caussa.

Pavimentata porticus] pulcherrimo strata pavimento. erant autem apud veteres & ex marmore magnifica in primis pavimenta, & ex emblemate vermiculato, hoc est ex opere tessellato: cujusmodi nonnulla hodieque visuntur in templis adspectu perquam jucunda.

Tota patet] quod antea, dum ædificaretur, instrumentis fabrilibus impedita, tota non pateret.

Columnæ] circa porticum: quæ rudes & impolitæ dum erant, speciem aut dignitatem habere nullam poterant.

Totum in eo est] tanti est, ut in eo sint omnia. sic locutus est ad Att. lib. v. epist. 20.

Continuum] ne incrustatio rimas agat, ne vitium faciat.

Ejusmodi membra] quæ atriolum nisi habeat quasi membra corpori adjuncta, non belle positum videbitur.

Vel honestate testudinis] ego mehercule huic loco, tamquam ulceri corrupto, manus admovere vix audeo: indicabo tamen, quæ potuerit sententia Ciceronis esse: quo diligentius attendatur, si quid, quod ad eam videatur accedere, in antiquis libris aliquando reperietur. una enim me litterula, in magna pertur-

batione errantem, sæpe ad correctionem, quasi via demonstrata, perduxit. hoc igitur fortasse Cicero sensit. *Nunc hoc vel, in æstate, testudinis, vel, hieme, æstivum locum obtinebit.* ut hoc dicat. *Verum* (nam sæpe, *nunc*, pro *verum*, Cicero usurpat: quod item Græci faciunt) *hoc*, id est, *quo modo porticus nunc est, in æstate loco testudinis erit; hieme vero, quod habent æstiva loca, id obtinebit.* optamus autem in æstate algorem, hieme teporem, & algorem quærentes, fornicatis cameris, quæ vocantur *testudines*, libenter utimur: quod æstate fit. teporem vero quia non habent nisi, quæ sol adversus diu spectat, loca, ea nos per hiemem tenent. porticus igitur, ut est nunc, id habebit commodi, quod in æstate testudines, hieme æstiva loca.

Pag. 79. *Assa*] videntur hic *assa* pro hypocaustro, qui locus in balneariis ad sudandum fuit, usurpari.

Apodyterii] ubi vestes ituri balnea deponebant. ἀπὸ τῦ ἀποδύειν.

Sub tectum cubiculi] Antiqui libri, quos viderim, *subjectum cubiculi.* placeret, *subjectum cubiculis.* inferior enim eorum cubiculorum, quæ erant in villa Quincti, contignatio vapore petebatur: quod incendii caussam præbere potuit.

Hibernum] ædificantur in amplis ædibus quædam ad æstiva anni tempora, quædam ad hiberna.

Probavi] sicuti tu fieri mandaras.

Perpendiculo, & linea] *perpendiculo*, ut rectas; *linea*, ut e regione autem columnæ sunt, cum altera alteri ex adverso respondet.

Cæsius] villicus Quincti, aut certe procurator.

Proximis nunciis] quem tibi a me emptum proximis nunciis significaveram.

HS CCCIↃↃↃ ∞] tria millia (ut ad nostratis pecuniæ rationem numeremus) aureorum scutatorum. Sed illa nota, ∞, videtur abundare, cum assium centum millia sic scribantur, CCCIↃↃↃ.

Quod melius intelligo] nam de irrigatione, qui hujus generis non intelligens magnopere sim, haud ita affirmarim.

Salientibus] aquis, quæ sua sponte saliant: quam permultis locis aquam profluentem, & eam uberem, proxime appellavit; in ultima vero hujus libri epistola *Nilum*, ut puto, a similitudine fluminis hinc inde in mare profluentis, nominavit. distinguuntur autem *salientes* ab iis, quæ oriendo cadunt, non saliunt: ut planis in locis saliant, de præcipitibus cadant.

Additis] ad suavitatem villæ accedet ea, quam piscina, salientes, palæstra, silva conferent.

Viridicata] novum, & forte, in iis quidem, qui exstant, veterum libris, singulare verbum. quasi, *virente.* qua ratione & *Albico*, *Nigrico* usurpantur.

Pag. 80. *Bovilianum*] non est a familia, ut Fufidianus, quem proxi-

proxime nominavit, fundus, (nulla enim Romæ Bovilia familia) sed ab ignobili loco nomen ductum. Sunt, quibus placeat, *Bovillianum*, a Bovillis, ubi Clodius est interfectus: quos refellit geographiæ ratio. Bovillæ enim inter Ariciam & Romam, fundus autem hic in Arpinati fuit.

Aqua dempta] excepta in venditione fundi; ut, alienato fundo, aqua tamen juris tui sit: quam ad irrigandos finitimos fundos illorum dominis locare posses.

Jure constituto] dicit hoc; si jus aquæ constituatur, hoc est, si jus aquæ Quincto servetur, servitutem fundo impositum iri illius aquæ, neque tamen fore, ut minoris, quam quanti cum aqua vendi fundus possit. quam igitur aquam Messidius per tuos fundos deducendam redemit; (hoc enim proxime dicet) eam nolo te cum fundo Bovilieno alienare: sed, jus ei aquæ suadeo constituas. hoc est in tuo jure retineas: ut ex duobus mancipiis, fundo, & aqua, unum emptoris fiat, alterum esse tuum pergat; jus, inquam, fundi migret ad emptorem, jus aquæ penes te remaneat.

Servitute fundo illi imposita] quia fundus aquæ serviet, cum ea cogetur uti. unde enim irrigetur, aliunde non erit. ita, si fundum vendes, qui ejus futurus dominus est, is tibi aliquid pendet, si fundo suo consultum volet.

Messidium] redemptorem deducendæ aquæ: qui singulos in pedes alvei faciendi ternis nummis transegerat. supra de Messidio dixit, quod hanc sententiam confirmet: *Uberiorem aquam sese collecturos dicebant.*

Ternis nummis] sestertiis, duodecim igitur assibus, hoc est marculis in pedem. nam sestertius est duodecim trientes, hoc est asses quattuor: & quattuor sestertii denarius, hoc est asses XVI: & denarii septem in argenti uncia, drachmæ autem octo: si Celso, & Plinio credimus. tanti enim Romæ fuisse denarios a secundo Punico bello ad Plinii tempora, ipsius Plinii testimonio cognoscitur.

CCCC ∞] absurda mensura. sunt enim passuum quadringenta millia. ita plus, quam dimidium Italiæ longitudinis, occupasset hæc aqua. malim igitur, ordine præpostero, ∞ CCCC: ut sint mille quadringenti passus, hoc est pedum septem millia. quæ summa ad DCXXX scutatos aureos nostratis pecuniæ perveniet.

Nusquam melius] quam in aqua deducenda.

Discipulos] quos fabricandi & architectandi artem Chilo docebat.

Laterio] Quincti fundo in Arpinati. ad Att. ep. 7. l. 4. & 1. l. x.

Ad Furinæ] templum. antiqua locutio e Græcis fontibus derivata. *Furinalia* dies festus ejus deæ, IIX. Kal. Sext. Varro, Festus, vetus Kalendarium.

Satricum] oppidum in Latio.

Mutabitur] injicietur glarea, sublato pulvere.

Acclivis] quam ego malim planam fuisse.

Duci] viam. sic *aquam deducere*, supra.

Locustæ] fundum. Græca locutio.

Veluinus] Varro. nam de iisdem loquitur proxime nominatis.

Munierat] viam. & hoc significat. cum tu id jus haberes, ut viam ducere per Locustæ, perque Varronis fundum posses; neque tamen, quæ tua fuit modestia, feceris: illi, ut quasi tibi gratiam referrent, eam viæ partem, quæ ante fundos eorum est, munire debuerunt: quod Varro propemodum effecit: Locusta non dum attigit.

Probavi] satis officio suo facere mihi visus est.

Pag. 81. *Conductorem*] villam habebat Quinctus in Laterio, frugaliter exstructam ad eam cum addere quandam ædificatiunculam decrevisset, villicus conduxit opus illud HS. XM, hoc est aureis scutatis CCC. sed cum multo plura, quam convenerat, adjungere Quinctus vellet, ad pretium autem nihil; villicus eam ædificatiunculam omisit.

Quæ nunc est] admodum frugalis & parca, valde infra earum, quæ nunc fiunt, insaniam.

Topiarium] opus ex hedera.

Basim] inferiorem villæ partem. basis enim quasi pes est ad sustentandum.

Intercolumnia] spatium inter columnas.

Palliati] marmorea hominum simulacra, secundum columnas utrinque astantia.

Topiariam facere] qui topiariam faciunt, herbam, aut fruticem ad speciem aulæi, aut columnæ, aut fontis, alteriusve rei conformant. palliati igitur hi, inter columnas constituti, topiariam facere, aut hederam, qua intercolumnium vestitur, vendere videntur.

Alsius] *alsum* & *alsiosum* est subfrigidum, ab *algeo*.

Muscosius] non quia muscum habeat, sed quod æque, ac muscus in humidis locis, oblectet.

Expolitionem] jam pæne prorsus ædificaverant utriusque domum redemptores. *expolitio* restabat, perfectio scilicet ædium urbanarum. *expolitur*. enim quod factum est, non dum tamen plane perfectum. Infra, ep. III. *Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus*.

Philotimus & Cincius] ille Marci, hic Quincti nomine. Philotimus enim Terentiæ libertus, Cincius Attici procurator; cujus Pomponia soror Quincti uxor erat.

Facile factu] quia domus utriusque cohærebant, simulque ædificabantur. patet supra, & infra.

Cicerone] Quincti filio.

Ignosco] quia non facis quod te decet, cum fratrem tui amantissimum tam sæpe rogas: quasi mea tibi voluntas, aut amor in dubium veniat.

Igno-

Ignoscas] si dixero, non plus illum a te amari, quam a me.

Pag. 82. *Clamores*] *mirabilia*. dictio de magnis rebus atque admirabilibus usurpata: ubi *clamores* excitantur. ad Atticum. l. 1. ep. 12.

Otiosum] refertur ad utriusque otium. *otiosum* igitur, ut posset me per otium audire: quod in urbe non potest propter meam occupationem.

Tanta mercede] qua? quam divinare, cum epistola Quincti non exstet, nemo potest. *mercedem* tamen non pecuniæ, non fundi, sed amoris puto fuisse. forte enim ita scripserat Quinctus: *Si Ciceronem meum erudieris: ego te plus amabo*. vide ep. 4.

In tuis] ad te scriptis a me.

In Cæsaris] ad Cæsarem scriptis ab Oppio.

Oppius] Cæsaris in urbe procurator, is, qui scripsit librum XIX. de bello Gallico.

Fovebis] custodies, conservabis.

Quod mones] forte, ut eum coleret atque observaret. erat enim hoc tempore summa inter Cæsarem & Pompejum, socerum videlicet ac generum, necessitudo. postea, Julia mortua, societas, quæ non admodum, ex invidia Pompeji, hærebat, prorsus dissoluta.

Dolore] quod a me absis.

Gaudeo] quod istic video te libenter esse.

Hippodamis] qui equos domant. de uno autem intelligit hippodamo: etsi de pluribus cum contemptu & stomacho loquitur. infra, hac ipsa epistola.

Pag. 83. *Exspectet*] si ad te venerint.

Quod isto admisceas] scripserat, puto, Quinctus, operam se daturum, ut illi, quos arcessierat, atque etiam Trebatius liberaliter ab ipso tractarentur. hoc, inquit Cicero, nihil opus est. ego enim illum non ad te, sed ad Cæsarem misi: qui mihi jam satisfecit; quoniam quidem eum, mea commendatione adductus, accepit humanissime.

Si ipsi minus,] quod ei fortasse non admodum se familiariter præbeat, aut quod eum ad negotia non dum adhibuerit.

Præstare nihil debeo] quod amicitia, quæ mihi cum Trebatio est, postulabat, id feci, ut eum Cæsari studiosissime commendarem: reliqua præstare non debeo.

Ab eo vindico] nolo te Trebatii caussa laborare. libero te ista cura. satis amicitiæ factum est, cum illum Cæsari litteris accurate scriptis commendavi. quæ exstant fam. lib. VII.

Balbum] L. Cornelium Balbum, Cæsaris amicissimum, Gaditanum, urbe donatum: pro quo exstat Ciceronis oratio.

In oculis fero] unice diligo. nota locutio.

Trebonium] Caium. legatus erat hoc tempore in exercitu Cæsaris: anno proxime tribunus pl. rogationem tulerat, ut Cæsari

Gal-

Galliarum administratio in alterum quinquennium prorogaretur: præturam gessit C. Cæsare II. P. Servilio Vatia cos. consulatum cum Q. Fabio Maximo: postremo, cum Cæsarem, quem civili bello secutus erat, cum aliis conjuratis occidisset, Smyrnæ a Dolabella primus eorum, qui Cæsari mortem attulerant, est interfectus.

Curtio] de quo ep. 14. lib. 2.

Salutem nostram] quo tempore nostra salus agebatur; cum ejectus sum, cum restitutus.

Quoniam illi] Quoniam illis negare non possum; neget mihi, quod eorum caussa peto. ipsi, negari sibi a me, non facile patiuntur: ego, mihi a Cæsare, facile patiar.

Molesti sunt] in petendo.

Metuamus] belli caussa.

Gaudeamus] ob prædam tenuem. alibi: *Argenti audio in illa insula scrupulum non esse.*

Veniam non dedit] cum tu peteres per amicitiam, ut ad Clodium rescriberet; (quia nolles Cæsarem nostra caussa facere, ut respondendi officium omitteret) satisfacere tibi noluit. id enim significat, *tibi veniam non dedit*. itaque locutus est in ep. ad Atticum ultima lib. v. *Dedi veniam homini imprudenter petenti*: id est, concessi, satisfeci in eo quod imprudenter petebat.

Calventi Marii] L. Pisonem, cujus maternus avus, ut apud Pedianum legimus, *Calventius* est appellatus, videtur intelligere. *Calventum* cur potius, quam *Calventium*, cur item Marium nominet, haud facile dixerim, nisi si inter Quinctum & Marcum jam convenerat, ut eum fictis nominibus, Cæsaris maxime caussa, qui Pisonis erat gener, appellarent.

Oratione] quam in urbem reversus in Ciceronem habuit; cujus e sententia senatus illum de provincia revocaverat.

Pag. 84. *Meam*] de provinciis consularibus, hoc est de Pisone Gabinioque revocandis.

Libros meos] de republica. epist. XIII. lib. II.

His diebus] vel, *his diebus*, quibus me a scribendo avocant judicia: vel, quia opus ipsum esset ejusmodi, ut iis diebus confici non posset, ac spatii plus omnino postularet.

Pro Scauro, & pro Plancio] illa de repetundis, hæc de ambitu: utraque exstat, sed pro Scauro mutilata.

Incidi] quia mihi non probaretur. Hoc poema non esse idem, atque illud, de quo in epistola XIV. libri II. ostendimus infra in epistola ultima hujus libri.

Fontes jam sitiunt] mirum est *sitire fontes*, unde aqua peti solet. itidem miror velle te versus tibi, optimo poëtæ, a me componi. Supra idem alio modo significavit: γλαῦκας, inquit, εἰς Ἀθήνας. epistola ultima lib. II. & epist. IV. & VI. hujusce libri.

Bene comitatum] cum multis pecuniis. joco enim usus erat Quinctus.

Am-

Ambitionem] ut nullum studium prætermittam, dignitatis augendæ caussa.

Vivemus] vita fruemur? sic alibi.

Eriginam] tragœdiam: quam se scripsisse, & ad Oppium misisse, significaverat. amissam in itinere, ultima demonstrat hujus libri epistola. Erigone soror Penelopes occisum a rusticis ebriis patrem ita doluit, ut ipsa se suspenderit. miseratione deorum in cæleste signum conversam poëtæ fabulantur.

Plausu] a populo Miloni dato.

Nobis] cum illi ideo detur plausus, quia consulem Lentulum Spintherem, legem comitiis centuriatis de meo reditu ferentem, enixe admodum juvit.

De æde Telluris] de operibus, puto, loquitur, & inscriptionibus illis, de quibus epist. XIX. lib. II.

De porticu Catuli] non dubito quin, quæ ad ædem Telluris, eadem aut similia fieri ad porticum Catuli Quinctus vellet. quod ex iis conjicio verbis, *ad Telluris quidem.* quasi, Hoc amplius ad ædem Telluris, quam ad Catuli porticum, quod ibi etiam tuam statuam locavi.

Admones] ut emam.

Domus] pecunia publica ædificata: quod ipse in Pisonem, alii que docent. pecuniæ vero summa HS vicies fuit, hoc est scutatorum LX M. ita porro magnifice atque eleganter facta videtur fuisse, ut neque villas neque hortos Cicero desideraret. nam & in epistola ad Leptam, *domus*, inquit, *est, quæ nulli villarum mearum cedat.*

Pag. 85. *Multorum fastigiorum*] tectum conclavia tegebat. id nolebat Quinctus descendere pluribus angulis, & lateribus, (sic enim multa fastigia habuisset) sed uno tantum fastigio vergere in tectum inferioris porticus. quod factum Cicero significat.

Honeste] decenter, speciose, minime turpiter.

Vergit] quia est unius fastigii, ideo vergit molli clivo. non vergeret autem, inæquale si esset, lateribus lenem acclivitatem interrumpentibus.

In tectum] duo igitur tecta, quod supra conclavia, & quod supra porticum.

Ceterà ejus] eruditionem significat.

Suscipio] ita promitto, ut velim me, nisi is erit quem tu esse vis, quasi *prædem* appelles.

Gabinium] e Syria reversum.

Tres] una de majestate, L. Lentulus; duæ de repetundis, Ti. Nero, & C. Memmius. accessit postea, item de repetundis, quarta factio, C. & L. Antonii; ut in epistola, quæ sequitur: etiam quincta, de ambitu, P. Sulla, ut infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. est autem absolutus Gabinius de majestate, damnatus de repetundis. infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. & Dio lib. XXXIX.

Ad-

Galliarum administratio in alterum quinquennium prorogaretur; præturam gessit C. Cæsare II. P. Servilio Vatia cos. consulatum cum Q. Fabio Maximo: postremo, cum Cæsarem, quem civili bello secutus erat, cum aliis conjuratis occidisset, Smyrnæ a Dolabella primus eorum, qui Cæsari mortem attulerant, est interfectus.

Curtio] de quo ep. 14. lib. 2.

Salutem nostram] quo tempore nostra salus agebatur; cum ejectus sum, cum restitutus.

Quoniam illi] Quoniam illis negare non possum; neget ipse mihi, quod eorum caussa peto. ipsi, negari sibi a me, non facile patiuntur: ego, mihi a Cæsare, facile patiar.

Molesti sunt] in petendo.

Metuamus] belli caussa.

Gaudeamus] ob prædam tenuem. alibi: *Argenti audio in illa insula scrupulum non esse.*

Veniam non dedit] cum tu peteres per amicitiam, ut ad P. Clodium rescriberet; (quia nolles Cæsarem nostra caussa facere, ut respondendi officium omitteret) satisfacere tibi noluit. id enim significat, *tibi veniam non dedit*. itaque locutus est in ep. ad Atticum ultima lib. V. *Dedi veniam homini imprudenter petenti*: id est, concessi, satisfeci in eo quod imprudenter petebat.

Calventi Marii] L. Pisonem, cujus maternus avus, ut apud Pedianum legimus, *Calventius* est appellatus, videtur intelligere. *Calventum* cur potius, quam *Calventium*, cur item Marium nominet, haud facile dixerim, nisi si inter Quinctum & Marcum jam convenerat, ut eum fictis nominibus, Cæsaris maxime caussa, qui Pisonis erat gener, appellarent.

Oratione] quam in urbem reversus in Ciceronem habuit; cujus e sententia senatus illum de provincia revocaverat.

Pag. 84. *Meam*] de provinciis consularibus, hoc est de Pisone Gabinioque revocandis.

Libros meos] de republica. epist. XIII. lib. II.

His diebus] vel, *his diebus*, quibus me a scribendo avocant judicia: vel, quia opus ipsum esset ejusmodi, ut iis diebus confici non posset, ac spatii plus omnino postularet.

Pro Scauro, & pro Plancio] illa de repetundis, hæc de ambitu. utraque exstat, sed pro Scauro mutilata.

Incidi] quia mihi non probaretur. Hoc poema non esse idem, atque illud, de quo in epistola XIV. libri II. ostendimus infra in epistola ultima hujus libri.

Fontes jam sitiunt] mirum est *sitire fontes*, unde aqua peti solet. itidem miror velle te versus tibi, optimo poëtæ, a me componi. Supra idem alio modo significavit: γλαῦκα, inquit, εἰς Ἀθήνας. epistola ultima lib. II. & epist. IV. & VI. hujusce libri.

Bene comitatum] cum multis pecuniis. joco enim usus erat Quinctus.

Ami-

Ambitionem] ut nullum studium prætermittam, dignitatis augendæ caussa.

Vivemus] vita fruemur? sic alibi.

Eriginam] tragœdiam: quam se scripsisse, & ad Oppium misisse, significaverat. amissam in itinere, ultima demonstrat hujus libri epistola. Erigone soror Penelopes occisum a rusticis ebriis patrem ita doluit, ut ipsa se suspenderit. miseratione deorum in cæleste signum conversam poëtæ fabulantur.

Plausu] a populo Miloni dato.

Nobis] cum illi ideo detur plausus, quia consulem Lentulum Spintherem, legem comitiis centuriatis de meo reditu ferentem, enixe admodum juvit.

De æde Telluris] de operibus, puto, loquitur, & inscriptionibus illis, de quibus epist. XIX. lib. II.

De porticu Catuli] non dubito quin, quæ ad ædem Telluris, eadem aut similia fieri ad porticum Catuli Quinctus vellet. quod ex iis conjicio verbis, *ad Telluris quidem.* quasi, Hoc amplius ad ædem Telluris, quam ad Catuli porticum, quod ibi etiam tuam statuam locavi.

Admones] ut emam.

Domus] pecunia publica ædificata: quod ipse in Pisonem, aliique docent. pecuniæ vero summa HS vicies fuit, hoc est scutatorum LX M. ita porro magnifice atque eleganter facta videtur fuisse, ut neque villas neque hortos Cicero desideraret. nam & in epistola ad Leptam, *domus*, inquit, *est*, *quæ nulli villarum mearum cedat.*

Pag. 85. *Multorum fastigiorum*] tectum conclavia tegebat. id nolebat Quinctus descendere pluribus angulis, & lateribus, (sic enim multa fastigia habuisset) sed uno tantum fastigio vergere in tectum inferioris porticus. quod factum Cicero significat.

Honeste] decenter, speciose, minime turpiter.

Vergit] quia est unius fastigii, ideo vergit molli clivo. non vergeret autem, inæquale si esset, lateribus lenem acclivitatem interrumpentibus.

In tectum] duo igitur tecta, quod supra conclavia, & quod supra porticum.

Cetera ejus] eruditionem significat.

Suscipio] ita promitto, ut velim me, nisi is erit quem tu esse vis, quasi *prædem* appelles.

Gabinium] e Syria reversum.

Tres] una de majestate, L. Lentulus; duæ de repetundis, Ti. Nero, & C. Memmius. accessit postea, item de repetundis, quarta factio, C. & L. Antonii; ut in epistola, quæ sequitur: etiam quincta, de ambitu, P. Sulla, ut infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. est autem absolutus Gabinius de majestate, damnatus de repetundis. infra, & ad Atticum ep. 16. lib. 4. & Dio lib. XXXIX.

Ad-

Adhuc] quasi aliæ præterea possint exsistere; sicuti, ut dixi, exstiterunt quarta, & quincta.

Postulant] non dum postulaverant, sed postulaturi videbantur. unus enim L. Lentulus postulaverat: quod proxima verba declarant.

Lentulus] quem, absoluto Gabinio, prævaricatum multi credidere. ad Atticum epist. 16. lib. 4.

Flaminis filius] ut distinguatur a L. Lentulo Crure. sic ad Atticum ep. 24. lib. 2.

Jam postulavit] propterea de majestate prius quam de repetundis Gabinius caussam dixit. infra, & ad Atticum epist. 16. lib. 4.

De majestate] apud C. Alfium prætorem; quod provinciæ finibus excessisset, dum regem Ptolemæum in Ægyptum reducit.

Ti. Nero] hic, opinor, is est, qui Tulliam Ciceronis filiam uxorem cupivit, ut legimus ad Atticum ep. 6. lib. 6. & Liviam postea duxit, ex qua Tiberium imperatorem genuit. Vellejus.

C. Memmius] alius fuit C. Memmius, qui præturam gessit Pisone & Gabinio cos. & hoc anno cum consulibus de sequentis anni consulatu coiit. ad Atticum epist. 18. lib. 4.

Capitone] subscriptore. fuit autem Capito gentis Atejæ, plebejus; Memmius, plebejus; Nero Claudiæ, patricius; (nam & Claudii Marcelli fuere plebeji) Lentulus Corneliæ, patricius. fuere & Cornelii plebeji, non tamen Lentuli.

Cato] M. Cato prætor; qui de repetundis hoc anno quæsivit. eo ægrotante, postulari Gabinius de repetundis non poterat. Sed cur tot annis prætor Cato post tribunatum pl. quem gessit Silano & Murena cos.? quia, qui fuit ei legitimus annus petendæ præturæ, Pisone & Gabinio cos. eo anno in Cyprum Clodia rogatione ante comitiorum tempus emissus est: nec rediit, nisi biennio post, Marcellino & Philippo cos. quo anno habita comitia non sunt: & ex interregno consules facti Pompejus & Crassus: quibus comitia prætorum habentibus, cum prætorem Catonem populus faceret, Pompejus, in Vatinium propensior, auspicia mentitus comitia dissolvit. ita in annum sequentem rejecta Catonis petitio est: quo anno, Domitio & Appio cos. ex interregno creatis, præturam obtinuit & gessit.

Pompejus] quo contendente, Gabinius de majestate est absolutus. ad Atticum epistola 16. libro 4.

Nec proficiet] immo profecit: ut etiam Gabinium, quem paullo ante accusaverat, mox rogatu Pompeji, non sine aliqua levitatis nota, Cicero defenderit. Dio, & fam. ep. 1. libro 7.

Coitione] de qua jam diximus. ad Attic. ep. 18. libro 4.

Messala] quem maxime Cicero diligebat. itaque, *noster*, de eo dicit & infra: *Enitemur*, inquit, *ut Messalla noster salvus sit*. & in epistola ultima: *Messallam nostrum, reliquosque molestia libera-*

tos

tot, vehementer gaudeo. & ad Atticum epist. 16. lib. 4. *Messalla noster liberalis in populo valde fuit.*

Excluderetur] coire enim turpi pactione noluit. ergo *vir bonus.* Jam enim dixit Cicero: *Ejusmodi pactiones in ea coitione facta, ut nemo bonus interesse debuerit.*

Satisfacio] efficio, ne quas in me amoris aut officii partes desideret: quod attinet ad illius petitionem consulatus.

Memmio] quî poterat duobus Cicero competitoribus satisfacere? quia neuter neutri oberat. Messalla enim patricius, Memmius plebejus. ita nihil obstabat, quin uterque simul consul creari posset.

Domitio] Calvino, consulari candidato; qui consul fuit anno proximo cum Messalla.

Ipsi] non modo reliquis tribus, sed ipsi Domitio, qui non ea, qua illi, mihi est amicitia conjunctus.

Scaurum] ultimum nominavit de consularibus candidatis. quatuor enim omnes fuerunt, Messalla, Memmius, Domitius, Scaurus. defendit eum de repetundis accusatum apud M. Catonem prætorem.

Valde obligavi] est enim absolutus. ad Atticum epist. 16. l. 4. & Pedianus.

Quando comitia, & qui consules] dixi jam, comitia hoc anno habita non esse; consules vero, anno sequenti, Messallam & Calvinum ex interregno fuisse.

Pag. 86. *Sept.*] aut hoc tollerem, aut, *Oct.* reponerem. qui enim potest epistolam complicare XI. Kal. Sept. cum meminerit jam in ipsa epistola de XII. Kal. Oct. seque dixerit Romam venisse XIII. Kal. Oct.?

Suavissimis] refertis humanitate, atque amore.

Ille casus] quem mihi Cæsar litteris significat. at qui casus? de interitu Juliæ filiæ, dicet aliquis: alius, de legatis, & legione cum cohortibus cæsa. ego neutrum. nam de filia, quæ Romæ obiit, satis ipse sine Cæsaris litteris norat. nec diceret, *ille*, ut de re longinqua: neque, *casus*, sed, *luctus*; de legatis autem, & legione ratio temporum non patitur intelligi. cladem enim illam non dum Cæsar acceperat. hieme sequenti id evenit. quod libro V. commentariorum ipsius exponitur. itaque & Cicero ipse in epistola hujus libri ultima, quam scripsit in extremo anno, calamitatem eam significat, cum Cæsaris in summo dolore virtutem & gravitatem commemorat. de filiæ vero obitu in epistolæ clausula significat, ubi Cæsaris luctum nominat: quæ in mortem proprie dictio convenit. *Casum* igitur puto dici, naufragium multarum navium in Oceano: de quo libro IV. commentariorum de bello Gallico mentio fit. tres enim adversi maximeque tristes Cæsaris eventus tribus in locis attinguntur, naufragium, interitus filiæ, cædes legatorum.

Cum Publilio] locutum qua de re, incertum est.

Interiore epistola] loca sunt in antiquorum scriptis, quæ cum legimus, quasi plana præterimus: deinde, quid ea sibi velint, ubi quis interroget, hæremus, incerti quid respondeamus; ac tum denique nostram sive inscitiam, sive negligentiam, non sine aliquo pudore, agnoscimus. hoc, *interiore epistola*, ecquis est qui satis accurate perpendat? natura enim ac ratione quoque ipsa comparatum est, ut ea, quæ narranda proponuntur, paullo minus diligenter, quam eadem, cum narrantur, attendamus. quoniam igitur hic proponitur, non narratur res; (narratur autem in eo, *me Pompejo legatum iri*) ideo fit, ut neque oculus in legendo, neque animus in considerando, pro eo, quantum opus sit, insistat. oculus prætervolat; quasi res, quæ studiose spectetur, parum digna sit: animum ad ea, quæ proponuntur, cognoscenda cupiditas ducit. ita, quæ duo verba, (hæc dico, *interiore epistola*) vel diligenter considerata, minime tamen a multis, ut opinor, intelliguntur, ea ne considerantur quidem. de quibus ego sic existimo: *interiorem epistolam* vocari, non eam epistolæ partem, quæ a principio & a fine pari distet intervallo, sed eam, quæ ab extremo propius absit quam a principio. id adeo cognoscetur, si, quod apud antiquos epistolæ claudendæ genus esset, ostendemus. non enim tunc, eo, quo nunc solemus, modo, complicabantur, sed in orbem involvebantur epistolæ, ita, ut, quæ ultima scripta in pagina pars erat, involveretur prima; quæ prima, ultima. itaque proprie *volumen* una epistola & erat & dicebatur. idque Ciceronis testimonio comprobatur; qui ad Appium scripsit his verbis: *Volumen a te plenum querela iniquissima reddiderunt.* & infert: *Eadem epistola petebas.* morem eundem video teneri ab iis, qui scriptum pretio faciunt: quos vulgo *notarios* nominant, *scribas* antiqui appellabant. quod enim hoedinis vitulinisve scripserunt in pellibus, id ita contrahunt, & quibusdam quasi spiris ipsum in sese convertunt, ut involucrum efficiant; neve sua sponte laxetur, circumducto ejusdem pellis quasi vinculo astringunt. eadem erat olim forma litterarum. hoc amplius: ne a tabellariis aperiri possent, impresso suo quisque signo cavebat. inde *litterarum fasciculus* nomen sumpsit: quod, ut conjunctæ constrictæque virgæ *fascis* est, item litteræ a tabellariis in unum, quasi virgæ in fascem, conjectæ colligatæque, quodam modo fascis exigui formam præseferrent. proprie igitur *volumen* de re in orbem collecta, ut de epistola, de fascia: improprie de re non orbiculata, ut de libro. tametsi olim, apud priscos illos, de libris quoque proprie. scribebantur enim *in libris*, unde nomen sumpserunt, hoc est in codicibus arborum: iique, quo essent ferentibus commodiores, convolvebantur. Quod autem Cicero dixit, *altera jam pagella procedit.* in epistola ad D. Brutum, fam. l. XI. non de ipsa epistola, quam po-

postea misit, sed de exemplo, quod in codicillis tunc exarabat, intellexit: in quibus unam jam pagellam totam, alteram non totam, sed magnam partem scribendo impleverat. non enim, cum ita dixit, scripsisse eum in charta verisimile est: cum illius epistolæ brevitas ea sit, quæ nec unius, quantumvis angustæ, paginæ locum, si de *charta* cogitemus, nedum unius & alterius tenere potuerit. at in codicillorum pagellas, quæ contractæ admodum erant, optime conveniet. Quod si cui fieri posse videatur, ut ipsos ad Brutum codicillos Cicero miserit: negabo. nam codicilli ad eos tantum, qui iisdem aut certe minime longinquis in locis essent, mittebantur: quod exempla declarant, ut in proximo libro, & fam. ep. 12. lib. 4. ad Brutum vero, tam longe remotum, Celticam Galliam pro consule administrantem, codicillos dare, cujus ineptiæ fuisset? nam ne ad Papirium quidem, qui neque provinciæ præerat, ut Brutus, & multo, quam ille, propius aberat, hominem sibi familiarissimum, codicillos tamen Cicero mittendos putavit, sed epistolam e codicillis descriptam. fam. ep. ult. lib. IX. Neque vero mirandum est, in litteris, quas involvi solitas dixi, paginas interdum nominari: quod ab orbiculata involucri forma satis alienum videri potest. nihilo enim minus involvebantur, quæ pluribus paginis litteræ, quam quæ una tantum pagina scriptæ fuerant. cumque omnes eodem modo involverentur; ideoque, si forma spectaretur, itidem omnes *volumina* possent appellari, usitatius tamen erat, ut longioribus de litteris, quæ plures haberent paginas, *voluminis* vocabulum usurparetur. idque satis patet ab exemplis.

Pompejo] in Hispanias proconsule ituro. sic enim putabatur. verum non ivit; easque per tres legatos, Afranium, Petrejum, Varronem, administravit. decreta est ei lege Trebonia, Crasso vero collegæ Syria, utrique in secundo consulatu. Plutarchus, alii.

Non audivi] quo modo hoc? cum ipse ad Cæsarem aliquot mensibus ante de hac legatione scripserit. exstat, quæ hoc significat, epistola lib. VII. fam. in qua Trebatium commendat. loquitur igitur de recenti rumore: de quo se negat audisse. falsum tamen non fuisse, ex eo discitur, quod ad Atticum in extrema epistola lib. IV. scriptum est. *Sed heus tu*, inquit, *scripseram ne tibi, me esse legatum Pompejo, & extra urbem quidem fore ex idibus Jan.?*

Scripsique ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata] erit, cui non placeat iteratum Cæsaris nomen. sed, si, cum, *Cæsaris*, legimus, animo spectabimus non Cæsarem, ad quem Cicero se scripsisse narrat, sed Quinctum qui hæc leget; feremus.

De mea mansione] quam Cæsar cupiebat; ut ejus ope atque auctoritate, quibus in rebus opus esset, uti posset. Supra, quod hoc declaret, illud est: *Quod mihi otium, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti?*

Nec ad Oppium] qui cum Cæsaris in urbe omnia negotia procuraret;

curaret, ad eum quoque Cæsaris mandata perferre Vibullius debuit, ut is ageret cum Pompejo, ne me, si Cæsaris caussa vellet, ab urbe removeret.

Quo consilio?] fecit hoc Vibullius? non enim hoc ad Cæsarem placet referri: ne videatur in eo consilium requirere.

Quamquam Oppium ego tenui] quamquam non hoc ideo dico, quia voluerim Oppium Vibullii verbis, cognita Cæsaris voluntate, adduci, ut ageret cum Pompejo de mea mansione. quin ego illum, sua sponte satis incitatum, tenui. rectius enim duxi, Vibullium primo, cui Cæsar præsens præsenti mandaverat, deinde Oppium, cui scripserat, agere cum Pompejo.

Bibuli] quid Bibulo cum Cæsare? parum ne notæ sunt quæ inter eos omnium acerbissimæ fuerunt inimicitiæ? ego, & minima mutatione & sententia postulante, libenter pro *Bibuli*, reposuerim, *Vibullii*. nam & ad Att. ep. 2. l. 8. pro *Vibullii*, & *Vibullius*, libri sunt veteres, qui, male omnino, tamen habeant, *Bibuli*, & *Bibulus*. tota res perpendatur: male omnino sensisse non videbimur.

Priores partes] ut is prior ageret cum Pompejo.

Nullas δευτέρας φροντίδας] Cum sæpe litteris Marcus Quincto significasset, velle se, quantum in ipso esset, Cæsaris amicitiam tueri, ejusque absentis dignitati quam maxime studere, neque in unius Pompeji benevolentia omnia ponere; (id indicant illa verba lib. II. in epistola, *Risi*: *De Pompejo, assentior Cæsari, vel tu potius mihi. nam, ut scis, jam pridem istum canto Cæsarem: mihi crede, in sinu est, neque discingor*: & illa, in epistola, ad IV. non. eodem in libro infra: *Quoniam in hoc homine colendo tam indormivi diu, cursu corrigam tarditatem*) Quinctus, qui jam audisset, fratrem Pompejo legatum iri, suspicatus est consilium ab eo mutatum, quippe qui, si cum Pompejo legatus iret in Hispaniam, de Cæsaris rebus, quas Romæ curari oporteret, minimum laborare videretur. cupiebat enim Cæsar Marcum sua caussa Romæ manere. quod ex eo satis patet, in epistola proxime nominata: *Quod mihi tempus, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti, vacuum ostenditur?* ideo Quinctus, ea, qua dixi, suspicione commotus, his fere verbis scripserat: Fortasse tibi δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι videntur: hoc est, fortasse consilium de Cæsare mutasti, qui cogites in Hispaniam: fortasse posterius aliquid cogitasti; idque magis probas, quam quod antea constitueras. cui respondens Marcus, ego vero, inquit, meas priores cogitationes, mea de Cæsare colendo consilia nihil muto; posteriores in Cæsaris rebus curas & cogitationes habere nullas possum. attigerat enim & fortasse integrum recitaverat Quinctus senarium illum Euripidis in Hippolyto:

" Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

ut

ut qui Euripidis lectione mirum in modum teneretur. quod ipsius epistola ad Tironem fam. lib. XVI. epist. 8. testatur: in qua sunt hæc: *Euripidi quantum credas, nescio: ego certe singulos ejus versus singula testimonia puto.* Quod autem, *ego vero*, dicit; vis quædam animi significatur, moleste ferentis, quod a Quincto scriptum erat de secundis curis. quo loco quasi punctus exsiliit, &, ut de re molesta, *ego vero*, inquit; &c. atque hic, ut alibi sæpe in exponendo Cicerone, Erasmi, eruditi hominis, ingenium requiro: qui, cum in suis adagiis hunc locum interpretatur, prorsus aberrat a sententia. hoc ego ita judico: si quis tamen contra, cedam meliora ostendenti.

Pag. 87. *Pæne par*] secundum te, & liberos nostros, nihil mihi est Cæsare carius. pæne etiam æque, ac tu, liberique nostri, mihi carus est.

Jure] quia sibi nos sua jam liberalitate obstrinxit.

Debeo] alios enim amamus, nec debemus, voluntate quadam & animi tamquam impetu compulsi: alios, quia nos id, quod facimus, recte & cum ratione facere judicamus. Cæsarem, inquit, eodem pæne, quo te & liberos nostros, loco habeo, quia debeo, summis illius in nos officiis, summa humanitate adductus: verumtamen, ut hæc non essent, quæ sunt maxima, amore coactus idem facerem. ita prudenter admodum hanc partem attingit Cicero. nam in amando Cæsare neque judicium a voluntate sejungit; ne videatur id facere, quia debeat, potius, quam quia velit: neque voluntatem a judicio; ne significet id se velle, quod fortasse non debeat. ergo & *facit jure* & *libenter facit*. quæ duo simul in amore optanda sunt maxime. sed ò, si quis omnes Ciceronis sententias, quæ curiosis oculis non patent, aut hac, aut etiam multo majore diligentia (quantulum enim id est, quod ego quidem præstare possum?) aperiret: quam multa manarent ad inventionem præclara. ex una mehercule re, tribus aut quattuor verbis a Cicerone explicata, sæpe intellexi, cum ad cogitandum me dedi, res propemodum innumerabiles ejusdem generis, ejusdem elici sententiæ posse. Verum hæc non ita nostri propositi tractatio est. terminis enim quasi quibusdam interpretis officium definitur: quibus egredi nullo modo licet. quod si contigisset, id quod equidem maxime vellem, ut obsequi patriæ meæ roganti, eique meam industriam, sæpe jam, primum Egnatio ætate confecto, deinde Bonamico mortuo, denegatam, de loco superiore probare possem: a quo me munere, magno sane cum animi mei dolore, valetudinis infirmitas exclusit: locus ille fuisset ad aperiendos veteris eloquentiæ fontes vehementer aptus. quæ est una nobilibus in gymnasiis docendi ratio præstantissima: ad quam se suaque studia honesto loco nati non adolescentes modo, verum etiam viri libenter adjungunt. enimvero latent in Cicerone quidem nostro pæne in-

 nu-

numerabiles, in Græcis Demosthene & Isocrate, bene multas virtutes ejusmodi; quæ si ad artem ita redigantur, ut eas non oculis intueri modo, verum etiam mente & cogitatione liceat complecti; facile video futurum, ut eleganter & cum laude scribere cupientibus egregiam facultatem, valdeque splendidam ac lautam orationis Latinæ supellectilem biennii pariat exercitatio. hoc nimirum est, quod ego ab eo doctore, qui artem profitetur, aut unum tradi aut præcipuum certe velim. nam, inani vel earum historiarum, quæ a libris peti facile possunt, recitatione, vel figurarum, quas Demosthenes aut Cicero ne somniando quidem umquam vidit, commemoratione, tempus conterere, hominis est aut ejus, qui suæ potius ambitioni, quam aliorum utilitati, consultum velit; aut ejus, qui eam viam, quæ ad veram solidamque gloriam ducit, penitus ignoret.

Ab Aristophaneo modo] sincerum illud puto, *ab Aristophane*; corruptum, *o modo*, emendatio quidem a me nulla. quod si particula, *ab*, tollatur; de qua tollenda quid statuam, non habeo, cum ea nonnullis a veteribus libris absit, Bessarionis tamen in libro sit: minima distinctione sententia patefiet; nec jam suspicio mendi residebit ulla. distinguetur autem sic: *Quam paullo ante acceperat*, *Aristophaneo modo*: ut, *Aristophaneo modo* epistola dicatur, quæ Aristophanis ad similitudinem accedat: puta, quia comicum quiddam in sententiis, ex Aristophanis genere, præseferat.

Et suavem, & gravem] quales patris ad filium puerum esse litteras decet: *suaves*, ob ætatem filii; cujus habenda ratio est: *graves*, ut pater patrio quodam tum naturali, tum legitimo jure severitatem retineat.

Affixum, tamquam magistro] hærebant enim magistris pueri, donec prætexta utebantur. prætexta deposita, & virili toga sumpta, adibant fere ad jurisconsulsos, ut jus civile, caussis agendis maxime necessarium, cognoscerent.

Annali] Villiæ gentis, plebejæ. natum cognomen ab eo, qui legem de petendis magistratibus *annalem* in tribunatu pl. tulit. Livius libro, opinor, XL.

Et tamen] cum, de illo diligenter curare, satis esset; ea tamen cura non contentus, etiam consilium addidisti.

Pag. 88. *Servilius*] Isauricum dici, manifestum est.

Significat] ergo non erat Cicero Romæ. nam, *significare*, absentis est.

Non possum scribere] quia mirandum non est, sordidi hominem artificii humanitatem ignorare. de hoc supra.

Salvio] ad Quinctum profectus est VI. id. Oct.

Labeoni] Seguliæ gentis, plebejæ.

Reservabam] ut iis darem eas litteras, quas in alienas manus incidere minime velim.

Ne

Ne, numquid vellem] cum iret ad te, qui mihi frater es, debuit (alia mitto) hoc saltem, *numquid vellem*, rogare.

T. Pinarius] Lucii fortasse frater, quem C. Cæsar, nepotem sororis suæ, heredem cum Q. Pedio & C. Octavio reliquit. de quo Suetonius his verbis: *Novissimo testamento tres instituit heredes, sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium & Q. Podium ex quadrante, reliquos in ima cera.*

Frater ejus] Lucius fortasse; quem dixi unum fuisse de Cæsaris coheredibus.

Adolescentem] *adolescentes* interdum appellabantur annos etiam plures, quam triginta, nati. itaque in ep. ad M. Cœlium, *hominem*, inquit, *adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui.* cum loquatur de C. Cœlio: qui jam quæstor fuerat; & quæstura non ante annum XXXI. lege annali gerebatur, etiam in Oratore modo *adolescentem*, modo *virum* appellat Isocratem. etsi, *virum*, dignitatis caussa dictum in eo loco, item ut alibi, possit aliquis existimare. nunc *adolescentis* nomen de ætate solum usurpatur ea, quæ anno incipit XIII. desinit XX.

Pag. 89. *Aliam in sententiam*] cum significes, minime te de suburbano emendo cogitare.

De se] si loqueretur ex Anicii persona, hoc modo; *Miratur Anicius, nihil te recordari de se*: usitatum esset. nunc ex persona sua cum dicat; *Soleo admirari, nihil te recordari de se*: quam proprie, *se*, pro *eo*, positum sit, grammatici viderint. ejusmodi notavimus exemplum in oratione pro Comœdo: *Societatis*, inquit, *non suas lites redemit, cum fundum a Flavio Roscius accepit. quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum?* non enim dixit, *a se*, pro, *a se ipso*, sed pro, *ab ipso Flavio*; a quo fundum acceperat.

Epicharmi] Siculi, poetæ comici: quem Plautus imitandum sibi proposuisse putabatur: unde Horatii versus: *Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi.*

Γνῶθι] cognosce, quo modo alio usus est. Prius, quam credas, ajebat Epicharmus, cognosce quemadmodum is, cui crediturus es, alio sit usus: ut, si se erga alium recte & optima fide gesserit, ei te tuto comittas; sin minus, exemplo doctus caveas. apparet Anicium non bona fide fuisse: itaque non facere Quinctum satis prudenter, qui ejus opera in emendo suburbano cogitaret uti.

Sermonem ejus] subaudi, *narrasti*, cum essemus una in Tusculano ejus.

Quemadmodum conjicio,] Imperfecta sententia: sed, opinor, hoc significat: Quemadmodum conjicio, quasi minime illum noris, ita res illi tuas committis. incipit autem, fraterno amore adductus, hoc dicere: mox, ne fratrem videatur nimis multis verbis ut imprudentem monere, extremam sententiæ partem omittit.

Quid velis] cogites ne de emendo, ut Anicius dicit, an secus: ut in tuis ad me litteris significat.

Ne quid ille turbet,] ne quid misceat; ne sincera fide non agat; ne te implicet in eo negotio, sic, ut expedire te nisi cum damno non queas.

Quid praterea? quid? etiam] genus in epistolis, præsertim iis, quæ ad familiares mittuntur, in extremo usitatum. varias enim res cum scripsimus, nec jam memoria quidquam suppeditat; quasi nos hæc per litteras collocutio delectet, ipsi nos interrogamus, num quid præterea scribendum supersit? deinde, alterum, *quid*, est illud quidem ipsum quoque cum interrogatione positum: sed responsio tamen ad priorem interrogationem quædam videtur. nam rogavit, *quid praterea est, quod, scribam?* respondet, *quid scribam?* quasi dicat: nunc quidem nihil video, quod præterea possim scribere. mox inventa re, subjungit: *Etiam*. etiam, inquit, præter superiora aliquid est. Tale illud ad Atticum. ep. XI. l. I. *Novi tibi quidnam scribam? quid? etiam.* & ep. 6. l. 2. *Aliud quid? etiam.* & ep. 19. l. 2. *Quid aliud? quid? hoc, opinor.*

Ad IV. *kal. Oct.*] fuerat igitur ad urbem per septem dies. accessit enim XII. Kal. Oct. quod supra scriptum est in hac ipsa epistola.

Noctu] quia conspici puderet. redibat enim senatusconsulto de provincia revocatus: & cum tres factiones, una de majestate, duæ de repetundis postulabant. turpissimus igitur Gabinius, qui noctu introiret; cum ceteri imperatores & interdiu omnes, & plerique triumphantes.

Hora octava,] quæ, quo modo nunc horis diem distinguimus, vigesima fere nobis esset. diem enim semper veteres in horas duodecim tribuebant: quæ, pro dierum inæqualitate, modo *breviores* erant, modo *longiores*.

Edicto] edictorum duo genera, unum, quod, inito magistratu, publice proponebat prætor urbanus, ex quo toto anno jus diceret; alterum, quod ad singulas caussas pro re nata accommodaretur: quale est Alfii prætoris, quo Gabinium majestatis reum adesse ad decimum diem jubet. hoc posterius commune est prætori urbano cum reliquis prætoribus, qui de criminibus quærebant: illud prætoris urbani proprium. sed hæc libro *de judiciis* reservemus: qui doctrinam, ut speramus, non omnino jurisconsultis inutilem complectetur.

Alfii] prætoris, de majestate quærentis. in epistola, quæ sequitur proxima, *quæsitor*, inquit, *gravis & firmus Alfius.*

Adesse] in judicio, decimo, ut opinor, post nominis delationem die. nam Pedianus in commentario Cornelianæ, cum de Cornelio, qui & ipse de majestate accusatus erat, loquitur, his utitur verbis: *Cum L. Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse jussit*

Jussisset. & apud hunc, supra, lib. II. epistola 12. *Decimus erat Cælio dies.* atque hic decimus Gabinio dies, non dubito, quin fuerit, III. Kal. Oct. post eum, quo in urbem introivit, proximus: quo ipso die Cicero hanc epistolæ partem scripsit. cadit igitur, diebus decem numeratis, nominis delatio in XII. Kal. Oct. hoc est in eum ipsum diem, quo ad urbem accessit: ut ei, post adventum, nihil omnino spatii dederit Lentulus accusator.

Afflictus est] cum iret ad judicium.

Proximus] turpitudine: cum utrumque senatus de provincia revocasset, utrique civitas, memoria maxime Ciceronis ejecti, esset infensa.

Ἐμβόλιον] partem quandam ab argumento proposito sejunctam, interpositionem.

Meorum librorum] an *de republica*, quos in manibus habebat, quosque & supra *suos*, in hac ipsa epistola, nominavit? vix opinor: non enim illos in libros, quorum esset ὑπόθεσις omnium gravissima, inducerentur hujusmodi fabulæ. de poemate malim intelligere, non eo, quod ab ipso quæsierat Quinctus, (quibus enim libris Quinctus pro suis usurus esset, de iis non, opinor, dixisset Marcus, *meorum librorum*) sed eo, cujus primum jam librum a Cæsare lectum & magnopere probatum, dixit in epistola libri II. ultima, in extremo.

Reditus] ex provincia. redierat autem Piso anno proximo, Pompejo & Crasso cos.

Alter exercitum perdidisset, alter vendidisset] perdidit Piso, vendidit Gabinius: ille, cum commisit ut cæderetur: hic, cum Ptolemæum pretio conductus restituit. in oratione de provinciis consularibus, in Pisonem, in historia.

Satis commodas] satis prospera significantes de Britannico bello, satis ex nostra voluntate.

Pag. 90. *Ad mare*] te relicto in interiore Britannia.

Gratulandi] quod rem satis feliciter in Britannia gessisset.

Luctum] ob interitum filiæ: qui proprie luctus est.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ II.

Iisdem consulibus.

Pag. 90. **A**D *populum*] quæro, nec tamen invenio, quo de crimine Gabinii populus judicaverit. nam de majestate, deque repetundis non populus, sed prætores cum consilio quærebant. nec ullum præterea Gabinio facinus objectum reperio. fieri tamen potest, ut Memmius, cum tribunus pl. esset,

pro potestate populum coegerit, ut de Gabinio suffragium ferret, vel de majestate, vel de repetundis: sed, de repetundis, potius crediderim: quo crimine item ad prætorem constitui accusator, Ti. Nerone pari studio contendente, cupiebat. quod & supra in proxima epistola, & hic proxime planum fit. quem porro in judicio populi Gabinius exitum habuerit, quo facilius intelligatur, ipsa Valerii Maximi, quæ sunt in octavo libro, verba subscribemus. *A. Gabinius, in maximo infamiæ suæ ardore, suffragiis populi, Memmio accusatore, subjectus, abruptæ esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plene exhibebat; & defensionis præsidia invalida fide nitebantur; & qui judicabant, ira perciti pœnam hominis cupide expetebant. igitur lictor & carcer ante oculos obversabantur: cum interim omnia ista, propitiæ fortunæ interventu, depulsa sunt. filius namque Gabinii Sisenna, consternationis impulsu, ad pedes se Memmii supplex prostravit, inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempestatis eruperat. quem truci vultu a se victor insolens repulsum, excusso e manu anulo, humi jacere aliquandiu passus est. quod spectaculum fecit, ut Lælius tribunus pl. approbantibus cunctis Gabinium dimitti juberet.*

Luculente calefecerat] non frigide accusaverat, sed ita vehementer, ut Gabinius calesceret. tralatio. agitati enim non modo corporis, verum etiam animi motu, calescimus. sic M. Cœlius in epistola: *Si Parthi vos nihil calfaciunt.*

Non licuerit] clamore, convicioque populi.

Calidio] M. Calidio; quem fuisse oratorem dulcem potius, quam vehementem, in libro de claris orat. ostenditur.

Catonem] prætorem, de repetundis cognoscentem. ergo, cujus futura de reo quæstio erat, is & de accusatore deligendo ante cognoscebat.

Divinatio] *contentio, quis deberet accusare.* caussam nominis Pedianus exponit, quia non de facto quæreretur, sed de futuro, quæ est *divinatio*, uter deberet accusare.

C. & L. Antonios] tres igitur factiones Gabinium de repetundis postulabant, Memmius, Nero, Antonii: quos in epistola proxima non nominavit: non dum enim exstiterant: itaque ibi, quasi futurum divinaret, non dixit, *tres factiones Gabinium postulant*, sed, *tres adhuc factiones.* nam postea quarta factio, Antonii postularunt, deinde & quincta P. Sulla, ut est in epistola ad Att. 16. lib. 4. Fratres fuerunt M. Antonii, postea triumviri; filii Marci, ejus, qui, gratia Cottæ consulis, & Cethegi factione in senatu, curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ, Siciliam & provincias omnes depopulatus est; ad postremum, inferens Cretensibus bellum, morbo interiit. hujus igitur filii Cajus & Lucius, nepotes vero Marci, clarissimi oratoris.

M. F.] sic antiqui scribebant: non nulli postea sic, M. F^os^. inde natus error apud antiquitatis imperitos, ut, *meos*, non *M. F.* le-

legendum putarent, ob similitudinem F. & E. quod ideo dictum a me volui, quia video in aliquos etiam impressos libros hanc mendam irrepsisse. idque ut monerem, operæpretium existimavi.

Negotium invertit] res Gabinii perditas restituit. hoc non sine caussa Cicero timebat. opes enim Pompeji maximæ; qui etiam suo studio, ut Gabinius de majestate absolveretur, obtinuerit. infra, & ad Att. ep. 16. l. 4.

Delectare] odio senatus in Gabinium, amore in me.

Pag. 91. *Subitoque*] cum hoc verbum Cicero posuit, proxima spectavit, quod supra, quod infra; supra, quod dixerat, *triumphum se postulare dixisset*; infra, quod infert, *bonus imperator noctu in urbem hostium invasisset*. altero enim Gabinii levitas, & inconstantia coarguitur; qui, cum de triumpho ubique jactitasset, subito, abjecta triumphi postulatione, in urbem introisset: altero, ejusdem turpitudo, & improbitatis conscientia notatur; qui non interdiu sit ausus introire; cum intelligeret ita se de civitate ac de republica esse meritum, ut, si luce ingrederetur, ab occurrente populo non salutationes honorificas, non ullas laudes, sed omnia probra, omnes contumelias merito posset exspectare. Subito autem non ita restricte dictum, ut subito post adventum Gabinii ad urbem intelligi debeat: mansit enim ad urbem per novem dies, cum accessisset XII. Kal. Oct. introisset IV. Kal. sed, Subito, præter exspectationem: cum ex eo rumore, quem ipse passim dissipaverat, triumphans potius ingressurus esse videretur.

Bonus imperator] ex ambiguo ludit. nam periti imperatores plerumque noctu irrumpunt in urbes hostium. iste vero, nequam imperator, cum se odio esse civitati sentiret, sic ut eum hostis loco haberet, noctu introivit, convicia veritus & contumelias, si interdiu ingrederetur.

Hostium plane] cives enim hostes ei plane sunt.

Invasisset] dicendum erat, *introisset*: maluit, *invasisset*; ut in tralatione persisteret. noctu enim Gabinius, præter exspectationem, bonorum imperatorum exemplo, cum urbes hostium invadunt, introierat. ita tribus verbis a Cicerone, eleganter sane & apte de introitu Gabinii, comprehensa tralatio est, his inquam, *imperator*, *hostium*, *invasisset*.

Non committebat] ut odiosa de re dixit proprie, *committebat*. timebat enim senatum: oderat eum, eique pariter odio erat, jam inde a consulatu. dixerat enim in concione *consul*, hoc est is, qui tueri senatus auctoritatem deberet; *Errare homines, si senatum aliquid in republica posse arbitrarentur*. pro Sextio.

Ipso] distulit, quoad potuit: ipso demum die decimo, ultra quem differre non poterat, in senatum venit.

Decimo] ab introitu in urbem. ergo nonis Oct. nam introivit IV. kal.

Oportebat] jubente lege; aut more majorum.

Hostium] lege cautum erat, quod Valerius libro III. narrat, & Dio libro XXXVII. significat, ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium una acie cecidisset. hic, non dubito, quin aliud agatur. non enim triumphaverat Gabinius, aut, cum in urbem jam esset ingressus, de triumpho poterat cogitare. quare crediderim, non iis modo, qui triumphassent, aut triumphaturi essent, sed omnibus plane imperatoribus, e provincia reversis, usitatum hoc fuisse, ut cæsorum non tam hostium, quam militum numerum in senatu exponerent. Bessarionis liber habet, *hostiarum*. & in epistola M. Cœlii, ubi legitur in impressis, *cum de hostibus ageretur*, in scriptis aliquot vidimus, *hostiis*. quo tamen in loco sequi maluimus eos, qui habent, *hostibus*, adducti Valerii Maximi auctoritate, qui legem illam de cæsorum hostium & militum numero commemorat.

In re hæsit] magis placet, quod aliis video, *inrepsit*: cum eo tamen placet, si veteres libri consentiunt. nam Bessarionis liber, *in re hæsit*, habet: quod est, *in recitando, implicitus ignoratione rei*. *Inrepsit* vero valet hoc, venisse Gabinium in senatum & invitum & latenter more animalium repentium. cursu enim voluntas major declaratur.

Infrequentia] cum e provincia reversos, quo primum die ad senatum adeunt, propinqui, familiares, clientes comitatu maximo soleant honestare.

Exire] hostium & militum numero recitato: quasi, præterea quod ageret in senatu, nihil ei restaret.

A consulibus] Appio & Domitio: quorum Domitius Pompeji caussa, inimicissimi sui, Gabinium oderat; Appius, quia missum in Syriam legatum, ut in Dione legimus, recipere noluerat: qui etiam illum eo die accusavit majestatis: quod in hac ipsa scriptum est epistola.

Publicani] Syriani, Gabinio infensi. questum enim sua damna ad senatum venerant: quod, cum Gabinius, finibus provinciæ suæ contra leges egressus, Alexandriam ad restituendum Ptolemæum cum exercitu profectus esset; prædones per ejus absentiam maritima Syriæ loca vastarunt. quo facto, publicanis ea, quæ de publico redemerant, exigere non licuit. Dio lib. XXXIX.

Et cum a me] potest non abundare, etsi videtur, particula, ET. nam est, *cum vulneraretur, & a me maxime*. potest etiam abundare: quod eam addiderit imperitus; qui cum videret, *A tuis*, (sic enim est in libris aliquot scriptis, non, ut postremo impressis, *actus*) copulam necessariam duxerit: ut ad verbum, *vulneraretur*, utrumque referretur, hoc modo: *Cum a tuis, & a me maxime vulneraretur*.

Vulneraretur] accusaretur, a venatione tralatio. feræ enim undique actæ vulnerantur. ideo intulit, *vulneraretur*; cum, *actus*, jam dixisset.

Non

Non tulit] sustinere tacitus non potuit. sic in III. de orat. *Cum homini & vehementi & diserto & in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, & graviter exarsit.*

Trementis] ut hominis ira commoti.

Exsulem] quia lege Clodia, ipso consule Gabinio, pulsus, per sexdecim menses urbe caruerat. hujusce nominis contumeliam, etiam a P. Clodio sibi objectam, diluit ac purgat in paradoxo multis verbis.

Impetu] impetum significavit senatus, cum dixit, *ut ad corpus ejus accederet.*

Publicani] Gabinio, propter damna & injurias ab illo acceptas, infensi; Ciceroni, consulatus beneficio, conjuncti. ut omittam, quod Cicero patre natus erat equite Romano, & publicani omnes equestris ordinis, quo videbatur quiddam inter eos necessitudinis intercedere.

Pag. 92. *Foris*] passim, non solum in senatu, sed apud cæteros etiam. sic locutus est in epistola longa ad Lentulum: *Cum ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset.* & ad Quinctum fratrem: *Foris valde plauditur. in vulgus* alibi dixit, eadem sententia.

Clarius] hac, quam senatus dedit, significatione voluntatis erga me.

Teneo] antique, pro *teneo me.* Tenuit se Cicero ab accusando Gabinio, quod infra quoque confirmat, in caussa majestatis: de repetundis vero non modo non accusavit, verum etiam rogatu Pompeji defendit: quod & Dio lib. XXXIX. narrat, & ipse in epistola ad Marium significat. Illud mirari non satis possum, quod ab eodem Dione traditum video; Gabinium a Cicerone de majestate gravissime accusatum. quod aperte falsum ostendit ipse Cicero & hic, & apertius etiam infra in epistola 4. nisi si, ut a teste Cicerone non ut ab accusatore Gabinium accusatum intelligas. acerbe enim testimonium in illum dixit: quod infra in ultima scribit epistola: *Testis*, inquit, *vehemens fui, præterea quievi.*

Cum Pompejo] qui Gabinii patrocinium ideo suscipiet, quod ipse Gabinium, ut Ptolemæum in regnum reduceret, scriptis litteris impulerat. Dio lib. XXXIX.

Quod instat] in quo vereor ne Pompeji animum offendam. ille enim favebit Guttæ, ego Miloni, de me optime merito. infra, in ultima epistola.

Vel quod judices nullos] etiam in ad Atticum epistola lib. IV. caussam absoluti Gabinii confert in Pompeji contentionem, judicum sordes. item hic, infra. Quod autem est in impressis libris, *vel quod*; mendosum existimo. Nam Bessarionis liber habet, *id quod.* unde factum suspicor, *vel quod*, eorum temeritate, quorum aures imperitæ antiquam, non tamen satis usu pervulgatam, lo-

loquendi rationem inique ferrent. est enim, *id quod*, pro *ideo quod*. sic locutus est is, qui mihi est post Ciceronem familiarissimus Terentius in Heautontimorumeno:

Id quòd est consimilis moribus, convinces facile ex te natum.

Et in *Hecyra*:

Illico læta exclamant, venit, id quod me repente aspexerant.

sic & *Livius* lib. XLI. *id quod erat vetusta conjunctio cum Macedonibus.* totum igitur hunc locum ita legerem ac distinguerem: *Teneo ab accusando, vix mehercule, sed tamen teneo, id quod nolo cum Pompejo pugnare: (satis est quod instat de Milone) id quod judices nullos habemus; ἀπότευγμα formido.* quemadmodum enim, ubi est in impressis, *vel quod judices*, mendosum esse Bessarionis liber ostendit: sic illud, *vel quod nolo*, non sincerum esse, facile possum suspicari: cum eadem utrumque potuerit caussa depravare.

ἀπότευγμα] absolutionem Gabinii, propter judicum sordes, formido. timeo, inquit, ne non assequar, quod velim. nam ἀποτυγχάνω, spe frustror, non obtineo.

Malevolentiam] in ipsum, an in Gabinium? in ipsum: nam caussas colligit, cur ab accusando se teneat hæ sunt, *Pompejus*, *judices*, *hominum malevolentia*. suos enim ipse quoque malevolos habebat.

Aliquid accidat] contra quam accideret me non accusante. timeo, ne absolvatur. nam, qui me oderunt, fortasse illum, me accusante, sublevarent.

Nec despero] nam, ne desperem omnino Pompejus & judicum infirmitas facit.

Non nihil per me] qui ut non accusem, aliis tamen accusantibus opem aliquam sumministrabo. &, *non nihil*, ne, si vehementer, Pompejum a se abalienet: cum quo pugnare nolebat.

Confici] ut judicio condemnetur.

A Memmio Domitius] candidatus a candidato. absolutum constat, quia consul fuit anno proximo cum Messalla: nec Domitium modo, sed omnes plane candidatos. nam in ultima epistola, *Messallam*, inquit, *jam nostrum*, *reliquosque molestia levatos, vehementer gaudeo*. aut igitur is, qui exsulavit Athenis, ad quem scribuntur a Cicerone epistolæ lib. fam. XIII. alius Memmius est; (meminimus autem supra quoque de duobus Memmiis, quorum utrique prænomen fuerit Cajo) aut, si hic est, postea in alio judicio condemnatus.

A Q. Curtio] hunc ignoro prorsus. Magnuli liber, ad manuscripti exemplum emendatus, *Acutio*, mendose; fortasse tamen cum vestigio veritatis.

Q. Pompejo] Rufo, ut ad Atticum epist. 16. l. 4. Sullæ dictatoris ex filia nepote, ut apud Pedianum. hic biennio post tribunus

nus pl. occiso Clodio, sæpe atque acriter in Milonem ac Ciceronem etiam ipsum concionatus est. Pedianus. *exsulem* significat Cœlius in epist. 1. lib. IIX. fam.

Triario] adolescente, qui eum paullo ante de repetundis accusaverat. *paratum fuisse ad dicendum*, & *nota industria*, Pedianus tradit. filius fortasse fuit ejus, cujus orationem Cicero *plenam litteratæ senectutis* appellat in Bruto.

Aut hominum, aut legum] aut candidatorum, si condemnantur; aut legum, si absolvuntur. leges enim videntur interire, cum nocentes absolvuntur rei. culpam significat candidatorum, ut supra, cum dixit: *Ita erant progressi candidati consulares, ut non esset ferendum.* & ad Att. *Tres candidati fore rei putabantur. quid poteris, inquies, pro iis dicere? ne vivam, si scio.*

Interitus] calamitas, exsulium. *mortis* enim *supplicium* Sempronia lex a civibus R. amovebat. sic infra, *Periturus reliquis judiciis*, de Gabinio dixit, cum damnationem intelligeret.

Ut judicia ne fiant] aliquo tribuno pl. intercedente. etiam edicto consulis judicia sublata animadverti, ut cum de vi Clodium accusavit Milo, Lentulo & Nepote cos. pro Sextio, *consul*, inquit, *prætor*, *tribunus pl. nova novi generis edicta proponunt: ne reus adsit, ne citetur: ne quæratur: ne mentionem omnino cuiquam judicum, aut judiciorum facere liceat.* idemque ep. 9. l. 1. fam. his verbis: *Cum tribunus pl. pœnas a seditioso cive per bonos viros judicio persequi vellet, exemplum præclarissimum in posterum vindicandæ seditionis de rep. sustulerunt.* confirmat Dio libro, opinor, XXXIX.

Interregnum] quo deducta est. quod autem hic, *res videtur spectare ad interregnum*, ad Att. ep. 16. l. 4. dixit, *res fluit ad interregnum.*

Rei nolunt] itaque obnuntiationibus dies comitiorum sustulerunt. quod in epistola proxima ostendetur. & ad Att. ep. 16. l. 4. Nolebant autem ideo haberi comitia candidati consulares, quo plus haberent spatii ad hominum studia colligenda.

Maxime Memmius] cujus etiam caussa fore putaretur aliquis tribunus pl. qui comitia in adventum Cæsaris detruderet. ad Att. ep. 16. l. 4.

Cæsaris adventu] in urbem? minime: quia cum imperio Cæsar erat: nemo autem cum imperio urbem introibat, exceptis qui triumphabant: quorum ipso triumphi die finiebatur imperium. Ad urbem? ne id quidem: præfectis enim provinciarum egredi provinciæ terminis non licebat: & provinciæ Galliæ, quam Cæsar administrabat, Rubico flumen erat finis. Quo igitur? in Galliam Togatam, Cæsaris provinciæ partem, quæ ad suffragia veniebat, non tamen universa, sed coloniæ tantum Romanæ & municipia. quod etiam diximus in commen. ep. 1. l. 1. ad Att. his igitur ad comitia venientibus fore sperabat Memmius ut a Cæsare commendaretur: simul illud, ut, cum pera-

gendorum

gendorum conventuum caussa Cæsar alpes transisset, de suis militibus Romam mitteret, qui Memmium in petitione consulatus adjuvarent. itaque ad Att. ep. 17. l. 4. *Memmius*, inquit, *Cæsaris commendetur militibus*. & hic, in epistola ultima.

Jacet] minime futurus consul putatur. infra de eodem, *friget*, dixit: supra de Messalla, *flaccet*: & ad Atticum de eodem ep. 15. l. 4. *Languet*. hæc ad copiam latinæ linguæ.

Videbatur] & fuit, plebejus cum patricio. populum enim liberalitate deleniverunt. ad Att. ep. 16. l. 4. *Messalla noster*, inquit, *& ejus competitor Domitius liberalis in populo valde fuit*. nihil gratius. certi erant consules.

Refrixerat] desertus a Pompejo. nam in postrema epistola, *Scaurum*, inquit, *jam pridem Pompejus abjecit*. de quo etiam suspicio quædam fuerat. nota enim erat Pompeji simulatio. itaque ad Att. ep. 15. l. 4. *Pompejus Scauro studet, sed utrum fronte, an mente, dubitatur*. *Refrixerat*: *desierat consul putari*. amisso enim Pompeji studio, simul opinionem consulatus amiserat.

Sine lege curiata] Aliquem, opinor, tribunum pl. cum ferretur curiata lex, timebat intercessorem. ideo etiam cum C. Memmio & Cn. Domitio Calvino turpissima pactione coiit, de qua ad Atticum l. 4. ep. 18. ut ambo HS cccc consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset. quo patefit summa in Appio provinciæ cupiditas. Imperium dabat populus lege curiata, senatus lege Cornelia. qui lege curiata, sumptu publico, qui Cornelia, suo ibant in provinciam. ideo in epistola ad Atticum 16. lib. IV. *Appius*, inquit, *sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat*. & fam. epistola 9. lib. I.

Lentulo nostro] Spintheri, Ciliciam administranti, qui Ciceronem consul ab exilio restituerat.

Illo die] de quo dixit jam, *ipso decimo die*: cum Gabinius in senatu actus & vexatus undique est.

Accusavit] non ad prætorem in foro, sed in senatu.

Data] prolata, eorum qui participes aut conscii fuerant majestatis imminutæ: quibus testibus convinci Gabinius posset.

Ipsa domus] quod scilicet reliquum erat, *expolitio*. jam enim ædificatam magna ex parte crediderim; cum in proxima superiore epistola dixerit, *Urbanam expolitionem urget Philotimus*. & in ea, quæ sequitur proxima, *expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus*. Nec unius Quincti, sed utriusque domum intelligo, cum sequatur, *a redemptoribus*, suum enim uterque redemptorem habebat. itaque ep. IV. l. II. *Redemptori*, inquit, *tuo dimidium pecunia curavi*. quo item in loco de utriusque conjuncta domo cognoscitur. ergo cum dixit, *domi recte*, de utriusque pariter domesticis rebus intellexit.

Tractatur non indiligenter] satis curatur strenue, urgentibus Philotimo

Postumo & Cincio, ipso etiam Cicerone crebro intervisente. supra in epist. proxima. Et quod hic μεταφορικῶς dixit, *Tractatur*; in proxima epist. eadem tralatione usus, *in manibus sunt*.

EXPLANATIO EPISTOLÆ III.

Iisdem consulibus.

Pag. 93. *Quidquid conficio, aut cogito*,] quidquid scribo, quidquid, quod deinde scribatur, cogito.

Negotia nostra] quæ ad me pertinent, ea quo modo se habeant, ostendi, cum dixi: *Diem scito esse nullum* &c.

Expolitiones] ædium nostrarum. ep. 1. hujus libri.

Sunt in manibus,] tractantur, curantur. epistola, quæ antecedit, proxima, in extremo.

Jam res rustica] sive sic, ut est in scripto Bessarionis libro, legas; sive, ut in impressis omnibus, præter hunc nostrum postremo editum, *jam res est rustica*; utroque modo subesse mendum intelligetur. mihi Bessarionis librum, cujus habeo jam satis perspectam bonitatem, sequi placuit: ad eumque volo, quasi minus remotum à veritate, meam correctionem accommodare. opinor enim, nec fortasse non recte, legendum sic: *Jam, res rusticas*: ut *Rusticas*, dictum accusandi casu, verbum, *perscriberem*, infra positum spectet. nam & in ea ipsa, quam significat, epistola, cum de Arcano & Laterio plene scripsisset, conclusit eam partem his verbis: *Habes fere de rebus rusticis*. deinde subjunxit de urbanarum ædium expolitione.

Arcani, & Laterii] dixi jam, loca fuisse in Arpinati, quæ Quinctus possidebat. quid aliud? etiam. nam mihi sæpe, quæ difficultatis habere nihil videntur, in iis mea scrupulum injecit cogitatio. Hic sine dubio quasi retractat Cicero breviter ea, quæ scripsit multis verbis in epistola 1. hujus libri. dubitare igitur aliquis jure possit, cur hic Arcanum & Laterium modo nominet, cum in ea epistola de Manliano præterea, de Fufidiano, deque Boviliano fundis mentionem fecerit. Ad hanc dubitationem id, de quo quidem mihi dubitatio nulla est, respondebo, Manlianum, Fufidianum, Bovilianum, non ab Arcano loca separata, sed ipsius Arcani partes fuisse: ut *Arcanum* loci generale nomen esset, quo multi fundi continerentur.

Præterea] ergo, cum dixit, *res rustica Arcani & Laterii*, non de tota rustica re, sed de villis tantum intellexit; cum adjungat, *de aqua*, *de via*.

Enucleate] diligenter, & plane. hoc enim vocabulum Nonius ex-

explanat, *purgate, exquisite, sine asperitate, aut duritie. ductum a nucleis nucum.*

Ex istis locis] ex Britannia.

Mare istuc, & terra] maritimæ tempestates, terrestres pugnæ.

Tolluntur] sublatos ad usque pridie Kal. Oct. constat ex epistola ad Atticum 26. lib. 4.

Pag. 94. *Obnunciationibus*] per Q. Mucium Scævolam tribunum pl. interpositis, opera candidatorum consularium; qui produci comitia volebant, quo possent, nummis interea distributis, populi voluntatem sibi adjungere. significavit jam hoc in epistola proxima, dixit ad Atticum ep. 16. l. 4. *Obnunciare* quid sit, notum satis est.

Bonorum] qui comitia haberi eo anno a consulibus nolebant, ne præmia consequerentur pacta a Memmio & Calvino, consularibus candidatis.

Suspicionem] nondum enim pactionem illam Memmius in senatu recitaverat. ad Att. epist. 18. l. 4.

Præmiorum] HS quadringena, hoc est scutatos aureos duodecim millia. ep. ult. lib. IV. ad Att.

Quattuor] manifestum est, significari duos patricios, Messallam, & Scaurum; duos plebejos, Calvinum, & Memmium.

Rei] de ambitu postulati. epistola quæ huic antecedit.

Difficilis] quæ non facile defendi possint. quorum enim ita progressa licentia est, ut nummos contra leges, palam, tributim, uno loco diviserint, pro iis quid est quod quisquam possit dicere? ad Att. ep. 26. l. 4.

Enitemur,] studio, & precibus, non patrocinio. non enim puto defensum a Cicerone Messallam. nam etsi in epistola ad Att. 16. l. 4. cum dixit, *quid poteris, inquies, pro iis dicere? ne vivam, si scio*: fore videtur significare, ut eorum caussas susciperet: tamen, id ut existimem non esse factum, adducor iis verbis, quæ sunt infra in ultima epistola: *Messallam jam nostrum, reliquosque molestia levatos, vehementer gaudeo.* non enim de suo patrocinio tacuisset.

Cum reliquorum salute] Messallæ enim absolutio reliquorum candidatorum caussas præjudicio sublevabit. Ergo Messallæ judicium videt Cicero primo loco factum iri, deinde reliquorum.

P. Sulla] is, qui de ambitu, accusante L. Torquato competitore, damnatus est, postea de vi a Cicerone defensus: quæ exstat oratio. dextrum in exercitu Cæsaris cornu rexit in acie Pharsalica. ipsi enim Cæsari, de se ipso scribenti, fidem habeo potius, quam Plutarcho, qui dextro cornu Cæsarem, sinistro Antonium præfuisse tradit, de P. Sulla verbum facit nullum. hunc opinor significari in epistola ad Dolabellam, fam. lib. 12. & de off. l. 2. Sed inquiro ipse in me, ne quid in historia peccem, nominum similitudine deceptus. quam esse lubricam admodum ra-

tationem, ideoque sibi in ea permultos animadverto. Nam cum statuissem jam, ut omnino nihil dubitans, hunc esse P. Sullam, qui consul cum P. Autronio Paeto designatus est, de ambituque L. Torquato accusante damnatus: orta mihi suspicio est, cum hic Sulla Gabinium Romae reum faciat, non esse eum, qui judicio de ambitu convictus est. nam de ambitu damnatos exsulii poena sequebatur. quod in oratione pro Plancio declaratur his verbis: *Nunc postulatur a vobis, ut ejus exsulio, qui creatus sit, judicium populi reprehendatis.* idque in eadem infra confirmatur: *Agitur*, inquit, *Plancii salus, patria, fortuna.* Sane mihi hæc aliquandiu molesta dubitatio fuit. postea quasi nodum solvit observatio. reperi enim in oratione pro Sulla id ipsum, quod quia suspicatus jam eram, attenta lectione quærebam; hoc videlicet: quo anno Sulla est damnatus, non dum ambitus pœnam exsulium fuisse. sic enim in ea de Sulla, ambitus antea condemnato, Cicero loquitur: *Abfuit ab oculis vestris, &, cum lege retineretur, ipse se exsulio pene multavit.* Ergo, quo anno habita est oratio pro Plancio, exsulabant de ambitu damnati; quo damnatus est Sulla, non exsulabant. Placuit etiam quærere, quo anno lex, quæ exsulium irrogabat, lata sit. comperi. lata est ab ipso Cicerone consule, triennio post Sullam damnatum. docet hoc duobus in locis oratio pro Murena. hoc amplius ex Dione cognoscitur, exsulium illud per decem annos fuisse.

Fratre] uterino, cum sit Cæciliæ gentis: nam Sulla Cornelius.

Sulla filio] quem in ea, quam nominavi proxime, Cassius epistola significat, cum ait: *Sectorem Cæsar non desiderabit, cum filium viderit.*

Contradixit] in divinationis judicio: accusator enim, Sulla rejecto, deligi volebat. ad Att. ep. 16. l. 4. *Gabinium*, inquit, *P. Sulla, non dubitans quin foris esset, postularat, contradicente, & nihil obtinente Torquato.*

Torquatus] is, qui hunc Sullam de vi accusavit, filius ejus, qui eundem de ambitu accusaverat, & damnaverat: ut æternas cum P. Sulla gerere inimicitias viderentur.

Libentibus] nimium enim infesti Sullæ Torquati videbantur. damnaverant ambitus: consulatum eripuerant: de vi accusaverant: an etiam alterius accusandi locum, ipso repulso, obtinerent? nimia hæc quidem arrogantia. itaque propensiores in Sullam homines, quam in Torquatum, qui vetere inimici calamitate contentus non esset.

Omnium generum] ut universus pæne populus ad judicium concurrerit; parumque abfuerit, quin eum discerperet. Dio libro XXXIX.

Cæditur]. accusatur, affligitur. ductum a pugnantibus.

Accusatoribus] L. Lentulum, ejusque subscriptores intelligit. epistola proxima, & ad Atticum epistola 16. lib. 4.

Consilium varium] judices non omnes boni, non omnes improbi.

Quæsitor] qui de majestate quærebat, qui quæstioni præerat, prætor Alfius. *quæsitor* est quicumque de aliquo quærit crimine, etiam si prætor non sit. itaque C. Junium, qui de Oppianici veneficio, accusante Cluentio, quæsierat, Pedianus *quæsitorem* appellat: cum tamen is prætor non esset, ut pro Cluentio declarat oratio. *prætor* igitur omnis *quæsitor* est, præter urbanum, qui numquam quærit, sed tantum jus dicit, *quæsitor* autem non omnis est *prætor*. quod in libro de legibus Romanis demonstratum est.

Gravis & firmus] quem nihil moveat, nihil flectat.

Locum tamen] etiam si de majestate absolvatur; fore tamen video, ut aut de repetundis, aut de ambitu damnetur. itaque omnino locum in civitate non habebit: ibit in exsulium.

Moderatum] non nimis cupidum. testis enim fuit, præterea quievit. epist. ult.

Lenissimum] quod evenerit, æquo animo feram.

Θετικώτερον,] subtilius, philosophicis quæstionibus magis refertum.

Declamatorio] in quo illum rhetor Pæonius exercet: quod potius in quadam verborum copia, quam in sententiarum acumine, consistit.

Pag. 95. *Merces*] amoris augendi erga me tui. epistola hujus libri prima.

Spe] tui ditandi, vel ex præda bellica, vel e Cæsaris liberalitate.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ IV.

Iisdem consulibus.

Pag. 95. ABsolutus] de majestate.

Sordidius] improbius. sic ad Att. epist. 16. lib. 4. de iisdem, *judicum sordes*, dixit.

Dictaturæ] quam Pompejo delatum iri omnes videbant, principi civitatis. hic igitur judices timor commovit. quod in ad Atticum epistola confirmatur his verbis: *Est nonnullus odor dictaturæ, sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos judices adjuvit.*

XXXII.] in antiquis libris, XXII. ego, XXXII. ex epistola ad Atticum 16. l. 4.

LXX.] in oratione in Pisonem LXXV. commemorat.

Reliquis judiciis] de repetundis, de ambitu. supra.

Periturus] quod evenit. damnatum enim Dio scribit lib. XXXIX.

Se-

Sederunt] de judicibus proprie. passim exempla in Ciceronis orationibus. Et, judicasse prætorios, ne miremur: cum universa judicum sortitio de tribus ordinibus a quæstoribus urbanis fieret, altera deinde sortitio a singulis prætoribus. ita non modo prætorii, verum etiam consulares interdum, una cum iis, qui nullos gesserant magistratus, judicabant.

Aperte] ergo prætorius homo & improbus, qui Gabinium, manifestæ culpæ reum, absolveret; & impudenter improbus, qui sic absolveret, ut omnes viderent: cum ceteri sententias tecte ferrent. ex quo, quæ tum fuerit forma reipublicæ, quam inquinata vitiis, quam non similis antiquæ, licet existimare: cum Calvinus, qui cum consulibus turpissima pactione coierat, quam C. Memmius, ejusdem pactionis particeps, in senatu recitavit; qui Gabinium, cujus crimina luce clarius patebant, aperte absolverat; consul tamen fuerit anno sequenti.

Cato] non is, qui postea *Uticensis* dictus est. erat enim hoc anno prætor, ut in prima hujus libri epistola demonstratum est. prætores autem in aliorum prætorum consilio judices sedisse, non est ut credi possit. Accedit illa ratio, quod vir omnium optimus & constantissimus cum esset, numquam, adulandi gratia, Gabinium absolutum primus Pompejo nuntiasset. est igitur alius Cato, vel Porcius, vel Hostilius; qui sua sententia Gabinium videtur absolvisse. de C. Catone, qui tribunus pl. fuit Marcellino & Philippo cos. non licet intelligi. non enim uno tantum anno post tribunatum gerere præturam potuit.

Diruptis] malim *diremptis*, pro, *discretis*, *dinumeratis*: ut, quæ damnassent, cognosceretur. non enim discessit Cato, nisi postea quam, tabellis dinumeratis, Gabinium vidit absolutum. eademque conjectura ductus legendum crediderim in oratione pro Plancio *diremptio*, non *direptio*. sic Lucanus lib. v. *Et non admissæ dirimit suffragia plebis.* sic apud Varronem l. 3. de re rustica: *dum dirimuntur suffragia, villæ publicæ utamur umbra.*

Circulo] ubi judices circa prætoris tribunal sedentes sententias tulerant.

Pag. 96. *Pompejo*] extra urbem. nam erat cum imperio. id confirmant illa, quæ paullo post sequuntur, verba: *In urbem introisset.* & Dio lib. XXXIX. non affuisse Pompejum tradit: cum enim ad hoc judicium venire voluisset, paulloque tardior fuisset, ad urbem judicii exitum exspectasse.

Nuntiavit] cupiens cupienti.

Committerem] caussam.

Quid essem,] quam apud homines turpis?

Elapsus?] non hic tantum, sed alibi sæpe hoc verbum pro, *absolutus*, usurpatum.

De sua dignitate] quasi ego vellem experiri, uter plus valeret, ipse ad absolutionem, ego ad condemnationem Gabinii.

Introisset] quod, me accusante, plus impendere periculi Gabinio videret, quam accusante L. Lentulo. nunc enim in urbem non introivit: me accusante introisset, sicuti ante introierat, ut laudaret P. Sextium. cujus rei mentio fit ep. fam. 11. impetrabant hoc, opinor, a senatu, qui erant ad urbem cum imperio.

Cum Æsernino] insigne par gladiatorum inductum videretur, ut Pacideianus cum Æsernino pugnaturus: de quibus Lucilius poeta. vide libellum de optimo genere oratorum.

Auriculam] quod inter pugnantes, ubi ad complexum ventum est, quandoque contigit. non discedit a similitudine gladiatorum.

Clodio] inimico suo, ut constat ex ep. III. l. II.

Meum consilium] quod Gabinium eam ob caussam maxime non accusaverim, ne Pompejum offenderem.

Singularibus] cum & prætor Maniliam rogationem, de committenda Pompejo belli Mithridatici cura, luculenta, quæ extat, oratione suaserit, & consul, Mithridatico bello confecto, supplicationem ei dierum duodecim decreverit. ep. fam. 12. & in oratione de provinciis.

Dissentientem] cum Cicero pro republica loqueretur; contra, Pompejus, Cæsar, Crassus ad suam potentiam omnia referrent.

Non tulit] offensus enim ob eam caussam, ejici me, contra quam promiserat, in exsulium a Clodio passus est.

Non dicam gravius] Non dicam, quod vere possem, *prodidit.* ejus enim in me perfidiam leviter notatam volo.

Minus potens] nam postea, discessu Cæsaris & Crassi, potentia Pompeji ad summum pervenit.

Alterutrum] si Pompeji caussa, Sallustius aiebat, Gabinium accusare noluisti: at ejusdem caussa defendisses.

Defendisses] elegans & antiqua locutio, pro eo, quod vulgo dicunt, *defendere debebas.* sic. l. 3. in Verrem. *Voconia lex te videlicet delectabat: imitatus esses illum ipsum C. Voconium.* & de off. III. *Male Curio, cum caussam transpadanorum æquam esse dicebat; semper autem addebat, Vincat utilitas. potius diceret; non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ, quam, cum æquam esse diceret, non esse utilem fateretur.*

Pag. 97. *Contendenti*] vehementer oranti; ut se ipse proxime sequentibus verbis exponit.

Inimicitias] cum Pompejo, si Gabinium accusarem.

Infamiam] si defenderem.

Hac mediocritate] cum neque accusaverim, neque defenderim, sed mediam quasi viam tenuerim, citra periculum & infamiam. Infra, in ultima epistola, *illum*, inquit, *neque ursi, neque levavi: testis vehemens fui: præterea quievi.*

Gravissime] vehementer. nam infra, *testis*, inquit, *vehemens fui.*

In civitate] si absolutus esset. damnati enim de majestate exulabant.

Satisfacturum] gratiam relaturum, quod eum non accusassem, testimonio contentus.

Neque me interrogavit] hoc faciebant rei, quo testes in mendacio deprehenderent. sic apud Pedianum, interrogatos a reo Milone testes, quos accusator produxerat, legimus. fuit igitur honorificum Ciceroni, a reo nihil interrogari: quasi nihil, nisi secundum fidem & religionem, dixisset.

Commutandis] quia vel mendose, vel non belle scripti.

Tibi scribi] quibus uteris, ut tuis. supra in ep. ult. lib. II. in extremo, & prima lib. III.

Opera] operam in hac re ponere non possum.

Ἐνθουσιασμὸς] furor ille, qui poetis divinitus inspiratur. quod in epistola sequenti dixit, *non satis commoveor animo ad ea, quæ vis, canenda.*

Sine cura] timebat omnino, ne prætor esset anno sequenti P. Clodius. is enim erat ei legitimus annus, cum ædilis fuisset Marcellino & Philippo cos.

Chrysippo] & hic, & Tyrannio servi erant litterati, Tyrannio etiam Quincti filii magister. supra, & ad Atticum.

Fisco] ærario. hac de re extrema epistola sequenti his verbis: *Ab ærario puto confectum esse, dum absum.* quærere præterea, quid plane rei sit, inepti hominis esset, vereque, quod ajunt, nodum in scirpo quærentis.

De Ascanione] servo fortasse manumittendo. quod Cicero non videtur probare, sicuti nec de Statio probaverat.

De suburbano] emendo. de quo scripserat Quinctus ad Anitium. ep. hujus l. I. VIII.

Kal. Nov.] forte VI. nam in vetere Romano Kalendario primum video ludorum Victoriæ diem VI. Kal. Nov.

Committebantur] *comitti ludos*, pro *incipi*, ignorat, opinor, nemo.

Quam vellem] non placet hæc loquendi ratio, *non longius, quam vellem.* perpendatur sententia: inesse quiddam, quod teretes aures offendat, sentietur. forte abundat, *quam vellem.*

Pontinio] C. Pontinio, de Allobrogibus triumphaturo. præturam gessit Cicerone consule. ejusdem in Cilicia legatus fuit.

III. Non.] in ad Atticum epistola 16. lib. 4. est, IV. *Non.*

Servilius] Isaurici filius.

Pag. 98. *Secum habebit*] vide nostrum commentarium. quo in loco illud exposuimus, *erit cum Pontinio Appius consul.* ep. 16. lib. 4.

Ἄρη πνέων] Martem spirans. dictum de iis, qui terribile quiddam vultu præseferunt. sic in ad Atticum ep. XI. lib. 15. *Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius, (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum.* ἄρη βλέπων, dixit Aristophanes.

Scævola] tribunus pl. ad Atticum ep. 16. lib. 4.

EXPLANATIO EPISTOLÆ V.

Iisdem consulibus.

Pag. 98. DE *illis libris*] de republica. libro II. epistola, *duas.*

Novendialibus] novem dierum, ut proxime patebit.

Africani] minoris, ut ex Macrobio colligitur.

Lælii] duo C. Lælii fuere, alter majoris Africani, alter minoris amicissimus, hic cum Q. Servilio Cæpione, ille cum L. Cornelio Asiatico consul. nunc de posteriore fit mentio.

Phili] P. Furii Phili, qui consul fuit cum Sex. Atilio Serano.

Manilii] M. Manilii, qui cum L. Marcio Censorino consul fuit.

Tuberonis,] Q. Ælii Tuberonis; qui minoris Africani sorore, L. Æmilii Paulli filia, natus est. in oratione pro Murena, & alibi.

Fannii, *&* *Scævolæ*] quos in libro de amicitia cum socero colloquentes facit. Rutilium hic non nominat; de quo mentionem facit ad Atticum epist. 16. lib. 4.

Novem dies] feriarum. ideo Novemdiales dicti.

Libros] quos tamen in sex postea contulit.

Pag. 99. *Sallustio*] de quo in epistola proxima superiore.

Si ipse loquerer] ut Aristoteles in politicis, omisso dialogo.

Heraclides Ponticus] mollis philosophus, ut pro, *Ponticus*, *Pompicus* vocaretur. Laertius.

Consularis] quem oratio de statu civitatis optimo, deque optimo item cive decere videretur. dignitas enim personæ pondus affert orationi.

Nostris libris] tribus de oratore.

Belle] cum caussa: ne viderer mihi perfectam dicendi rationem arrogare.

Vidissem] vidit enim Cicero, ac sæpe dicentes audivit, Crassum, Antonium, Scævolam, Catulum, Cæsarem, Cottam, Sulpicium, quibus tribuit sermonem de ratione dicendi: at vero Africanum, Lælium, Philum, Manilium, Tuberonem non vidit: unum Scævolam puer cognovit: ut est in libro de amicitia.

De rep. & præstante viro] scribit enim in suis, qui exstant, politicis libris Aristoteles & de optima rep. & de optimo cive. quales erant, qui perierunt, & Ciceronis libri. itaque dixit proxime, *de optimo statu civitatis*, *&* *de optimo cive.*

Commovit me] suum tamen institutum Cicero persecutus est.

Io-

loquitur enim in somnio Scipionis Scipio ipse, Lælio respondens querenti nullas Nasicæ, qui Ti. Gracchum perniciose de re publica cogitantem occiderat, statuas in publico locatas.

Offenderem quempiam] cum attingerem maximos motus nostræ civitatis.

Id vitabo] ne quempiam offendam.

Loquar ipse tecum] te & me de rep. loquentes inducam. quod tamen, ut proxime ostendi, non fecit.

Quæ institueram] duos libros, quos jam nominavit.

Romam] scripsit igitur epistolam in aliqua villarum suarum.

Stomacho] quod ingenii sui quasi partum non libenter imperfectum abjecerit.

Relictos] omissos; cum me Sallustii sermo commovisset.

In ea ambitione] nullam enim ex iis rebus, unde parantur honores, prætermitto: cum de honoribus tamen ipsis, quos mihi Cæsar promittit, non laborem. epistola hujus libri ante ultimam.

Versibus] quos edas pro tuis. epistola, quæ antecedit proxima.

Commoveor animo] abest ἐνθουσιασμός. sic enim dixit in proxima.

Canenda] aptius quam scribenda: quòd poetarum, qui animo commoveantur, quibus scilicet ἐνθουσιασμὸς ille adsit, *canere* proprium est.

Ὑποθέσεις] poematis argumentum: res, de quibus scribatur.

Ea] hoc non ad ὑπόθεσιν, sed ad versuum elegantiam spectat, quod indicant proxima verba: *tu, qui omnes &c.*

Ipse ego] cum mea caussa conor: nedum consequi pro te possim.

Ne cogitando quidem] tu autem ita hæc a me petis, quasi vel sine cogitatione possim præstare.

Pag. 100. *Isto*] versibus faciendis.

Animi alacritate] tria jam, quæ ad poema requirantur, attigit, ἐνθουσιασμὸν, *otium*, *animi alacritatem*.

Tempora] quia video nullam esse remp. nulla judicia.

Auctoritate] ob magistratus administratos, maximasque res pro republica gestas.

Senatoria] æquum enim erat, ut homo hoc ætatis, iis honoribus, iis rebus gestis, ea tantum, quæ in senatu graviter agenda sunt, curarem.

Forensi labore] agendis in foro caussis.

Jactari] quod eum, qui summos honores gesserit, summa in remp. merita contulerit, decere non admodum videtur. *jactari*, enim gravitatem non habet.

Domesticis] quibus domi operam do.

Sustentari] malis reip. fractum. hoc enim eo verbum spectat.

Αἰὲν ἀριστεύειν] versus Homericus in Iliadis Z a Glauco pronunciatus. sed integra duobus versibus sententia comprehenditur.

„ Πέμπε δέ μ' ἐς Τροίην, καὶ μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν,
„ Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. id est,

misit autem me ad Trojam, & mihi valde multa mandavit, semper strenue fortiterque agere, & aliis præstare.

Totum occidisse] nullo prorsus modo fieri. cur? quia, cum inimicos suos partim non oppugnarit, ut Gabinium Pompeji caussa, partim etiam defenderit, ut Vatinium propter Cæsarem; quod utrumque in his epistolis jam demonstratum est; nimirum plane illud amisit, αἰὲν ἀριστεύειν.

Non modo animum,] non modo, inquit, libere sentire non possum, sed nec odisse quos debeo; ne scilicet eorum, qui nunc principes in rep. sunt, animos offendam.

Qui vellet] quasi unus Cæsar non alicujus commodi spe, sed vere atque ex animo planeque sua sponte amaret; alii simulate & astute; quod de Pompejo creditum est: (ideo dixit, *sicut alii putant*) qui Ciceronem, quem, contra datam fidem, pelli passus erat, ideo revocavit ab exsilio, ut ejus opera cum senatu rediret in gratiam. Plutarchus.

Pag. 101. *Multa consolatione*] domesticis litteris. quod proxime dixit. & hic, eodem spectans, intulit, *quotidie*. quotidiana enim tractatio litterarum.

Pansa] C. Vibius Pansa, qui consul cum Hirtio fuit, anno post Cæsaris necem proximo. is, opinor, in exercitu Cæsaris cum Quincto locutus erat de Gabinio defendendo. scripsit Quinctus: respondet Marcus; & rationem affert, cur eum non defenderit.

Concidissem] collectam multis præclare factis gratiam bonorum hac una re profudissem ac perdidissem.

Toti ordines] non modo omnes ordines, (hi tres erant, *senatorius*, *equester*, *plebejus*) sed omnium ordinum omnes homines.

Propter quem oderunt,] odisse cœpissent: qui me simul cum rep. crudelissime ab illo consule vexatum recordantur.

Tenui me] progressus neque in hanc partem sum neque in illam: non accusavi, non defendi.

Viderent] dixi in illum quæ nota erant: præterea quievi.

In omni summa] quidquid ago, otium meum specto: inimicitias contentionesque fugio.

De libris] de bibliotheca græca supplenda, libris commutandis, latinis comparandis. supra.

In summo studio] quod ipse in curanda mihi bibliotheca pono.

Crebrius] malo hic quam, ut in impressis libris, *Cerbrius*: primum, quia Bessarionis librum, quem sequar, habeo: deinde, quia convenit a *creber* ita deductum *Crebrius*, ut *a ruber Rubrius*.

Qui omnia adjurant] qui cogunt sibi credi, jurejurando adsseverationem adjuncto.

Re-

Renunciant] mihi, dum in villis meis sum. nam infert, *dum absum.* forte a Quincto Crebrius hic beneficia acceperat in Gallia. monet enim me illud, *Romæ est.*

Ab ærario] quod supra dixit in proxima, *de fisco quid egerit Scipio.*

EXPLANATIO EPISTOLÆ VI.

Iisdem consulibus.

Pag. 101. A*B alio*] a me scilicet: quem de versibus tibi scribendis sæpe rogas. supra quattuor in locis.

κλέος quæris?] laudem aliunde quæris; cum in te ipso sit, unde illam pares?

Pag. 102. *Istas*] Electram, & Troadem.

Erigonam] quam, a Quincto ante missam, quod ex hujus libri epistola 1. liquet, tabellarius amiserat: quod epistola ultima declarat.

Proximas] hanc brevem, & proximam superiorem, utramque in eundem fasciculum conjectas. nam, cum illam scripsisset atque obsignasset, alteram hanc, litteris a Quincto acceptis, illico scripsit, breviorem omnino, quam ut videri possit ad fratrem trans alpes usque missa: verum, si cum proxima simul missam intelligamus, tollitur admiratio. Aut dicamus epistolam falso putari: particulam enim potius epistolæ superioris esse. quod eo etiam verisimilius videtur, quia, cum dixit, *epistolas proximas*, *epistolam* non appellaret *sex aut septem versus.* quod si ita est; epistolas proximas vocabit, duas superiores, quia simul utramque miserit. Ac vereor, ne item ea, quæ sequitur, epistola cum hac sit conjungenda: ut eam de se ipso scripserit Marcus, superiora omnia ad Quincti litteras responderit.

EXPLANATIO EPISTOLÆ VII.

Iisdem consulibus.

Pag. 102. A*Ppia, ad Martis*] Appia via, ad ædem Martis. & Appia via ad portam Capenam, extra urbem. ea ducebat usque Brundisium, omnium viarum celeberrima, ab Ap. Claudio censore munita. Martis autem templum, quod in Ap-

Appia via fuit, significat. nam de altero etiam intra urbem legimus.

Piscinam publicam] eam P. Victor collocat in regione XII.

Viget illud Homeri] accidit plane, quod in illis versibus, Iliados π, dixit Homerus: Jovem magnos imbres fundere, cum est hominibus, justitiam non colentibus, iratus. videtur enim ideo *proluviem* hanc immisisse, quia Gabinium contra leges absolutum inique ferat.

Pag. 103. *Hæc*] quæ fiunt in rep. non recte.

De dictatura] ad quam res videtur spectare. discordiis enim civium comitia producuntur: quas dictatoris potestas sedabit. supra, & infra, & ad Att. epist. 16. lib. 4.

Labienum] T. Atium Labienum, Cæsaris in Gallia legatum, qui postea civili bello ad Pompeji partes transiit. tribunus pl. legem tulerat, auctore Cæsare, ut sacerdotia, collegiis erepta, populus mandaret.

Ligurium] A. Ligurium, Cæsaris familiarem: de quo ad Atticum epist. 9. lib. XI. & ad fam.

Dabo] videtur hoc Quinctus a Marco petiisse; ut eorum, quos maxime Cæsar diligeret, amicitiam litteris tueretur.

Lychnuchum] quo lucerna sustinetur.

Sami] cum, Asiam pro prætore administrans, Samum venisses. fuit enim Samus in provincia Quincti. epistola I. libri I.

EXPLANATIO EPISTOLÆ VIII.

Iisdem consulibus.

Pag. 103. *Superiori epistola*] tres Quinctus ad Marcum epistolas dederat, primam Labieno, qui non dum venerat; alteram, quam Marcus ante primam accepit; tertiam, quæ ultima Marco est reddita.

Stomachi, & querelarum] ex militiæ laboribus, ex urbis desiderio. adde, ex periculo illo maximo, in quo his temporibus, Ambiorigis fraude, versatus est. Cæsar comm. lib. V.

Molestiis, & laboribus] molestiis animi, laboribus corporibus.

Desideriis] urbis, & tuorum.

Pag. 104. *Discessu nostro*] ut alter ab altero disjungeremur.

Plura ponuntur in spe] plus in spe constituitur emolumenti, & præsidii, quam in pecuniis: quas in hac legatione potes colligere.

Reliqua] præter spem: aut, præter ea, quæ jam habemus, a nobis ipsis parta. quæcunque, inquit, struas, ad jacturam struentur; id est, ejusmodi erunt, ut aliquid ex iis quotidie possis amit-

mittere. at Cæsaris præsidium erit firmissimum: idque petiimus ad omnem statum nostræ dignitatis.

Cum voles] arbitratu enim tuo in urbem redire tibi licebit.

Prolatum] divulgatum. forte non nihil in superiore illa epistola scripserat Quinctus, quod Cæsar si nosset, non æquo animo ferre potuerit: ut, se non ea, quæ speraverat, a Cæsare commoda obtinere. quod etiam illa verba videntur significare: *Non enim commoda quædam sequebamur parva, ac mediocria.* & illa: *Plura ponuntur in spe, quam in pecuniis.*

Labieno] videtur Labienus aliquandiu Romæ fuisse mansurus; cum loquatur Cicero de multis epistolis, quas ad Quinctum deinde daturus erat.

Nervii] ubi nunc hibernas cum legione. Cæsar comm. lib. v.

In summo dolore] ob legatos cum legione & cohortibus cæsos. comm. lib. v.

Poema] non illud, de quo in epist. hujus libri prima. dixit enim se incidisse jam compositum & confectum. at hoc habere se scribit; neque compositum, sed institutum appellat. neque vero illud alterum poema significat, de quo in epistola ultima libri II. in extremo. nam ad Cæsarem id non videtur esse missum. sed illud, de quo in ejusdem libri epistola, ad IV. non. in qua sunt hæc verba: *Quoniam scribis poema ab eo nostrum probari.* quod non esse id, de quo in extrema ejus libri epistola fit mentio, inde patet, quia in ea, quæ incipit, Ad IV. non. indicat se cognovisse ex litteris Quincti, poema suum a Cæsare probari: in ea vero, quæ ultimum in eo libro locum obtinet, rogat fratrem, ut judicium Cæsaris de suis versibus perscribat: nihilque omnino ea de re Quincto significat ante se accepisse, quod ait: *Sed heus tu, celari videor a te.* sunt igitur tria Ciceronis poemata, quæ in his ad fratrem epistolis nominantur; unum ad Cæsarem, de quo non absoluto, sed instituto legitur in epistola, Ad IV. non. lib. II. & in hac hujus ultimi libri ultima: alterum, de quo in extrema ejus epistolæ parte, quæ librum II. concludit: quod non esse ad Cæsarem missum probavimus: tertium, & ipsum ad Cæsarem: quod cum absolvisset, incidit. de quo in epistola hujus libri prima.

Cum opera, tum animo] supra, non iisdem verbis, idem dixit: *Deest mihi opera, quæ non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat.*

Supplicationum] quas Cæsari fortasse ob Ambiorigem profligatum senatus decreverat.

Otiosis] per dies enim supplicationum lege non agebatur. ita otium illi a forensi labore futurum erat. ne cum populo quidem tum potuisse agi indicat illud in epistola, *dederam ad te*, lib. II. *Lentulus dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinæ instaurantur: nec tamen deerant supplicationes.*

Re-

Reliquosque] candidatos.

Molestia levatos] ambitus judicio absolutos. id fore divinavit in epistola ad Atticum 16. l. 4. inquit enim: *Candidati consulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius. sed omnes absolventur.* cum tamen nocentes judicaret, ut in eadem ad eundem, & hic in epistola hujus libri 11. postea tamen Memmius & Messalla damnati. ad Att. ep. 1. l. 6. Appianus lib. 11. fam. ep. 4. lib. 8.

Præstabo] efficiam, si erit consul; ne quid agat in magistratu contra Cæsaris voluntatem.

Adventu] hoc jam exposuimus in epistola 11. hujus libri.

Pag. 105. *Puto errare*] forte; quia Cæsar consulem nolet eum, quem sibi fuisse inimicum in prætura meminerit. Suetonius. etiam Dio lib. XXXVIII. tradidit, hoc ingenio Cæsarem fuisse, ut, quos accepta injuria odisset, eos tamen illico non ulcisceretur. itaque fieri potest, ut Memmius eum, deleta superioris temporis memoria, sibi amicum fore crediderit in consulatu petendo.

Abjecit] quem adjuvandum susceperat. ad Att. ep. 15. l. 4.

Res prolatæ] negotia dilata. ita loquebantur, cum illud tempus, quo feriari hominibus licebat, intelligerent. iterare eadem non placet. diximus hac de re satis in commentario nostro in ep. ad Att. ubi *rerum prolatio* nominatur, ep. 12. l. 7.

Adducta] affirmat id Cicero quod etsi pro certo habere non potest, (nam post id tempus, quo prolatæ res dicebantur, dies præterea multi supererant comitiales, quibus haberi comitia liceret) omnino tamen ob civium discordias futurum videt.

Loquuntur] boni: de nimia Pompeji potentia, cui etiam dictatura deferretur.

Hirrus] Luccejæ gentis, plebejæ.

Auctor] opinor, quia designatus tribunus pl. quod eo quoque, infra quod sequitur, videtur confirmari: *Hirro agente nolle se non probabit.* ut omittam, quod magistratuum ordo consentit. petiit enim ædilitatem post: & ædilitas cur. post tribunatum pl. petebatur. ep. 2. 3. 4. 6. lib. 8. fam.

Fore] cum inierit magistratum: cujus erat primus dies IV. id. Dec. ut jam diximus.

Se ipse amans] qui etiam cum Cicerone, homine consulari, non dum ipse ædilicius auguratum biennio post, Pompeio III. cos. petere sit ausus.

Crassum Junianum] quæ sit hic mea conjectura, dicam: ea probari debeat, nec ne, judicium aliorum esto. libenter legerem, *Crassum Licinianum*: ut, cum esset Licinius Crassus, in aliam postea familiam, adoptionis jure, transierit. at quam familiam? opinor, Cœliam. placet enim, hunc esse Cœlium illum, qui in M. Cœlii epistola ad Ciceronem, *Cœlius Vicinianus* male nominatur: cum, *Licinianus*, videatur esse reponendum. & congruit hic de dictatura locus cum illo. nam hic verbum, *deterruit*, si-

significat, eum, quod instituerat de dictatura, omisisse: in epistola vero M. Cœlii, promulgatam ab eo de dictatore legem, scriptum est. Eundemque crediderim esse Cœlium illum, qui lib. IV. de bello civili *Vincianus* vocatur, mendose, pro *Licinianus*. Præterea, tribunum pl. hunc eodem anno cum C. Hirro fuisse, ideo credibile est, quia eodem etiam anno ædilitatem simul biennio post petierunt. quod ex ea, quam nominavi, M. Cœlii epistola constat. Ut omittam, quod hunc ipsum, qui de dictatore Pompeio egit, *Lucilium* video apud Plutarchum nominari. ut *Liciniani* nomen in *Vicinianum*, *Vincianum*, *Lucilium*, ob similitudinem facile videatur abiisse. Neque vero quidquam obstat, cur, etsi Cœlius ex Licinio sit factus, prioris tamen familiæ nominibus Crassus Licinianus appellari non possit. nam Scipionis cognomen retinuit is, qui Magni Pompeji socer fuit; qui tamen Cæcilius, adoptante Metello Pio, factus erat: & Lucullus, frater L. Luculli, cum Terentius Varro per adoptionem factus esset, quod supra probavimus, Lucullus tamen, novo cognomine omisso, vetere conservato, nominatur.

Per me deterruit] mea opera Pompejus effecit, ut captum de dictatura consilium Crassus abiecerit. Hoc enim, & quæ sequuntur, ad Pompejum, non ad Hirrum, convenit referri: si tamen is est, de quo Plutarchus, qui inito tribunatu egit de dictatore Pompejo.

Deterruit] opinor tamen, ab eo mox, post initum tribunatum, promulgatam legem de dictatore Pompejo. aut, *deterruit*, cum jam legem promulgasset, ante quam tribunatum pl. iniret.

Velit nolit,] quia Pompejus aliud sentire, & loqui solebat, ad Att. ep. 10. & 15. lib. 4. & ep. 1. lib. 8. fam.

Agente] ad populum, ubi magistratum inierit. in epistola, quæ sequitur, *Hirrus*, inquit, *parat*.

Non probabit] non persuadebit hominibus, cum per ejus amicum agatur. secutus est autem Hirrus Pompejum civili bello contra Cæsarem. comm. lib. 1. quo in loco, *Ulcillem Hirrum*, mendose legitur: cum potius, *Luccejum Hirrum*, legendum videatur. Luccejæ enim gentis cognomen Hirrus fuit. fam. lib. 8.

Serrani] gentis Atiliæ.

Domestici] cognomen aut Serrani ipsius, aut filii.

Scripto meo] cum orationem, ei a me scriptam de laudibus filii, legeret.

Nihil tribuit,] minime illi, anno sequenti consulatum petituro, studet, maxime vero Guttæ. petiit anno sequenti consulatum Milo. etsi non habita, propter dissensiones candidatorum, comitia, vel ex Pediano cognoscitur. video autem eum, interversa prætura, consulatum petiisse: qui Lentulo & Metello cos. tribunatum pl. Pompejo & Crasso ædilitatem gesserit; Calvino autem & Messalla consulatum petierit.

Gut-

Gutta] non habeo certum, quis hic sit Gutta, competitor Milonis in consulatu anno proximo futurus. Pedianus candidatos consulares tres dumtaxat nominat, omnes plebejos, T. Annium Milonem, P. Plautium Hypsæum, Q. Cæcilium Metellum Scipionem, Pompeji Magni socerum.

Illo] Gutta ad consulatum efferendo.

Pag. 106. *Diffidit*] se posse consulatum adipisci.

Intercessorem] tribunum pl. tribuno, rogationem de dictatore dicendo ferenti, intercedentem. multi autem intercessuri videbantur. epistola, quæ sequitur.

Per vim] spreta intercessione: quod ante, quo anno C. Cæsar, quo Pompejus consul fuit, evenerat. quod si vim vi repellet Milo, valebit intercessio.

Ludos] ut eum honoraret mortuum, cujus legatam sibi testamento hereditatem acceperat. cui & munus dederat.

Sumptiosiores] scribit Pedianus, Milonem in scenicorum ludorum, & gladiatorii muneris impensas, effusasque largitiones tria patrimonia effudisse. idque Cicero tum in oratione pro ipso; tum in epistola ad Curionem significat his verbis: *Studium habemus vulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ.*

Terque] ut fortasse trinos in ludos tria illa patrimonia, in singulos singula, profuderit.

Non postulatus] a populo. solebat enim ludos interdum populus postulare. fam. lib. 9. ep. 8.

Munus] gladiatorium.

Facultates non erant] binis jam ludis, & in gladiatoribus consumptæ.

Magister] hereditatis curandæ inter coheredes. Dicit, opinor, hoc. magistratum non gerit Milo: ut eum ad impensas hujusmodi videatur dignitas impulisse. tantum est magister, vile scilicet ministerium.

Non ædilem] videtur hoc significare. ludos dare, magistrorum non est, sed ædilium. debuit igitur Milo, cum magister, non ædilis, esset, ludis abstinere. Hæc mihi non omnino probatur interpretatio. nam si hoc Cicero significaret, idem diceret, quod proximis verbis: *Vel quia magister*. dicit autem diversum quiddam, & hoc forte, cum is, cui mortuo ludos dat, ædilis fuerit hoc ipso anno: putat Milo, se, qui magnam bonorum ejus partem testamento acceperit, quodam modo in ejus locum successisse, ludosque dare pro ædili debere. verum potuerat se magistrum putare, sicut est, non ædilem, qui re vera non sit.

EX-

EXPLANATIO
EPISTOLÆ IX.

Iisdem consulibus, in extremo anno.

Pag. 106. NIhil istorum] sine dubio scripserat Quinctus, debuisse Marcum & Pompeji & Cæsaris caussa reo Gabinio de majestate adesse. atque hoc facile mihi persuadent illa, quæ proxime sequuntur, Græca verba: τότε μοι χάνοι: hoc est, tunc mihi dehiscat lata terra: cum hoc scilicet flagitii commisero. integrum enim est hemistichium apud Homerum, duobus in libris Iliadis Δ, Θ, τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.

Neque ursi, neque levavi] neque accusavi, neque defendi.

Nunc denique redundat] hoc bonum, quo antea nimium indigebam, (*bonum* appellat, animi sive patientiam sive fortitudinem quandam in malis reip. leviter ferendis) mihi nunc denique satis superque est.

Cur stomacher,] si quid accidit iniquius: cum respublica jam plane desperata tota sit.

Angit] consulatus caussa: quem petet adversante, ut videtur, Pompejo: cum ego utrique summe debeam.

Finem] solicitudinis meæ. velim, inquit, post consulatum, qui est honorum summus, nihil accidat præterea, quod illius caussa me angat.

Enitar] quam enisus sit, intelliget, qui epistolam ad Curionem libro II. fam. legerit.

Istinc,] ut Cæsaris amicis in petitione Milonis utamur.

De quo] de consulatu, nisi vi res agatur, spero fore quod volumus.

Timeo] ne sustinere tantos sumptus non possit, ne ad inopiam redigatur.

Μαίνεται &c.] recte, & proprie, quod modum superat, *insania* vocatur. unde illud, de emptione, ad Atticum, *Nec tamen insaniturum puto*. &, de sumptu, in oratione pro Milone: *Insanas illas P. Clodii substructiones*. recte igitur & hic, de Milone nimiam pecuniam in ludos erogante.

Pag. 107. Ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς:] quod est: *Hic autem insanit sic, ut ferri amplius non possit*. finis hexametri versus apud Homerum, Odys. 9, 350. quod enim ille de Cyclope Polyphemo, σὺ δὲ μαίνεαι οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς, Cicero de Milone, paullulum quiddam sententiæ caussa, ut solet, immutans, ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς.

HS CCC] scutatis aureis decem millibus, & centum septuaginta sex marculis, ut appellant, qui olim asses erant sexaginta quattuor.

Considerantiam] immo contra: cum in sumptibus insaniat. malim igitur, *inconsiderantiam*, vocabulo inusitato, sed tamen ab *inconsiderans* usitato. & referetur ad μαίνεται.

Sustinebo] & ego feram hoc in homine amicissimo vitium: & animi tui vires eæ sunt, ut ipse quoque ferre possis.

Venientis anni] de quo ad te scripseram.

Pag. 108. *Si per interregem sine judicio*] quem hic locum habet judicii mentio; cum in proxima epistola jam dixerit, illum esse absolutum? intellige de altero, quod impendebat, de ambitu judicio. nam & post consulatum de ambitu accusatus. id ego locis observatis cognovi, ad Att. ep. 12. l. 5. & fam. ep. 2. & 4. *si consul*, inquit, *habitis ab interrege comitiis creabitur; judicium vitabit; statim enim consulatum inibit: & accusari magistratus non licet. sin a dictatore: fieri omnino potest, ut dictator pro ea, quam habet summam, potestate nolit eum inire ante consulatum, quam judicium fiat: sed tamen, quin absolvatur, mihi dubium non est. video enim qui illum oderit, esse neminem.* Et, quod ait, *si per interregem, sine judicio*; vere dicit. nam, Messalla per interregem consule creato, judicium de eo factum non est: peracto autem consulatu, bis accusatus de ambitu est, primo absolutus, deinde condemnatus.

Hortensii] fratris ejus uterini: quod ex Plutarcho in Sulla conjicitur.

Calor] pro absolutione contentio. defensum ab eo Messallam & absolutum significat M. Cœlius in duabus epistolis II. & III. lib. IIX. fam.

Lex impunitatis] quasi lata lex videtur, ut, qui peccaverint, iis impune sit. his verbis nocentem Messallam significat. fore tamen ut absolvatur, tribus caussis, dixit: quod odii nihil habet: quod pro eo contendet Hortensius: quod, absoluto Gabinio, nemo jam videtur ita nefarius qui absolvi non possit. innocentiam Messallæ ad has caussas non admiscet. satis enim constabat, & ipsum, & reliquos candidatos pecuniam contra leges populo dedisse. quo nomine post consulatum damnatus est, ut proxime dixi.

Ἐν παρέργῳ] narrationem de rep. duas in partes tribuit; quarum ad Messallam una pertinet. ad dictaturam altera. atque hanc posteriorem ἐν παρέργῳ, hoc est, *breviter, & velut in cursu*, exequi se velle significat.

Tamen] quamvis jam ante rumor fuerit. epistola quæ antecedit.

Abest] erat omnino Pompejus extra urbem, quia cum imperio, iturus, ut videbatur, in Hispanias: sed non diceret Cicero, *abest*, de eo, qui ad urbem esset. longius, opinor, discesserat,

ferat, nimirum rei frumentariæ caussa: quod legimus apud Dionem l. XXXIX. in extremo.

Appius miscet:] notat hominis ingenium, miscentis potius, quam agentis. *Miscet* autem, non quia dictatorem, sed quia comitia vellet. nam in epistola hujus libri III. *Consules*, inquit, *comitia habere cupiunt*. quam video scriptam post rumorem de dictatura natum. nam in ea consulares ait candidatos de ambitu postulatos: & ad Atticum, ubi eosdem reos memorat, odorem esse nonnullum dictaturæ dicit. Atque hoc ideo dictum volui, ne quis Appium dictaturæ, quam Pompejo delatum iri credebatur, existimet favere, quia filiam suam Pompeji filio collocasset, ut est in fam.

Parat] ut legem ferat de dictatura, cum scilicet tribunus pl. erit. nunc enim designatus erat. quod in epistola proxima significatum est in eo: *Auctor fore videtur*. Quod si quis objiciat, designatum esse non potuisse, cum Cicero comitia non dum habita significet: is, consularia quidem comitia hoc anno habita non esse, tribunicia vero esse habita, ab historia discat. nam Plutarchus, Catone prætore, id est hoc anno, habita, perspicue demonstrat. & hic noster ad Att. ep. 15. l. 4. cum dixisset de consularibus comitiis: *Comitia puto fore ut ducantur*: de tribuniciis intulit: *Hæc ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur*.

Numerantur] quod certo jam sciretur, qui ferenti legem Hirro de dictatura intercessuri viderentur.

Non curat] sive lex feratur, sive non feratur.

Principes] videtur eos significare, quos in epistola proxima *bonos* nominavit.

Quiesco] te monente; ut calamitate jam doctus inimicitias vitem. supra: *In omni summa, ut mones, valde me ad otium pacemque converto*.

Mancipiis] ad me mittendis, Gallico aut Britannico bello captis.

Infrequens] cum paucis admodum mancipiis. quo magis te amo: quia, quod mihi opus est, id polliceris.

Facultate] nihil ut mea caussa cures, nisi quod facillime possis.

Ista odia] de quibus ad me scribis. quia Vatinius, litteris Roma ad Cæsarem missis, quæcumque diceret ageretve Cicero, tamquam explorator significabat. ex quo Quinctus, litteris iis inspectis, de odio illius in Marcum conjecit.

Concoquam] prorsus minimi faciam, facile feram. sic, *devorare hominum ineptias*, in Bruto.

Ἔπος] poema: de quo in epistola proxima.

Locupletem] cui meum ἔπος bene credatur. jocus: quia missa a Quincto Erigona tragœdia perierat in itinere, tabellarii culpa. ideo dixit in epistola, *Quattuor* &c. *Erigonam mihi velim mittas*: cum tamen, eam aliquanto ante missam esse, jam significaverit in epistola hujus libri prima.

Cæsare] qui omnia multis victoriis tuta reddidit.

Pag. 109. *Quid, si cæmentum*] minime placet hæc ab ἵππῳ ad ædificium subita transitio. nec dubito, quin hujus partis, in qua de Quincti agitur villa, fortasse in Laterio, initium desideretur. itaque visum est, ut hac nota *, quasi lacunam loci significaret, a superioribus inferiora disjungerem.

Arcano] Quincti fundo: de quo in epistola hujus libri prima.

Cæsaris opus] maximum videlicet. magnifica enim Cæsaris monumenta: qui forum usque ad atrium libertatis explicare, deinde in campo Martio septa & tecta marmorea facere cogitaverit: ut est ad Atticum ep. 17. l. 4. legimus etiam apud Tranquillum, Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, Asiæ quoque, & Græciæ potentissimas urbes, ejus munificentia, præcipuis operibus exornatas.

Imagines] quas in Arcani villa constitui Quinctus mandaverat.

Pag. 110. *Nilus*] ut opinor, plures rivulos, e salientibus aquis in piscinam diversis partibus confluentes, appellat Nilum: quod, ut hoc flumen ostiis septem profluit in mare, sic salientes illæ in piscinam rivulis multis, quasi parvus Nilus, perveniant. hanc ego conjecturam duco ex hujus libri epistola 1. in qua, cum de villa, quæ erat in agro Fufidiano, hoc est in Arcano meminit: (jam enim, fundum Fufidianum in Arcano fuisse, ostendimus) piscinas, & salientes, & palæstram simul nominat. Nili etiam mentionem facit lib. 11. de legibus in procemio.

Philotimorum est, non Diphilorum] diligentiam Philotimi, negligentiam Diphili significat. hoc, inquit, Diphili negotium non est, sed Philotimi; neque vero unius Philotimi, sed multorum. Diphili tarditatem notavit jam illis verbis: *In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem*. is in Arcano Quincti villas curabat; Philotimus autem urbanam expolitionem urgebat. quod utrumque in eadem 1. epistola.

In unciis] *assis* nomine tota significatur hereditas. *as*, qui & libra, duodecim in partes, quæ dicuntur unciæ, dividitur. duodecim igitur partes bonorum suorum, postea quam esset mortuus, fieri Felix volebat. sed, ut in propinqua morte, mente perturbatus, Sicuræ etiam servi imprudentia, tabulas de unciis non obsignavit: alteras, aliam in sententiam, a se antea scriptas, obsignavit. ratæ autem non erant tabulæ testamenti, quæ non essent ejus, qui testamentum fecerat, anulo obsignatæ.

Firmissimum tenuerat] consilium illud de bonis suis in XII. partes inter coheredes dividendis mutare noluerat.

Lapsus est per errorem] erravit imprudentia. sic in Tusc. V. *Labi errore sermonis*. ex lib. 3. de Rep. apud Lact. lib. 5. cap. 15. & in epitome cap. 50. Qui aut aurum pro aurichalcho, aut argentum pro plumbo vendat per errorem.

Ἀλλ' οἰμωζέτω] jubent Græci οἰμώζειν eos, quibus male precantur.

cantur. Aristoph. ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι. videtur autem esse finis senarii ex aliqua vetere comœdia. nec vero dubium est, quin de mortuo loquatur. nam vivens testamentum mutasset, errorémque suum correxisset.

Valeamus] & hoc ad mortuum pertinere, ἀλλ' οἰμωζέτω, significat. illi mortuo male sit, qui tam male suis consuluerit: nos valeamus.

Dimitto] patior eum ire cum matre; cum antea mecum habitaret. supra dixit, *Tyrannio docet apud me.*

Magistris] duobus, Tyrannione grammatico, Pæonio rhetore. quo de utroque jam facta mentio est.

Pomponia] glossema puto ab imperito librario positum.

Pueri] annum XIII. Quinctus filius, cum hæc scripta est epistola, hoc est Appio & Ahenobarbo cos. nondum impleverat. id ex eo conjicio, quia togam puram sumpsit Paullo & Marcello: quam non nisi anno ætatis XVI. finito sumi solitam, satis constat. ad Att. ep. 20. l. V. & 1. lib. VI.

Sumus una tamen] ergo non exierat urbe Pomponia, sed ex illa domo, quam Ciceronis cum domo junctam fuisse jam diximus, in aliam Quincti domum transierat.



IN LIBRUM
EPISTOLARUM
M. TULLII CICERONIS
AD
M. JUNIUM BRUTUM
BRUTIQUE AD CICERONEM
PAULLI MANUTII
COMMENTARIUS.



EPISTOLARUM M. TULLII CICERONIS AD M. JUNIUM BRUTUM, BRUTIQUE AD CICERONEM

ARGUMENTUM.

Hujus libri epistolæ quia non ita sunt obscuræ, ut interpretationis lumen desiderent, non hærebimus admodum in sententiis: nonnulla, ad historiam, aut ad eruditionem quæ pertineant; quæ, ut extra rem propositam fortasse videantur, utilitatem tamen aliquam habebunt; persequi & indagare consilium est. Post interitum C. Cæsaris, M Brutus, qui conjurationis in illum particeps atque etiam auctor princepsque fuerat, Cretam provinciam a senatu accepit administrandam; nec ita multo post, plebis concitatæ furorem extimescens, urbe cessit; redituque desperato, cum in Creta non multum neque sibi neque reip. præsidii putaret

esse,

esse, intendit animum ad Macedoniam: quam ei Q. Hortensius prætor, Hortensii oratoris filius, facile tradidit. nam Cæsar, de Parthica expeditione cogitans, & magistratus in triennium creaverat, & provincias diviserat: ex quibus Macedoniam regi a M. Bruto, absoluta prætura, voluerat. ad eum igitur Macedoniæ præfectum Cicero scribit. & sunt etiam ad Ciceronem aliquot, unaque sane præclara ad T. Pomponium Atticum Bruti epistola. Ac sciendum est, scriptos esse a Cicerone, præter eos, qui nunc exstant, multos præterea epistolarum libros, ad C. Cæsarem juniorem, ad Pansam, ad Hirtium, ad hunc ipsum Brutum. itaque contenti non fuimus inscriptione vulgata; neque librum *tantum, sed* librum primum *epistolarum ad M. Brutum, inscripsimus. sic enim citari a Nonio animadvertimus; qui* librum *quoque* octavum *epistolarum ad eundem nominat.*



IN



IN LIBRUM EPISTOLARUM M. TULLII CICERONIS AD M. JUNIUM BRUTUM BRUTIQUE AD CICERONEM PAULLI MANUTII COMMENTARIUS.

EXPLANATIO EPISTOLÆ I.

M. Antonio,
P. Cornelio Dolabella, COS.

Pag. 111.  *Icero Bruto*] Potest ambigi, patricius an plebejus fuerit hic Brutus. patricium fuisse, Posidonius philosophus, eumque secutus Plutarchus contendit: Brutum enim eum, qui

qui reges ejecit, tres filios habuisse, duos, quos participes conjurationis in remp. ultimo supplicio, patre consule spectante, affectos, historiae narrant; tertium, unde Junia gens propagata est, & a quo M. hic Brutus originem duxit. Contra, plebejum ut fuisse credamus, Dionysii Halicarnassei facit auctoritas. nam etsi Plutarchum, pro eo ac debeo, plurimi facio: tamen Halycarnasseum, qui nititur argumentis, libentius, hac quidem in re, auctorem sequor. Plutarchi est simplex & nuda narratio. nam illud nescio quid, quod affert ex Posidonio; ipsius Posidonii aetate fuisse Romae praestantes ex ea gente viros, quorum forma ad similitudinem imaginis accederet illius Bruti, qui civitatem dominatu regio liberavit, ita plane nihil est, ut refellendum non existimem. Noster autem Cicero cum in Philippicis orationibus, & in libro de claris oratoribus dixit idem, quod postea Posidonius & Plutarchus; potuit id Bruto gratificari; quem cum unice diligebat, tum ad studium libertatis recuperandae facilius impelli posse existimabat, si ab illo Bruto, qui primus Romae jugum servitutis virtute depulerat, progenitum ostenderet. Dionysii ratio haec est; eaque, ut mihi videtur, admodum firma. Si L. ille Brutus, qui libertatem Romae constituit, virilem stirpem reliquisset; ejus posteri patricii fuissent. quod si patricii; consulatum sine dubio multi gessissent. at per annos cc, quod fasti declarant, consul Romae Junius nemo fuit. nam, quod Scaevas, & Bubulcos, qui Junii fuerunt, consules videas, cc, ut dixi, post reges exactos annis; hoc potius docemur argumento, plebejos fuisse, quam patricios: cum in consulatu collegas habuerint de gente patricia; eo porro tempore consules fuerint, cum eum magistratum duobus patriciis mandari lex Licinia vetaret. Praeterea in ejusdem Dionysii historia tribunum pl. video Brutum quendam, plebejae partis defensorem acerrimum; item alterum in oratione pro Quinctio; quos, ut opinor, de gente Junia fuisse, nemo negabit; &, plebejos fuisse, ideo putandum est, quod, tribunatum pl. plebejis tantum hominibus deferri leges juberent. Accedit illud, quod nec aediles pl. de patricia gente creabantur. at Festus M. Junium Brutum aedilem pl. nominat. Livius sane duos tantum nominat Bruti filios: in quos, conjurationis crimine convictos, animadversum est. sed verbum addit nullum, unde, tertium praeterea Bruti filium fuisse, possit intelligi. Apud Dionem eadem fere, quae apud Livium, leguntur: ut non facile, utrum senserit, dijudicare liceat. itaque dubitatio ex Dionysio, & Plutarcho, Posidonioque tota nascitur. quanquam ego quidem, cum argumenta illa tria, quae posui, cum animo meo considero, unum, de nullo Junio per cc annos, post reges ejectos, consule; alterum, de Brutis, quos Dionysius, & Cicero nominant, tribunis pl. tertium de aedile pl. apud Festum: non admodum esse video, cur dubitem. & ab

eo

eo Bruto, quem contra patres multa pro plebe gessisse Dionysius memorat, potuit M. Brutus, Serviliæ filius, ceterique Bruti ejus ætatis ortum trahere: is porro ab aliquo L. Bruti patricii liberto. nam liberti ita familiæ nomen assumebant, ut patricii, ab homine patricio manumissi, tamen esse non possent.

Clodius] cum sit hic Clodius tribunus pl. designatus; quo honore patriciam gentem leges excludebant; ex iis Clodiis, qui Pulchri, aut ex iis, qui Nerones cognominabantur, qui utrique patricii fuerunt, esse non potuit. fuit igitur ex Clodiis Marcellis. aut, si Pulchrum, vel Neronem velis esse, nec tamen patricium; dic, a Pulchrorum, aut Neronum liberto genus duxisse: cum, etsi libertos a gente patricia leges removerent, eorum tamen posteris aditum ad magistratus darent.

Tribunus pl.] Non videtur prætermittendum, quod Plutarchus in libro τῶν προβλημάτων scriptum reliquit, tribunatum pl. magistratum non esse; cum neque purpuram habeat, neque lictoribus utatur, neque sella curuli sedens jus dicat, neque potestatem, creato dictatore, deponat, more omnium magistratuum. Cicero tamen magistratum appellat in oratione pro P. Quinctio. Et, quod ait Plutarchus de purpura, id refellit idem Cicero pro Cluentio: qui, quo loco de L. Quinctii tribuni pl. intolerabili superbia verba facit, *vultum*, inquit, *atque amictum atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.*

Designatus] designabantur tribuni pl. comitiis tributis: quod institutum est anno ab urbe condita CCLXXXIII, consulibus T. Quinctio Capitolino, Ap. Claudio Sabino: cum ad id tempus comitiis curiatis designati essent. designabantur autem ante consules, ut ex prima epistola ad Atticum satis dilucide patet: & ante eosdem etiam magistratum inibant, nempe IIII. id. Dec. quod ex Dionysio, Livioque planum fit. nam quod in Pediani libris impressum est, *tribunos pl. nonis Dec. magistratum inire solitos*; id mendosum esse puto. nam, ut omittam Livii testimonium, in quo momenti multum statuo esse; Dionysius cum de quarto id. Dec. primo tribunatus pl. die mentionem facit, adjungit illud, μεχρὶ τοῦ νῦν, cum dicat, suis quoque temporibus idem servari. eoque magis adducor, ut suspicer de mendo; quod, quem locum Ciceronis, qui est in libro secundo in Verrem, Pedianus ibi exponit; in eo Ciceronem de alio magistratu potius, quam de tribunatu pl. locutum esse, facile perspiciet, si quis animum paullo accuratius adverterit. nam si de tribunatu plebis intellexisset, numquam Sulpicium a Manlio, & Cornificio, quos proximis superioribus verbis tribunos pl. nominaverat, separasset. nec vero de Sulpicio ullo, nisi patricio, memini me legisse. etiam illud addo; nonis Dec. quo die actum est in senatu de conjuratis, non fuisse M. Catonem tribunum pl. desig. patet ex o-

ratione

ratione pro Sextio. Hoc satis esse ad hunc locum videtur: reliqua persequemur in libro de magistratibus.

Valde me amat] sic in epistola ad Dolabellam: *Tantum accessit ad amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.* Et ad Appium: *Nihil est, quod benevolentia, vel amore potius effici non possit.*

Pag. 112. *A suis, vel per suos potius*] correctione usus est, ut id ab inimicis Clodii non delatum modo, sed fictum etiam & excogitatum significaret. nam, *a suis*, officium continet deferendi:

Per suos] fictum ab ipsis & studiose compositum ostendit. Vel dic subaudiri, *scriptum*: quod verbum omiserit Cicero, quia delatum potius quam scriptum ab inimicis Clodii vellet ostendere. ut sententia sit hæc: scriptum a suis inimicis, vel per eos potius coram tecum esse actum. infra, paullo planius, *Si quis*, inquit, *secus ad te de illo scripsit, aut si coram locutus est.*

Occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas] eandem fere sententiam translatis verbis exornat in epistola ad Quinctum fratrem: Multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. Et in oratione pro Marcello: Cum in animis hominum tantæ latebræ sint, tanti recessus.

Testimonium] testes enim dumtaxat ea de re, qua de agitur, testimonium dicunt: cetera tacent. item ego, cum indicia multa ad animum Clodii probandum possim colligere, omittam: de ipsa tantum re, cujus caussa hanc epistolam scripsi, hoc dicam, Clodium de te amicissime & loqui, & sentire.

Auctus Antonii beneficio est] caussa, cur Antonium Clodius vellet salvum. quia tamen beneficium illud a Bruto simul acceperat; utrumque; si fieri posset, salvum voluisset: quia non poterat, Brutum malebat.

A te est:] quia tu simul cum Antonio beneficium illud in Clodium contulisti. quod autem beneficium hoc fuit? forsitan ipse tribunatus: quem, Antonio consule, & Bruto prætore suffragantibus, obtinere facile potuit.

Intelligit.] qui Antonium de regno, vos de libertate cogitantes videt.

Pag. 113. *Qualis & prudentissimus,*] qualis debet esse is, qui & prudentissimus, & idem optima fortuna sit. bonos enim cives diligit, malos odit, qui prudens est: qui vero optima fortuna, mutationem non quærit: sicuti contra, qui fortuna sunt deteriore, vetera odere, nova exoptant, ut ait Sallustius in Catilina. ergo, cum Clodius Antonium salvis nobis velit salvum; nos tamen mavult; quia distinguit honestum a turpi, propter summam prudentiam; & stabilem remp. cupit, propter optimam fortunam.

EX-

EXPLANATIO EPISTOLÆ II.

Pag. 113. M*Aximeque mirabiles*] *littera mirabiles*, mihi quidem non valde satisfacit, nec usitatum puto. quod si, *Littera plena rerum novarum, maximeque mirabilium*, legas; tum vero non loquendi modo genus, verum ipsa quoque sententia mirifice satisfaciet. Ac video ita scriptum esse in libro Paulli Magnuli: quo in libro solebat ille (quod ex ipso, cum viveret, audierim) miniatulis litteris ea notare, quæ in antiquis exemplaribus, contra quam esset in impressis, animadverterat.

Dolabellam] P. Cornelius Dolabella, Ciceronis antea gener, cum aliquandiu bonum civem simulasset, ut etiam columnam illam, Cæsari erectam, everteret; ad extremum, corruptus ab Antonio, reip. caussam deseruit; &, Syriæ administratione a populo accepta, victus a Cassio, & Laodiceæ oppressus, servo suo cervicem feriendam præbuit. Hæc ex historia; quæ auctoritatibus singula confirmare, putidum videtur. Unum addam, patricius fuerit, an plebejus, in dubium vocari posse. verum dubitationem prorsus omnem tollit Dio; qui, transisse illum ad plebem, lib. 42. tradit. Suspicari fortasse aliquis posset, Dolabellam ex Cornelio Livium esse factum, mutato gentis nomine Liviæ testamento; qua de re in epistola ad Atticum 8. lib. 7. ideoque, cum Livii essent plebeji, tribunum pl. fieri potuisse. sed invenio illum Cornelium, non Livium, aliquot annis post epistolam illam a Cicerone de Liviæ testamento scriptam. nam epist. 36. lib. XIII. P. Cornelium vocari dicit eum, qui Dolabellæ beneficio civitate a Cæsare, victo jam Pompejo, donatus erat. & Dio eo, quo diximus, loco, P. Cornelium Dolabellam, neque prænomine, neque nomine, neque cognomine immutato, tribunum pl. appellat. ut fortasse a Cornelio aliquo sit adoptatus.

Ex Asia fugere] ex Asia cedentem Dolabellam, & in urbem Laodiceam receptum, C. Cassius, cui Dolabellæ oppugnandi curam senatus mandaverat, cum XII. legionibus obsedit. Appianus.

Cum tu eo] dictum paullo durius videri potest: cum neque Cicero ipse eodem modo locutus alibi sit, neque quisquam, quod sciam, de iis, qui optime Latine scripsisse existimantur. at si, *eo haberes*, ita accipias, quasi, *prope eum locum haberes*; ferri fortasse posset: ut genus loquendi, quale illud, sit, cum dicebant, *esse ad urbem*, hoc est *esse prope urbem*.

Apollonia, Dyrrhachioque] ubi suas copias eo consilio Brutus con-

continuerat, ut, si forte Antonius ad Mutinam exercitum reip. fugasset, quamprimum eas in Italiam ad tuendam remp. posset trajicere.

Antonii] Marci; quem D. Brutus Mutina, ubi ab eo per aliquot menses obsessus fuerat, erumpens, & cum eo Pansa, & Hirtius consules, adhibito Octaviano, acie fuderunt.

Populi Romani victoria] civis enim loco Antonius non erat, hostis jam a senatu judicatus.

Sceleratissimo hosti] Dolabellam quoque senatus in hostium numerum retulerat. itaque cum dixerit, *hosti*, vere dixit: cum, *sceleratissimo*, deprompsit maledictum ex ipsius pessime factis, ac præcipue ex C. Trebonii cæde; quem Smyrnæ, noctu subito adventu oppressum, occiderat. infra quoque *scelus* ei attribuit, cum ait: *ut sceleris pœnas persolvat.*

Ludibrio] qui se putaret cum quinque legionibus populi Romani imperium turbare posse.

Tua dignitate,] *dignitas* est in iis, qui vel summos magistratus administrarunt, vel maximas res pro patria gesserunt. primum illud, ut opinor, Cicero non spectavit, cum dixit, *dignitas*: quos enim magistratus Brutus gesserat? præturam ille quidem, sed & a Cæsare datam, nec tamen omnem in civitate. nam post idus Martias, paucis interjectis diebus, metu Antonii, plebisque ab eo concitatæ, urbe excessit: ut per novem menses integros minime præturam in urbe exercuerit. alterum igitur, de meritis in remp. significasse potius videtur, cum ejus, qui cives suos a tyrannide vindicasset, dignitas postularet, ut idem hostem populi Romani bello peteret.

De Antoniis] illam seditionem concitavit C. Antonius Marci frater, cum esset in potestate Bruti. itaque explano, *de Antoniis*, de partibus Antonianorum fratrum sublevandis. Quod autem infert, magis mihi probatur militum severitas, quam tua; significat id, quod a Dione scriptum legimus; cum milites ipsi, qui seditionem fecerant, ut delictum suum quodam modo corrigerent, seditionis auctores occiderunt, quæstoremque etiam & legatos C. Antonii ad necem depoposcerunt: quos Brutus, ad clementiam magis, quam ad severitatem, propensus, navibus impositos, quasi mox mari demersurus, male de se meritos servavit. ipsique etiam Antonio, cujus opera bis jam conflata seditio erat, iterum pepercit. Miror autem, quid sibi voluerint, qui hoc loco pro Antoniis *Catonios*, & nullo sensu, & contra veterum librorum fidem, reposuerunt.

Pag. 114. *Benevolentiam exercitus*,] Credo, cum auctores seditionis occiderunt, quo benevolentiam erga Brutum declararent.

Providisse] operam dedisse, & a senatu impetrasse, ut decreta nostra ne exspectares, ipse ad arbitrium tuum, uti res poscere videretur, bellum administrares.

Ut

Ut nunc judico,] quia video, ex iis rebus, quas geres, multum accessurum ad dignitatem tuam, tunc id esse è rep. intelligebam, nunc è tua etiam dignitate judico futurum; cum ita te & copiis instructum, & animo paratum videam, ut & remp. in libertatem vindicare, & te ipsum laudibus illustrare possis.

Maximo otio] ita veteres libri, sine dubio mendose. quid enim elicitur sententiæ? ego mallem, *maximo animo*, non omnino procul a vetere scriptura. nam si, *animo*, tribus dumtaxat litteris, linea superimposita, scribas, sic, *aio*; neque contra consuetudinem facias, & facilem fuisse ex, *animo*, in, *otio*, mutationem, facile perspicias.

Antonios,] tres fratres, Marcum, Caium, Lucium: qui ut hostes a senatu judicarentur, maxime Ciceronis opera est perfectum.

Neque clementiæ tuæ concedo] neque concedo, clementior ut ipse sis, quam ego sum.

Inanem speciem] est enim clementia specie quidem præclara, sed re ipsa nonnumquam perniciosa. qui enim ita sunt perditi, ut ne beneficio quidem affecti pravitatem mentis exuere possint, præstat eos tollere, quam servare. Brutus tamen, cum C. Antonio de concitata seditione pepercisset, iterum ei, in ejusdem culpæ crimine deprehenso, veniam tribuit.

Mihi quidem &c.] quod in epistola ad Atticum Græce dixit, βεβίωται; hic Latine, Plautinis verbis, *acta ætas est*. & inter illum locum, & hunc aliquantum est in sententia similitudinis. ibi enim, *mihi quidem βεβίωται; viderint juvenes*: hic,

„ *Mihi quidem ætas acta ferme est, tua istuc refert maxime.*

emendandi autem sunt, qui typis impressi circumferuntur, Plautini libri. nam, ut in iis nunc omnibus legitur,

„ *Mihi quidem ætas acta est; tua istuc refert maxime*; versus neque jambicus esse, neque trochaicus potest. itaque dictio, *ferme*, illuc est ex hoc Ciceronis loco transferenda.

Senatus ducem] se ipsum designat: cujus fuit in senatu singularis auctoritas.

Ex oraculo] vere. nam, ut Cicero futurum providit, ita cecidit. in quo singularem illius prudentiam licet agnoscere. Caussæ autem, in quas intuens movebatur, ut assiduis & in eam sententiam accuratissime scriptis litteris Brutum in Italiam accerseret, hujusmodi ferme erant. Imminebat M. Antonius libertati, pecuniis, quas de templo Opis abstulerat, & legionibus, quas e Macedonia in Italiam evocaverat, instructus. præsidium reip. in quattuor maxime hominibus erat, in D. Bruto, qui Galliam cisalpinam, a senatu datam, administrabat; in adolescente Octaviano, qui privato consilio exercitum comparaverat; in consulibus, Pansa, & Hirtio, qui, delectu acerrime habito, eas col-

legerant copias, quæ ad impetus Antonii reprimendos sufficere viderentur. Quid igitur erat, cur Brutum Cicero, quasi publicæ caussæ diffidens, tam sæpe, tamque vehementer, ut in Italiam veniret, hortaretur? Primum incertos belli casus, Martemque communem extimescebat: itaque, si quid accideret, adesse Brutum, quo civitas, perditis rebus, tamquam ad arcem, confugeret, exoptabat. deinde non admodum erat, cur ab ipsis ducibus confideret. D. Brutus bene ille quidem de rep. sentiebat; nec erat quidquam de illius voluntate dubitandum: sed ejus exercitus etsi numero amplissimus, firmitate tamen erat exiguus; quippe qui magnam partem ex tironibus constaret. tres reliqui suspecti esse poterant, Octavius, quod esset a C. Cæsare adoptatus, quodque veteranis fere Cæsaris militibus uteretur; Pansa & Hirtius, quod Cæsarianas partes civili bello semper fovissent, & a Cæsare magnis beneficiis ornati, percussores illius Brutum & Cassium, libertatis auctores, nequaquam amare possent. atque hanc animi voluntatem Pansa, diuturna simulatione obtectam, aperuit ultimo vitæ die; cum ex illis vulneribus jam jamque moriens, quæ adversus Antonium pugnans accepisse pro rep. ac libertate videbatur, Octavium, lectulo assistentem, multis verbis est cohortatus, ut, quoniam, quidquid resp. virium habuerat, totum id ad ipsum unum, profligato Antonio, consulibus interfectis, infirmo D. Bruti exercitu, belli fortuna contulisset, occasione uteretur, & de patris ulciscenda nece consilium susciperet. Sive igitur Antonius vicisset, præcavendum erat, ne vacuam ac destitutam in remp. victor irrueret: quod malum Bruti præsentis exercitus arcere poterat: sive, ut vinceretur, casus tulisset; id ipsum plane, quod evenit, Cicero metuebat; ne non satis in iis esset constantiæ, ac fidei, quibus ipsa se resp. necessitate coacta commiserat. Vere igitur dixit, *hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta.* adventum enim suum in Italiam Brutus ita distulit, ut spatium Antonio & Octavio dederit coeundæ in publicam perniciem societatis.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ III.

Pansa consule, Hirtio interfecto.

Pag. 115. G*Esta sunt*] ad Mutinam; cum duo consules, Pansa & Hirtius, & pro prætore Cæsar Octavianus cum Antonio pugnarunt.

Sæpe scripsi] fortasse, quod eorum voluntatem suspectam haberet

beret M. Brutus; qui eos C. Cæsaris, olim contra remp. pugnantis, in præsidiis fuisse meminisset.

Indoles virtutis] *virtutem* enim viris attribuimus, *indolem* pueris, & adolescentibus. & quamquam Octavianus e pueris jam excessisset, cum annum ætatis, ut Vellejus lib. II. & Tacitus lib. XIII. scripserunt, undevicesimum tunc ageret; tamen ad earum rerum, quas contra Antonium pro rep. gesserat, majorem admirationem sæpe *puerum* Cicero appellat, ut in epistola ad Cornificium: *Puer* egregius præsidium sibi primum & nobis, deinde summæ reip. comparavit. Et in alia ad D. Brutum: Ne adolescentem, vel puerum potius Cæsarem judices temere fecisse. & Philippica IV. Laudo, laudo vos Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel *pueri* potius.

Honoribus] non præsentibus: magistratum enim nullum adhuc gerebat, tantum erat pro prætore: sed iis, quos, video fore, ut optime de rep. meritus assequatur.

Gratia] quia nihil extraordinarium in libera civitate sperare quisquam potest, nisi gratia valeat. recte igitur honores, & gratiam conjunxit: quod utrunque animos facere potest male cogitanti.

Gratia,] ex amicitiis, propinquitatibus, clientelis Cæsaris mortui collecta.

Persuasum est] hoc illi persuasum non esse, magis e rep. fuisset. hæc enim illum ad immoderatam potentiæ cupiditatem extulit opinio.

Antonium] cum Macedonicis legionibus Brundusio redeuntem. fam. lib. 12. epist. 25. & ad Att. epist. 7. lib. 16. & Phil. III. IV. V. XIII. & XIV.

Ante hanc rem pulcherrimam] ante prœlium Mutinense.

Effundebat] cum ad te in Macedoniam trajicere decrevisset, si Antonius pugna vicisset. Idem scribit ad C. Cassium his verbis. Brutus Mutinæ vix jam sustinebat: qui si conservatus erit, vicimus: sin; quod dii omen avertant, omnis omnium cursus est ad vos.

Ad XII. *kal. Maji*:] quo die de profligatis Antonii copiis nuncium accepit.

In Capitolium] ut Jovi Opt. Max. propter victoriam gratias agerem.

In rostris collocatus] ut inde Pansæ litteras de victoria recitaret. quod ab ipso factum tradit Appianus lib. III. Illud addo, de Rostris verba facere privato cuiquam non licuisse, nisi magistratus ei concionem daret. *Collocatus* igitur, concione a magistratu data.

Gratiarum actio,] quod eo auctore bellum contra M. Antonium decretum susceptumque esset, ut Philippicæ orationes declarant.

Pag. 116. *Popularem me esse*] quod alioqui in malam partem accipi soleret. nam fere ad seditiones excitandas, & statum reip. perturbandum, populi studium quærebatur. sed, popularem esse in populi salute, præclarum est: ut ipse in quadam epistola, *facti jam sumus in re salutari populares.*

Liberalitas] *liberalitatem* posuit pro *clementia*: quia capto C. Antonio, & seditiones concitanti, Brutus tamen pepercerat. quem ut occideret, dicitur a Cicerone litteras accepisse, ut apud Plutarchum legimus.

Unam & eandem esse caussam] hostium loco omnes pariter esse habendos. quod si ita est, cur tu C. Antonium servas? cum ipsi Marcum & Lucium, ejus fratres, armis persequamur.

Consules duos] Hirtium & Pansam.

Dumtaxat bonos:] non etiam fortes & strenuos: quoniam uterque ceciderat. *bonos* autem, *bene sentientes.*

Hirtius quidem] corrigit quod dixerat, *dumtaxat bonos*: sed corrigit tantum modo quod ad Hirtium attinet.

Fugerat:] Bononiam. Appianus.

Ferre non potuit] ideo bonus magis, quam fortis.

Persequitur,] lentius tamen, quam oportuit: quod habuit spatium Antonius sui recreandi. vide infra, & epist. fam. 173.

Sive captivos, sive dediticios,] rursus ad C. Antonium redit. fuit enim gravissimum Ciceronis odium in Antonios. Adjungit autem, *sive dediticios*, quia non prœlio captus erat C. Antonius a Bruto, sed se ipse dediderat. leniores autem in dediticios, quam in captivos, debemus esse. sed omnium eandem esse caussam Cicero volebat, odio videlicet permotus: quod tamen dissimulat duobus modis, primum, cum interpretationem illam aliis adscribit; deinde, cum infert, *nihil disserui durius.*

EXPLANATIO
EPISTOLÆ IV.

Nullis consulibus, cæsis Pansa & Hirtio.

Pag. 116. B*ruti nostri, & consulum*,] Decimi Bruti, & Hirtii, & Pansæ, consulum; qui Antonium pugna vicerant. & observandum, cum ejus particeps victoriæ Cæsar Octavianus fuisset, tamen hic a Bruto non nominatum; qui eum & ut Cæsaris filium odio prosequeretur, & pugnare contra Antonium non tam pro rep. ut videbatur, quam privatæ potentiæ caussa suspicaretur. quam suspicionem res ipsa deinde comprobavit.

Pag. 117. *Judicium esse de iis civibus*,] ad senatum, aut ad pe-

populum R. ſpectare, ut judicet de iis civibus, qui M. Antonium in bello ſecuti, pugnantes non interierint. itaque ego de C. Antonio, qui in mea poteſtate eſt, per me ipſe non ſtatuam: ſed ſenatui, aut populo Rom. judicandum relinquam.

Quod enim non ſenatus cenſuit,] cur ego in C. Antonium durius aliquid ſtatuam, cum id ſenatus aut populi R. judicium eſſe debeat? juſtiſſime igitur facio, cum in eum, ut in hoſtem, non animadverto: ſiquidem ſenatui, aut populo R. ſuam poteſtatem præripere non debeo.

Res non coegit,] Non accidit, ut ego eum occiderem: quoniam ſe ipſe mihi, ejusque legio tradidit.

Quidquam eripui:] hoc ideo dicit, quia ornamenta militaria illi reliquerat. Plutarchus.

Diſſolute:] neque crudelis in eripiendo fui, neque diſſolutus in remittendo: cuſtodivi enim illum diligenter.

Quoad bellum fuit:] in Italia. quaſi nunc, M. Antonio devicto, bellique timore ſublato, de Caio dimittendo, aut certe Romam mittendo Brutus cogitet. quem tamen non multo poſt, cum de Ciceronis & Decimi Bruti nece cognoviſſet, occidi juſſit. Plutarchus.

Tribuere potentibus,] aculeus in Ciceronem, qui Octavianum honoribus extraordinariis ornabat. Quod autem pro, *potentibus*, in Beſſarionis antiquo libro ſcriptum eſt, *petentibus*; reſpuo. nam tum in voce, *potentibus*, Bruti, de libertate admodum timentis, animus magis exprimitur: tum relatio illa, *miſerorum*, & *potentibus*, vim in ſententia, concinnitatem habet in verbis.

Cupiditatem, & arrogantiam] *cupiditas* & de bonis, & de improbis hominibus uſurpatur: ipſa per ſe neque turpitudinem habet, neque laudem. addit igitur, *Et arrogantiam*; quod poteſt aliquis cupere, quæ non licet, neque tamen ea per arrogantiam occupare.

Traduci ad mala conſilia] verus vates de Octaviano.

Largitionibus:] honoribus, qui ſupra modum deferantur: quibus, etiam qui recte ſentiat, nonnumquam corrumpitur, & depravatur. ubi enim majorem aliquam potentiam nacti ſumus, tantum abeſt ut humilia cogitemus, ut etiam ad altiora animum extollamus. Eſt autem hic *largitio*, in tribuendis honoribus nimia liberalitas. nam *largitio pecuniæ* locum hic habere non videtur.

Neu-ſemper &c.] hoc dicit. Cæſarem occidimus; ſed regiam poteſtatem M. Antonius, Cæſare nequior, aſſumpſit. ita videndum eſt, ne, dum in Antonio tollendo ſumus, hæc ſit cauſſa, ut Octavianus, potentia elatus, Antonio peior exiſtat.

Pag. 118. *Neque opinantibus, aut patientibus nobis*] ſive id nobis non opinantibus, ſive patientibus evenerit. æque enim nobis vitio dabitur. Et adverte, hanc loquendi conſuetudinem veteres

adamasse, ut libentius dicerent, *neque opinanti*, quam, *non opinanti*; ut exemplis intelligitur.

Quanta maxima] antiqua locutio, ut de oratore lib. 1. *M. Cato eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa ætas ferre maximam potuit.* Dixit etiam Celsus, bonus latinitatis auctor: *Ut tumor, quantus maximus esse potest, se ostendat.* Et ipse Brutus infra, ep. 20.

Sed etiam prudenter] subaudi, *sentiendo.* potest enim aliquis bene sentire, nec tamen prudenter. quod objectum est Ciceroni; quasi, cum in remp. optime fuerit animatus, ei tamen male consuluerit, quia nimis extulit Octavianum.

Tua virtutes] in Bessarionis libro, *tua virtutis*, video scriptum esse, & conjungi cum sequentibus: ut sit, *tua virtutis unum hoc.* Mihi, ut dicam quod sentio, neque scriptura vetus, neque impressis libris recepta satis probatur. vetere quid significetur, non video. recens primum non caret suspicione mendi, quòd ab antiqua discrepat: deinde occurrit animo quiddam fortasse probabilius. periodum enim libentius ita concluderem; *Alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint. Tua virtutes,* additum fortasse est, ut, quænam essent illa, quæ cum quolibet antiquorum comparari possent, exponeretur.

Grato animo, liberalique profectum,] Laudem cum turpitudine conjungit, quo sit reprehensio tolerabilior: quod ingenii atque artis est. Et in cohortationibus, præceptum Ciceronis est in epistola ad Trebonium, ut laudes eum, quem cohortere. sic Brutus Ciceronem primum laudat ut gratum & liberalem, deinde reprehendit ut minus cautum, nec satis in tribuendis honoribus moderatum. nam ex Ciceronis sententia senatus & lictores, & cetera imperii ornamenta, nomen proprætoris, dignitatem senatoriam, sententiæ prætorio loco dicendæ potestatem Octaviano decreverat: post victoriam autem Mutinensem quinquaginta dierum supplicationes. Philippica v. & XIV. & Plutarchus.

Exemplo, aut præsidio] utrumque refertur ad illud, *male cogitantibus*: ut tamen, *male cogitantibus*, ambigue dictum sit, hoc sensu: *Exemplo*, male cogitantibus iis, qui cum dari aliquid a senatu, contra quam legibus & more majorum liceat, viderunt, incendi facile possunt, ut eadem concupiscant: *Præsidio*, ei, qui accepit a senatu, male cogitanti.

Itaque timeo &c.] sensus hic est. cum vestris decretis honorem proprætoris contra leges habuerit; vereor ne putet se altius adscendisse, cum ad hos extraordinarios honores adscendit, quam sit adscensurus, si inde ad consulatum adscenderit. plus enim est ex privato loco ad prætorium adscendere, quam ex prætorio ad consularem; cum præsertim Octavius annum ageret XIX, cum prætorum jura consecutus est. timeo, inquit, ne plus putet esse, quod jam habet, quam quod habendum restat; ideoque in con-

consulatus cupiditatem facile veniat. quod ita contigit. nam Octavius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri voluit: quod cum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. caussa cum Antonio ac Lepido societatem inivit. placet igitur legi, *adscensurum*, pro *descensurum*. alioqui cum satis erit perplexa, tum inepta quoque videbitur sententia.

Pag. 119. *Non tyranno*,] regnandi enim instrumenta facilius arripimus, si a senatu deferuntur, quod de Octaviano timendum est, quam si a tyranno relinquantur: qua occasione usus est Antonius.

Interfecto:] non solum tyranno, quem imitari turpe fuit, sed eo tyranno, qui est interfectus; cujus exitum timere debuit Antonius. duæ igitur dictiones, *Tyranno interfecto*, altera turpitudinem, altera periculum designat.

Imperia qualibet] quæ restant; præturam ipsam, consulatum, atque adeo dictaturam.

Facilitatem] in tribuendis honoribus.

Providentiam:] ad futura dispicienda. putas enim Cæsarem extraordinariis honoribus, quos illi decrevistis, fore contentum.

Te consulem factum] scribit Appianus, Ciceronem in senatu consuluisse, ut amissis consulibus Octavianus surrogaretur, eique deinde aliquis collega adderetur, qui adolescentiam illius quasi magister regere & moderari posset: senatum affecti ætate hominis ineptam ambitionem risisse. satis enim patuit, quo spectaret.

Filius] filium Ciceronis, qui Athenis philosophiæ operam dabat, Brutus secum abduxit, & equitibus præfecit. fam. lib. 12. epist. 14. Dio, Plutarchus.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ V.

Nullis consulibus.

Pag. 119. S*Ervilius etiam de Ventidio*] Servilius Isaurici filius, is, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu. Ventidio Basso Mulione, qui ex humili admodum fortuna ad consulatum est evectus, primusque Romanorum de Parthis triumphum duxit. Gellius lib. xv. cap. 4.

Pag. 120. *Iisdem locis*] ubi esses. nam, utrum in Macedonia esset, nec ne, fortasse ignorabatur. non erat certe, cum epistolam proximam superiorem scripsit: cum dicat a se filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu esse præmissum.

Ad fidem, & ad dignitatem] cum enim tyrannum vita privasti, quasi tuam in eo fidem obstrinxisti, eodem te in remp. ani-

mo semper futurum. persequi igitur ministros, imitatoresque tyranni, qui tyrannum ipsum occideris, tuæ fidei videtur esse. *Dignitatem*: in primis enim hoc te decet, tuisque præclare factis dignum est.

Sceleris] quia remp. non solum deseruit, sed etiam oppugnavit: multoque etiam magis, quia C. Trebonium occiderat.

Hoc] ut persequerere Dolabellam bello.

Tum:] cum te ad persequendum Dolabellam litteris hortabar

Fugæ:] bonorum, si ad Mutinam secunda fortuna usus esset Antonius.

Ut spero:] dubitat adhuc, neque sine caussa: nam Antonii equitatus integer pæne omnis ex prœlio discesserat: præterea Ventidius suas legiones tres cum eo conjunxerat: & habebat ipse legionem secundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem. fam. ep. 33. lib. x. & epist. 10. 13. lib. xi.

Pag. 121. *Vestrum collegium*] pontificum minorum. pontifex enim erat Brutus. epist. 19.

Sacerdotum comitiis:] ratio creandorum sacerdotum hæc fuit. Creati sunt a collegio pontificum usque ad consules C. Marium, & C. Fimbriam: qui fuit annus ab urbe condita DCL: quo anno Cn. Domitius tribunus pl. lege lata instituit, ut populi comitiis crearentur: ut ex oratione II. in Rullum, & ex Suetonio in Nerone cognovimus. rursus victor Sulla eorum creandorum potestatem, populo ereptam, collegio pontificum restituit, ut ex Dionis historiarum XXXVII. collegimus. mox Labienus tribunus pl. lege Domitia renovata, jus creationis a pontificibus ad populum transtulit, anno ab urbe condita DCXCI. ut ex eodem Dionis loco perspicuum est. Ejusdem fere sententiæ, novo aliquo jure adscripto, legem tulit C. Cæsar dictator. postremo consul M. Antonius, qui triumvir fuit, pontificibus veterem cooptandi potestatem, lege lata, restituit, ut apud Dionem legimus lib. XLIV. in extremo. quam tamen a Pansa consule sequenti anno esse abrogatam, ostendimus in libro de legibus Romanis, quem propediem edituri sumus.

Haberi posse: lex quidem, quæ vetaret, non erat: consuetudo tamen non ferebat. itaque lib. II. ad Atticum, *quoniam*, inquit, *Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur*. Nimirum significat, Nepotis absentis rationem haberi comitiis augurum non posse.

In Cappadocia] quo profectus erat, specie quidem ad vota matri deorum peragenda, re vera ad bellum excitandum. Plutarchus.

Lege Domitia] populi comitiis, ut Cn. Domitius tribunus pl. lege sanxerat.

Augur.] augures sacerdotum numero continentur. lex autem Domitia de omnibus sacerdotiis erat.

Qui

Qui petit, cujusve ratio habebitur,] *qui petit*, de præsentibus est: *cujusve ratio habebitur*, de absentibus.

De Domitio, & de Catone nostro] altero L. Domitii Ahenobarbi, altero M. Catonis Uticensis filio, utroque arctissima affinitate Brutum attingente. nam duas Porcias, Uticensis filias, alteram Ahenobarbus in matrimonio habuerat, alteram Brutus habebat: ut etiam alio loco diximus.

Asiam] non, quæ de tribus orbis partibus una numeratur, sed, quæ provincia est Ciliciæ finitima.

Collegam sibi surrogasset] locus multis difficultatibus obstructus: quem tamen, ut spero, ita explicabimus, atque aperiemus, ut ad veritatem nemo non possit, aditu patefacto, pervenire. Ac primum illud ponatur, Ciceronem Bruto significare, ut, si eundum sibi statuit in Asiam, decernat ante de Marco filio, utrum velit eum ad sacerdotum comitia Romam venire, præsentemque petere; an in Asiam una proficisci. quo si proficiscatur, incommoda sequuntur illa. primum, si accersere eum ad comitia voluerimus, facultatem nobis omnem auferet locorum longinquitas. sin, ut absens petat, placebit: infirma spe nitemur: cum sint omnia præsentibus faciliora, quam absentibus. Accedit illud, quo maxime Cicero perturbatur, quia, quando futura sacerdotum comitia sint, ignorat. nam cum ea non nisi a consulibus, aut ab interrege, aut a pontifice maximo haberi possint; consules porro hoc tempore nulli sint; interrex creari non possit; pontifex maximus M. Lepidus ab urbe abfit: sequitur, ut de comitiorum illorum die prorsus incerta conjectura sit. quam ob caussam de filio accersendo constituere non potest. itaque totam rem ad Bruti consilium ac prudentiam rejicit. Quod autem dixi, comitia sacerdotum solis consulibus habere licuisse, aut, si consules non essent, interregi; probatur hoc modo. Pansa vivo, celeriora omnia fuissent: mortuo, futurum, ut tardiora sint, Cicero videt. cur tardiora? nimirum quia quæ potestas surrogandorum sacerdotum penes consules erat, ea, sublatis consulibus, ad eos magistratus, qui supererant, non transferebatur. hoc ita esse, satis, ut opinor, illa verba declarant: *Nunc per auspicia longam moram video.* Cum igitur, præter consules, ex ordinariis magistratibus habere sacerdotum comitia nullus posset: simile veri est, ab interrege haberi ob eam caussam potuisse, quod interrex eodem, quo consules, jure esset; utpote qui creandis consulibus habere comitia posset. prætores autem eodem, quo consules, jure non erant. nam, quamvis collegæ consulum dicerentur, minime tamen consularia comitia, ac ne prætoria quidem, habere poterant. quod a Messalla in libro de auspiciis traditum, observavimus. longæ igitur moræ, quam Cicero timet, hæc est caussa; quod, extinctis consulibus, neque magistratus tunc erat, qui sacerdotes comitiis rogare posset; & interrex toto

anno creari a senatu non poterat. sic enim mos majorum obtinuerat, ut, cum nullus jam esset patricius magistratus, tunc demum interrex a senatu crearetur. at hoc anno, mortuis Hirtio & Pansa consulibus, alii tamen supererant patricii magistratus, ut prætores, ædiles curules. ita nodus erat difficilis, quia neque prætor, aut ædilis curulis habere sacerdotum comitia poterat; &, qui potuisset, interrex, is ne creari posset, eorum caussa fiebat. auspicia enim quibus eum patres creare soliti erant, (nihil enim, neque publice, neque privatim, majoris rei, sine auspiciis, apud veteres gerebatur) redire ad ipsos non poterant, dum vel unus esset patricius magistratus. exspectandum igitur erat, donec patricii magistratus annuo munere essent perfuncti. tunc enim creatus interrex a patriciis senatoribus comitia primum consulibus rogandis, deinde sacerdotibus habuisset. Aut intellige sic. Comitia primum consularia interrex habuisset, deinde consules creati sacerdotum comitia ipsi habuissent. quod similitudinem veritatis majorem habet: ut interregis una cura de rogandis consulibus esset; consules deinde reliqua perficerent. Quæri potest, cur, quemadmodum Crispinus consul morti proximus, secundi belli Punici temporibus, dictatorem dixit, ne resp. sine consulibus esset, (jam enim & M. Marcellus, collega ipsius, interfectus erat) itidem Pansa, summo in vitæ discrimine constitutus, dictatorem non dixerit; a quo & consulum, & sacerdotum, aut saltem consulum, qui deinde sacerdotes rogarent, haberi comitia possent. Hanc dubitationem facile tollit historia. non enim quo tempore Pansa periit, creari dictatorem licebat: cum dictatoris nomen M. Antonius consul funditus jam e rep. sustulisset.

Pansa vivo] is Bononiæ perierat ex vulneribus Mutinensi prœlio acceptis.

Surrogasset,] in locum Hirtii eodem prœlio interfecti.

Prætoria,] designandis insequentis anni prætoribus. de consularibus comitiis, quæ ante prætoria fiebant, ideo non meminit, quia designati jam erant a C. Cæsare, Parthicum bellum cogitante, qui post Hirtium & Pansam consules essent, L. Munatius Plancus, & D. Junius Brutus. Et prætoriis antecessisse sacerdotum comitia, quod deorum immortalium religionem rebus humanis æquum esset anteponi, vel hic locus perspicue demonstrat.

Sacerdotum comitia] hæc non, ut magistratuum, quotannis; sed, cum surrogandus aliquis esset in demortui locum, habebantur.

Per auspicia] quæ ad patricios magistratus pertinebant, nec ad senatum, nisi cum ii non essent, transferri poterant.

Unus] quasi dicat, duo nunc sunt, prætor, & ædilis curulis. patricii enim magistratus dicebantur ii, qui, majorum ætate, pa-

patriciorum caussa ex gentibus patriciis erant instituti.

Ad patres] non dicit, *ad senatum*, in quem non soli patricii, sed plebeji quoque, in primisque qui ex equestri essent ordine, legebantur; sed, *ad patres*: quòd, a solis patriciis senatoribus creari interregem, moris esset. & quamquam, *patres*, interdum pro universo senatu usurpatur; proprie tamen de patriciis dicebatur; quibus aditus in senatum initio solis patuit. itaque in epistola ad Pætum, *ad patres*, inquit, *censeo*, *revertere*: *plebeji quam fuerint importuni*, *vides*: cum de patriciis Pæti majoribus intelligeret.

Redire] tunc redeunt, cum, magistratibus nullis dum designatis, quod sæpe civium in dissensionibus contigit, annus abiit.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VI.

Nullis consulibus.

Pag. 121. GRatias agam] quòd eam sententiam dixisti, qua mihi honorificentius nihil esse potuit, ut meum esset liberum judicium de bello gerendo.

Pag. 122. *Aut ad commendationem honoris*] ut, si, comitia sacerdotum essent, peteret: si non essent, honorem suum ad insequentis anni comitia commendaret: quibus absens peteret, ne abesset ab exercitu, tam necessario reip. tempore.

In suspicionem] legimus & apud Suetonium, suspectam Pansæ mortem fuisse, medicumque Glyconem custoditum esse, quasi venenum vulneri indidisset. quod & Tacitus lib. I. significat his verbis: Cæsis Hirtio & Pansa, (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri affusum, sive milites Hirtium, & machinator doli Cæsar abstulerat) utriusque copias occupavisse.

Torquato:] cur Torquato potissimum? quia Pansæ quæstor fuerat, ut ex Appiano cognovimus; consulisque sui mortem persequebatur, pro ea necessitudine. quæ inter consulem & quæstorem fuit: quam ad paternam caritatem accessisse, traditum est. epist. fam. lib. XIII. ubi M. Bruto Varronem, ejus quæstorem, commendat: & in Divinatione.

Achilleus] pro, *Achilles*: ad Græcam inflectendi rationem, ut cum dixit, *Achilleos nostri*.

Trebonii] quem Asiæ præfectum Dolabella Smyrnæ occiderat.

Tullio:] Tullio Cimbro, qui Bithyniam administrabat. Dio lib. XLVII. Appianus lib. III. Plutarchus in Bruto.

Flavius] in exercitu Bruti opificum præfectus: quo in extrema

adamasse, ut libentius dicerent, *neque opinanti*, quam, *non opinanti*; ut exemplis intelligitur.

Quanta maxima] antiqua locutio, ut de oratore lib. I. *M. Cato eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa ætas ferre maximam potuit.* Dixit etiam Celsus, bonus latinitatis auctor: *Ut tumor, quantus maximus esse potest, se ostendat.* Et ipse Brutus infra, ep. 20.

Sed etiam prudenter] subaudi, *sentiendo.* potest enim aliquis bene sentire, nec tamen prudenter. quod objectum est Ciceroni; quasi, cum in remp. optime fuerit animatus, ei tamen male consuluerit, quia nimis extulit Octavianum.

Tuæ virtutes] in Bessarionis libro, *tuæ virtutis*, video scriptum esse, & conjungi cum sequentibus: ut sit, *tuæ virtutis unum hoc.* Mihi, ut dicam quod sentio, neque scriptura vetus, neque impressis libris recepta satis probatur. vetere quid significetur, non video. recens primum non caret suspicione mendi, quòd ab antiqua discrepat: deinde occurrit animo quiddam fortasse probabilius. periodum enim libentius ita concluderem; *Alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint. Tuæ virtutes*, additum fortasse est, ut, quænam essent illa, quæ cum quolibet antiquorum comparari possent, exponeretur.

Grato animo, liberalique profectum,] Laudem cum turpitudine conjungit, quo sit reprehensio tolerabilior: quod ingenii atque artis est. Et in cohortationibus, præceptum Ciceronis est in epistola ad Trebonium, ut laudes eum, quem cohortere. sic Brutus Ciceronem primum laudat ut gratum & liberalem, deinde reprehendit ut minus cautum, nec satis in tribuendis honoribus moderatum. nam ex Ciceronis sententia senatus & lictores, & cetera imperii ornamenta, nomen proprætoris, dignitatem senatoriam, sententiæ prætorio loco dicendæ potestatem Octaviano decreverat: post victoriam autem Mutinensem quinquaginta dierum supplicationes. Philippica V. & XIV. & Plutarchus.

Exemplo, aut præsidio] utrumque refertur ad illud, *male cogitantibus*: ut tamen, *male cogitantibus*, ambigue dictum sit, hoc sensu: *Exemplo*, male cogitantibus iis, qui cum dari aliquid a senatu, contra quam legibus & more majorum liceat, viderunt, incendi facile possunt, ut eadem concupiscant: *Præsidio*, ei, qui accepit a senatu, male cogitanti.

Itaque timeo &c.] sensus hic est. cum vestris decretis honorem proprætoris contra leges habuerit; vereor ne putet se altius adscendisse, cum ad hos extraordinarios honores adscendit, quam sit adscensurus, si inde ad consulatum adscenderit. plus enim est ex privato loco ad prætorium adscendere, quam ex prætorio ad consularem; cum præsertim Octavius annum ageret XIX, cum prætorum jura consecutus est. timeo, inquit, ne plus putet esse, quod jam habet, quam quod habendum restat; ideoque in con-

consulatus cupiditatem facile veniat. quod ita contigit. nam Octavius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri voluit: quod cum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. caussa cum Antonio ac Lepido societatem inivit. placet igitur legi, *adscensurum*, pro *descensurum*. alioqui cum satis erit perplexa, tum inepta quoque videbitur sententia.

Pag. 119. *Non tyranno*,] regnandi enim instrumenta facilius arripimus, si a senatu deferuntur, quod de Octaviano timendum est, quam si a tyranno relinquantur: qua occasione usus est Antonius.

Interfecto:] non solum tyranno, quem imitari turpe fuit, sed eo tyranno, qui est interfectus; cujus exitum timere debuit Antonius. duæ igitur dictiones, *Tyranno interfecto*, altera turpitudinem, altera periculum designat.

Imperia qualibet] quæ restant; præturam ipsam, consulatum, atque adeo dictaturam.

Facilitatem] in tribuendis honoribus.

Providentiam:] ad futura dispicienda. putas enim Cæsarem extraordinariis honoribus, quos illi decrevistis, fore contentum.

Te consulem factum] scribit Appianus, Ciceronem in senatu consuluisse, ut amissis consulibus Octavianus surrogaretur, eique deinde aliquis collega adderetur, qui adolescentiam illius quasi magister regere & moderari posset: senatum affecti ætate hominis ineptam ambitionem risisse. satis enim patuit, quo spectaret.

Filius] filium Ciceronis, qui Athenis philosophiæ operam dabat, Brutus secum abduxit, & equitibus præfecit. fam. lib. 12. epist. 14. Dio, Plutarchus.

EXPLANATIO EPISTOLÆ V.

Nullis consulibus.

Pag. 119. *SErvilius etiam de Ventidio*] Servilius Isaurici filius, is, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu. Ventidio Basso Mulione, qui ex humili admodum fortuna ad consulatum est evectus, primusque Romanorum de Parthis triumphum duxit. Gellius lib. xv. cap. 4.

Pag. 120. *Iisdem locis*] ubi esses. nam, utrum in Macedonia esset, nec ne, fortasse ignorabatur. non erat certe, cum epistolam proximam superiorem scripsit: cum dicat a se filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu esse præmissum.

Ad fidem, & ad dignitatem] cum enim tyrannum vita privasti, quasi tuam in eo fidem obstrinxisti, eodem te in remp. animo

adamasse, ut libentius dicerent, *neque opinanti*, quam, *non opinanti*; ut exemplis intelligitur.

Quanta maxima] antiqua locutio, ut de oratore lib. I. *M. Cato eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa ætas ferre maximam potuit.* Dixit etiam Celsus, bonus latinitatis auctor: *Ut tumor, quantus maximus esse potest, se ostendat.* Et ipse Brutus infra, ep. 20.

Sed etiam prudenter] subaudi, *sentiendo.* potest enim aliquis bene sentire, nec tamen prudenter. quod objectum est Ciceroni; quasi, cum in remp. optime fuerit animatus, ei tamen male consuluerit, quia nimis extulit Octavianum.

Tuæ virtutes] in Bessarionis libro, *tuæ virtutis*, video scriptum esse, & conjungi cum sequentibus: ut sit, *tuæ virtutis unum hoc.* Mihi, ut dicam quod sentio, neque scriptura vetus, neque impressis libris recepta satis probatur. vetere quid significetur, non video. recens primum non caret suspicione mendi, quòd ab antiqua discrepat: deinde occurrit animo quiddam fortasse probabilius. periodum enim libentius ita concluderem; *Alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint. Tuæ virtutes*, additum fortasse est, ut, quænam essent illa, quæ cum quolibet antiquorum comparari possent, exponeretur.

Grato animo, liberalique profectum,] Laudem cum turpitudine conjungit, quo fit reprehensio tolerabilior: quod ingenii atque artis est. Et in cohortationibus, præceptum Ciceronis est in epistola ad Trebonium, ut laudes eum, quem cohortere. sic Brutus Ciceronem primum laudat ut gratum & liberalem, deinde reprehendit ut minus cautum, nec satis in tribuendis honoribus moderatum. nam ex Ciceronis sententia senatus & lictores, & cetera imperii ornamenta, nomen proprætoris, dignitatem senatoriam, sententiæ prætorio loco dicendæ potestatem Octaviano decreverat: post victoriam autem Mutinensem quinquaginta dierum supplicationes. Philippica V. & XIV. & Plutarchus.

Exemplo, aut præsidio] utrumque refertur ad illud, *male cogitantibus*: ut tamen, *male cogitantibus*, ambigue dictum sit, hoc sensu: *Exemplo*, male cogitantibus iis, qui cum dari aliquid a senatu, contra quam legibus & more majorum liceat, viderunt, incendi facile possunt, ut eadem concupiscant: *Præsidio*, ei, qui accepit a senatu, male cogitanti.

Itaque timeo &c.] sensus hic est. cum vestris decretis honorem proprætoris contra leges habuerit; vereor ne putet se altius adscendisse, cum ad hos extraordinarios honores adscendit, quam sit adscensurus, si inde ad consulatum adscenderit. plus enim est ex privato loco ad prætorium adscendere, quam ex prætorio ad consularem; cum præsertim Octavius annum ageret XIX, cum prætorum jura consecutus est. timeo, inquit, ne plus putet esse, quod jam habet, quam quod habendum restat; ideoque in con-

consulatus cupiditatem facile veniat. quod ita contigit. nam Octavius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri voluit: quod cum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. caussa cum Antonio ac Lepido societatem inivit. placet igitur legi, *adscensurum*, pro *descensurum*. alioqui cum satis erit perplexa, tum inepta quoque videbitur sententia.

Pag. 119. *Non tyranno*,] regnandi enim instrumenta facilius arripimus, si a senatu deferuntur, quod de Octaviano timendum est, quam si a tyranno relinquantur: qua occasione usus est Antonius.

Interfecto:] non solum tyranno, quem imitari turpe fuit, sed eo tyranno, qui est interfectus; cujus exitum timere debuit Antonius. duæ igitur dictiones, *Tyranno interfecto*, altera turpitudinem, altera periculum designat.

Imperia qualibet] quæ restant; præturam ipsam, consulatum, atque adeo dictaturam.

Facilitatem] in tribuendis honoribus.

Providentiam:] ad futura dispicienda. putas enim Cæsarem extraordinariis honoribus, quos illi decrevistis, fore contentum.

Te consulem factum] scribit Appianus, Ciceronem in senatu consuluisse, ut amissis consulibus Octavianus surrogaretur, eique deinde aliquis collega adderetur, qui adolescentiam illius quasi magister regere & moderari posset: senatum affecti ætate hominis ineptam ambitionem risisse. satis enim patuit, quo spectaret.

Filius] filium Ciceronis, qui Athenis philosophiæ operam dabat, Brutus secum abduxit, & equitibus præfecit. fam. lib. 12. epist. 14. Dio, Plutarchus.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ V.

Nullis consulibus.

Pag. 119. S*Ervilius etiam de Ventidio*] Servilius Isaurici filius, is, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu. Ventidio Basso Mulione, qui ex humili admodum fortuna ad consulatum est evectus, primusque Romanorum de Parthis triumphum duxit. Gellius lib. xv. cap. 4.

Pag. 120. *Iisdem locis*] ubi esses. nam, utrum in Macedonia esset, nec ne, fortasse ignorabatur. non erat certe, cum epistolam proximam superiorem scripsit: cum dicat a se filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu esse præmissum.

Ad fidem, & ad dignitatem] cum enim tyrannum vita privasti, quasi tuam in eo fidem obstrinxisti, eodem te in remp. ani-

mo semper futurum. persequi igitur ministros, imitatoresque tyranni, qui tyrannum ipsum occideris, tuæ fidei videtur esse. *Dignitatem*: in primis enim hoc te decet, tuisque præclare factis dignum est.

Sceleris] quia remp. non solum deseruit, sed etiam oppugnavit: multoque etiam magis, quia C. Trebonium occiderat.

Hoc] ut persequerere Dolabellam bello.

Tum:] cum te ad persequendum Dolabellam litteris hortabar

Fugæ:] bonorum, si ad Mutinam secunda fortuna usus esset Antonius.

Ut spero:] dubitat adhuc, neque sine caussa: nam Antonii equitatus integer pæne omnis ex prœlio discesserat: præterea Ventidius suas legiones tres cum eo conjunxerat: & habebat ipse legionem secundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem. fam. ep. 33. lib. x. & epist. 10. 13. lib. xi.

Pag. 121. *Vestrum collegium*] pontificum minorum. pontifex enim erat Brutus. epist. 19.

Sacerdotum comitiis:] ratio creandorum sacerdotum hæc fuit. Creati sunt a collegio pontificum usque ad consules C. Marium, & C. Fimbriam: qui fuit annus ab urbe condita DCL: quo anno Cn. Domitius tribunus pl. lege lata instituit, ut populi comitiis crearentur: ut ex oratione II. in Rullum, & ex Suetonio in Nerone cognovimus. rursus victor Sulla eorum creandorum potestatem, populo ereptam, collegio pontificum restituit, ut ex Dionis historiarum XXXVII. collegimus. mox Labienus tribunus pl. lege Domitia renovata, jus creationis a pontificibus ad populum transtulit, anno ab urbe condita DCXCI. ut ex eodem Dionis loco perspicuum est. Ejusdem fere sententiæ, novo aliquo jure adscripto, legem tulit C. Cæsar dictator. postremo consul M. Antonius, qui triumvir fuit, pontificibus veterem cooptandi potestatem, lege lata, restituit, ut apud Dionem legimus lib. XLIV. in extremo. quam tamen a Pansa consule sequenti anno esse abrogatam, ostendimus in libro de legibus Romanis, quem propediem edituri sumus.

Haberi posse: lex quidem, quæ vetaret, non erat: consuetudo tamen non ferebat. itaque lib. II. ad Atticum, *quoniam*, inquit, *Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur*. Nimirum significat, Nepotis absentis rationem haberi comitiis augurum non posse.

In Cappadocia] quo profectus erat, specie quidem ad vota matri deorum peragenda, re vera ad bellum excitandum. Plutarchus.

Lege Domitia] populi comitiis, ut Cn. Domitius tribunus pl. lege sanxerat.

Augur.] augures sacerdotum numero continentur. lex autem Domitia de omnibus sacerdotiis erat.

Qui

Qui petit, cujusve ratio habebitur,] *qui petit*, de praesentibus est: *cujusve ratio habebitur*, de absentibus.

De Domitio, *& de Catone nostro*] altero L. Domitii Ahenobarbi, altero M. Catonis Uticensis filio, utroque arctissima affinitate Brutum attingente. nam duas Porcias, Uticensis filias, alteram Ahenobarbus in matrimonio habuerat, alteram Brutus habebat: ut etiam alio loco diximus.

Asiam] non, quae de tribus orbis partibus una numeratur, sed, quae provincia est Ciliciae finitima.

Collegam sibi surrogasset] locus multis difficultatibus obstructus: quem tamen, ut spero, ita explicabimus, atque aperiemus, ut ad veritatem nemo non possit, aditu patefacto, pervenire. Ac primum illud ponatur, Ciceronem Bruto significare, ut, si eundum sibi statuit in Asiam, decernat ante de Marco filio, utrum velit eum ad sacerdotum comitia Romam venire, praesentemque petere; an in Asiam una proficisci. quo si proficiscatur, incommoda sequuntur illa. primum, si accersere eum ad comitia voluerimus, facultatem nobis omnem auferet locorum longinquitas. sin, ut absens petat, placebit: infirma spe nitemur: cum sint omnia praesentibus faciliora, quam absentibus. Accedit illud, quo maxime Cicero perturbatur, quia, quando futura sacerdotum comitia sint, ignorat. nam cum ea non nisi a consulibus, aut ab interrege, aut a pontifice maximo haberi possint; consules porro hoc tempore nulli sint; interrex creari non possit; pontifex maximus M. Lepidus ab urbe absit: sequitur, ut de comitiorum illorum die prorsus incerta conjectura sit. quam ob caussam de filio accersendo constituere non potest. itaque totam rem ad Bruti consilium ac prudentiam rejicit. Quod autem dixi, comitia sacerdotum solis consulibus habere licuisse, aut, si consules non essent, interregi; probatur hoc modo. Pansa vivo, celeriora omnia fuissent: mortuo, futurum, ut tardiora sint, Cicero videt. cur tardiora? nimirum quia quae potestas surrogandorum sacerdotum penes consules erat, ea, sublatis consulibus, ad eos magistratus, qui supererant, non transferebatur. hoc ita esse, satis, ut opinor, illa verba declarant: *Nunc per auspicia longam moram video.* Cum igitur, praeter consules, ex ordinariis magistratibus habere sacerdotum comitia nullus posset: simile veri est, ab interrege haberi ob eam caussam potuisse, quod interrex eodem, quo consules, jure esset; utpote qui creandis consulibus habere comitia posset. praetores autem eodem, quo consules, jure non erant. nam, quamvis collegae consulum dicerentur, minime tamen consularia comitia, ac ne praetoria quidem, habere poterant. quod a Messalla in libro de auspiciis traditum, observavimus. longae igitur morae, quam Cicero timet, haec est caussa; quod, extinctis consulibus, neque magistratus tunc erat, qui sacerdotes comitiis rogare posset; & interrex toto

anno creari a senatu non poterat. sic enim mos majorum obtinuerat, ut, cum nullus jam esset patricius magistratus, tunc demum interrex a senatu crearetur. at hoc anno, mortuis Hirtio & Pansa consulibus, alii tamen supererant patricii magistratus, ut prætores, ædiles curules. ita nodus erat difficilis, quia neque prætor, aut ædilis curulis habere sacerdotum comitia poterat; &, qui potuisset, interrex, is ne creari posset, eorum caussa fiebat. auspicia enim quibus eum patres creare soliti erant, (nihil enim, neque publice, neque privatim, majoris rei, sine auspiciis, apud veteres gerebatur) redire ad ipsos non poterant, dum vel unus esset patricius magistratus. exspectandum igitur erat, donec patricii magistratus annuo munere essent perfuncti. tunc enim creatus interrex a patriciis senatoribus comitia primum consulibus rogandis, deinde sacerdotibus habuisset. Aut intellige sic. Comitia primum consularia interrex habuisset, deinde consules creati sacerdotum comitia ipsi habuissent. quod similitudinem veritatis majorem habet: ut interregis una cura de rogandis consulibus esset; consules deinde reliqua perficerent. Quæri potest, cur, quemadmodum Crispinus consul morti proximus, secundi belli Punici temporibus, dictatorem dixit, ne resp. sine consulibus esset, (jam enim & M. Marcellus, collega ipsius, interfectus erat) itidem Pansa, summo in vitæ discrimine constitutus, dictatorem non dixerit; a quo & consulum, & sacerdotum, aut saltem consulum, qui deinde sacerdotes rogarent, haberi comitia possent. Hanc dubitationem facile tollit historia. non enim quo tempore Pansa periit, creari dictatorem licebat: cum dictatoris nomen M. Antonius consul funditus jam e rep. sustulisset.

Pansa vivo] is Bononiæ perierat ex vulneribus Mutinensi prœlio acceptis.

Surrogasset,] in locum Hirtii eodem prœlio interfecti.

Prætoria,] designandis insequentis anni prætoribus. de consularibus comitiis, quæ ante prætoria fiebant, ideo non meminit, quia designati jam erant a C. Cæsare, Parthicum bellum cogitante, qui post Hirtium & Pansam consules essent, L. Munatius Plancus, & D. Junius Brutus. Et prætoriis antecessisse sacerdotum comitia, quod deorum immortalium religionem rebus humanis æquum esset anteponi, vel hic locus perspicue demonstrat.

Sacerdotum comitia] hæc non, ut magistratuum, quotannis; sed, cum surrogandus aliquis esset in demortui locum, habebantur.

Per auspicia] quæ ad patricios magistratus pertinebant, nec ad senatum, nisi cum ii non essent, transferri poterant.

Unus] quasi dicat, duo nunc sunt, prætor, & ædilis curulis. patricii enim magistratus dicebantur ii, qui, majorum ætate,

pa-

patriciorum caussa ex gentibus patriciis erant instituti.

Ad patres] non dicit, *ad senatum*, in quem non soli patricii, sed plebeji quoque, in primisque qui ex equestri essent ordine, legebantur; sed, *ad patres*: quòd, a solis patriciis senatoribus creari interregem, moris esset. & quamquam, *patres*, interdum pro universo senatu usurpatur; proprie tamen de patriciis dicebatur; quibus aditus in senatum initio solis patuit. itaque in epistola ad Pætum, *ad patres*, inquit, *censeo*, *revertere*: *plebeji quam fuerint importuni*, *vides*: cum de patriciis Pæti majoribus intelligeret.

Redire] tunc redeunt, cum, magistratibus nullis dum designatis, quod sæpe civium in dissensionibus contigit, annus abiit.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VI.

Nullis consulibus.

Pag. 121. GRatias agam] quòd eam sententiam dixisti, qua mihi honorificentius nihil esse potuit, ut meum esset liberum judicium de bello gerendo.

Pag. 122. *Aut ad commendationem honoris*] ut, si, comitia sacerdotum essent, peteret: si non essent, honorem suum ad insequentis anni comitia commendaret: quibus absens peteret, ne abesset ab exercitu, tam necessario reip. tempore.

In suspicionem] legimus & apud Suetonium, suspectam Pansæ mortem fuisse, medicumque Glyconem custoditum esse, quasi venenum vulneri indidisset. quod & Tacitus lib. I. significat his verbis: Cæsis Hirtio & Pansa, (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri affusum, sive milites Hirtium, & machinator doli Cæsar abstulerat) utriusque copias occupavisse.

Torquato:] cur Torquato potissimum? quia Pansæ quæstor fuerat, ut ex Appiano cognovimus; consulisque sui mortem persequebatur, pro ea necessitudine. quæ inter consulem & quæstorem fuit: quam ad paternam caritatem accessisse, traditum est. epist. fam. lib. XIII. ubi M. Bruto Varronem, ejus quæstorem, commendat: & in Divinatione.

Achilleus] pro, *Achilles*: ad Græcam inflectendi rationem, ut cum dixit, *Achilleos nostri*.

Trebonii] quem Asiæ præfectum Dolabella Smyrnæ occiderat.

Tullio:] Tullio Cimbro, qui Bithyniam administrabat. Dio lib. XLVII. Appianus lib. III. Plutarchus in Bruto.

Flavius] in exercitu Bruti opificum præfectus: quo in extrema

ma illa Philippensi pugna cæso, dicitur Brutus in illius mentione vehementer suspirasse. Plutarchus.

Pag. 123. *Necessariis tuis*] erat enim Dyrrhachium in fide Ciceronis. itaque lib. XIV. ad Terentiam, *civitas*, inquit, *hæc semper a me defensa est*. Et ad Atticum lib. III. *Quod mei studiosos habui Dyrrhachinos, ad eos perrexi*. Et in oratione pro Plancio: *Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi.*

imam] ultimam: quæ longissime distat ab urbe Roma. sic Horatius,

„ — *hæc Janus summus ad imum*
„ *Perdocet.*

Candaviam] cujus montes Dyrrhachio LXXIX. distare, Plinius tradit.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ VII.

Nullis consulibus.

Pag. 123. B*ibulus*] Bruti privignus. fuit enim M. Calpurnii Bibuli, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu, ex Porcia filius; quæ post obitum prioris viri Bruto nupsit. Sed videntur duo Bibuli sacerdotium cupivisse, ut est ep. 18. Brutus autem privignum solum commendavit. Plutarchus in Bruto, & Catone. Et, hunc de M. Bibuli liberis primum non fuisse, prænomen ipsum declarat. fuisset enim Marcus, non Lucius, ex vetere consuetudine. Marcus autem, ut opinor, perierat aliquanto ante, interfectus a Gabinianis militibus. Valerius cap. I. lib. III.

Cujus tanta pro rep.] hæc verba indicant, cum dixit, *quam carus mihi esse debeat*, non significasse propter affinitatem, sed propter Bibuli virtutem studiumque erga salutem reip.

Si modo justa est, aut pro officio &c.] cum dixit, *justa*, ad virtutem Bibuli spectavit; quam, ornari, justum erat cum, *pro officio necessario*, ad necessitudinem, qua Bibulum attingebat: ut vel hoc nomine ejus caussa velle cogeretur.

In Pansæ locum,] ut pontifex minor creetur. ep. 18. auctor rhetoricorum ad Herennium itidem locutus est lib. I. *Augur damnatus de pecuniis repetundis, in demortui locum qui petat nominavit.* quam loquendi rationem qui non intelligebant, pro, *in Pansæ locum*, fecerunt, *is Pansæ locum*, non modo contra veterem Latinæ loquendi consuetudinem, verum etiam contra quam in antiquis libris scriptum est.

Nominationem] ut tu de eo referas. sic Cicero auguratum petens,

tens, a duobus auguribus nominatus erat, Pompejo & Hortensio. neque enim a pluribus licebat. Philippica II. & de claris orat.

Appuleium vero] quasi Ciceronis auctoritate Appulejus magis, quam Domitius, egeret, genere inferior, & patre natus minus nobili.

Celebrabitur] laudabitur a me, tibique commendabitur. quasi dicat: sed hæc epistola Bibuli solum caussa scripta est: neminem admisceo.

Dimittere ex sinu,] ita loquimur de iis hominibus, aut rebus, quæ nobis carissimæ sunt. ad Quinctum fratrem lib. II. ep. 12. *Jam pridem istum canto Cæsarem. mihi crede in sinu est, neque ego discingor.*

Ex quanto potest evadere,] ex tanto viro, quantus jam est, facile potest evadere, qui vestras paucorum laudes assequatur. quasi & magnus vir esset Bibulus, nec tamen Ciceronis adhuc, paucorumque similium laudibus par; sed qui, cum in via virtutis tantum processisset, eos aliquando assecuturus videretur.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VIII.

Nullis consulibus.

Pag. 124. *SEquitur Judicium tuum;*] volunt omnes boni idem, quod tu, remp. liberari: in eoque te ducem sequuntur.

Municipem Suessanum] cum duæ sint Suessæ, Arunca, & Pometia; utram intelligit? Pometiam. nam Auruncam fuisse coloniam, non municipium, ex Velleio cognoscitur.

Metello imperatore] qui a Creta devicta Creticus est cognominatus, & cum Q. Marcio Vatia consulatum gessit. Plutarchus in Pompejo.

Octavum principem] in quavis legione erant, ætas prima, Hastatorum; altera, Principum; tertia, Triariorum. quæ, Velitibus exceptis, dividebantur singulæ in decem centurias, qui & manipuli dicebantur. prima Hastatorum centuria, primus Hastatus, secunda, secundus, & eodem modo usque ad decimam vocabatur. sic primus Princeps, secundus Princeps. primus autem Triarius non dicebatur, sed primus pilus. centuriones autem, centurio primi Hastati, centurio primi Principis, centurio primi pili. Velites autem in centurias non dividebantur, ut Polybius lib. VI. docet. Nasennius igitur *octavum principem*, id est octavam centuriam Principum, duxerat sub Metello. sic apud Cæsarem lib. 6. III. de bel. Gal. T. Balventius anno superiore primum pilum duxerat,

EX

EXPLANATIO EPISTOLÆ IX.

Nullis consulibus.

Pag. 124. F*Ungerer officio*,] assequi non possum, qua in re tantam jacturam fecisset Brutus, aut quod accepisset tantum vulnus, ut hac tam exquisita consolatione indigeret. suspicarer aliquid de Porcia uxore, quam Nicolaus philosophus ex quadam epistola, quæ Bruti nomine circumferebatur, vivo adhuc marito mortem sibi conscivisse colligebat; nisi & graviter Plutarchus illam Nicolai opinionem convelleret, & ego alia haberem argumenta, quibus, hanc epistolam nullo modo ad Porciæ mortem referri posse, facile intelligo. nam, ut alia omittam, Brutus ipse infra ad Atticum scribens, *Valetudinem*, inquit, *Porcia mea tibi cura esse, non miror.* Neque vero est, quod quisquam dicat, fieri posse, ut inversus sit ordo epistolarum; utque illa Bruti ad Atticum, quæ posterior legitur, ante hanc tamen scripta fuerit. etenim, cum hæc a Cicerone scripta est, non dum erat ob Octavio superatus Antonius. id vel ex eo intelligi potest, quod ad finem ita scribit: *Nos te, tuumque exercitum exspectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore.* Nempe igitur adhuc in ambiguo res erat. at vero illam alteram, superato jam Antonio, scriptam fuisse, nemo ignorare potest, qui eam legerit. Quare, ut dixi, de Porciæ morte non est, cur possimus intelligere. Quid igitur? omnino sciri posse non arbitror: nisi, quidquid est, magnum aliquid sit, necesse est; cum & ei Cicero nihil in terris simile fuisse dicat, & in tota epistola multa ponat, quæ insigniter magnitudinem vulneris, a Bruto accepti, amplificent. quid autem fuerit, cum diligenter & accurate cogitaverim, reperire, verum ut fatear, non queo.

In meo luctu,] in obitu Tulliolæ: quam cum illi carissimam esse constaret, susceptum ex amissa dolorem lenire litteris præstantes viri voluerunt, Ser. Sulpicius, M. Brutus, Cæsar ipse, cum eo tempore in Hispania contra Pompeji liberos pugnaret.

Iis remediis,] rationibus & argumentis ex philosophia depromptis:

Ut es tu,] *Quantus es tu*, consuetudo amat. est igitur minus usitata locutio notanda.

Cum rationes, tum auctoritas tua] hæc enim ad consolandum plurimum valent. itaque & Sulpicio per litteras consolanti idem respondet lib. IV. fam. *Me non oratio tua solum, sed etiam auctoritas*

ctoritas consolatur. Notanda sunt quasi capita quædam consolationis.

Pag. 125. *Officio, & natura*] *officio*, quod immoderatus luctus turpis videretur, præsertim in me ipso, quem ætas, & dignitas, & res gestæ a muliebri mollitia deterrerent: *Natura*, quæ moriendi legem, communem omnibus, ita sanxisset, ut abrogari numquam posset.

Populo, & scena] omnibus hominibus: quod omnia tua facta æque manifesta sunt, ut ea, quæ histriones in scena, spectante populo, agunt.

Fortiores ceteri sumus,] exemplo tuo, qui tyrannum occidisti, ad fortitudinem excitati.

Cui simile in terris nihil fuit] adhuc considero, ad quem hæc verba referri possint, cum, ut ostendi, neque ad matrem possint, neque ad uxorem.

Ne id ipsum,] nam, ut scripsit in IV. Tusculana, *id ipsum nihil dolere, immanitatis est in animo, stuporis in corpore.*

Ut modice,] doleamus.

Vix satis liberi] quasi solidam libertatem præter Brutum nemo spectaret, ne ex iis quidem, qui tum reip. caussam contra M. Antonium in Italia tuebantur, præsertim cum Octavium Cæsaris nomen incitare contra libertatis auctores videretur. Plutarchus etiam unum M. Brutum legitima reip. jura cogitasse tradit. scripsit idem ad C. Cassium his verbis: *Ut omnia, ut spero, prospere succedant, multum interest te venire. exigua est enim spes reip.* Et ad ipsum Brutum infra scribens, indicat, *se non optime sperare de rep. ne hostibus quidem victis.* ep. 19.

Veteri] Antistio. ep. 15. intelligit autem eas litteras, quarum infra initium est, *Etsi daturus eram.*

EXPLANATIO
EPISTOLÆ X.

Nullis consulibus.

Pag. 125. *Cognita senatus auctoritate*,] occisis consulibus ad Mutinam, Octaviani potentiam senatus suspectam habere coepit, præsertim cum is, ut alteri e consulibus sufficeretur, postularet. itaque Brutum e Græcia decreto revocavit, sed frustra. nam, inter Antonium, Lepidum, Octavianum conspiratione contra remp. facta, trium virorum armis oppressa sunt omnia.

Auctoritate] non hic, ut alibi, senatus auctoritas a senatusconsulto differt. qui enim simile veri est, cum in aperto discrimine

mine resp. versaretur, Octaviani opibus post Antonii fugam immoderate auctis, senatum in tanta re auctoritate fuisse contentum? quod, ut ostendimus in libro *de senatu*, voluntatem quidem senatus indicabat, infirmior tamen erat, quam senatusconsultum.

Frangebatur] Non Octavianum designat, qui ab initio belli optime sentire de rep. visus est: nec in eum, *frangebatur*, ullo modo convenit: sed Antonii studiosos maxime intelligit.

Pag. 126. *Socerum*] nisi me conjectura fallit, Pansæ socer fuit Q. Fusius Calenus. conjecturam inde duco, quod eum video a Pansa consule sententiam primum rogari; qui tamen neque dum consul fuerat, neque Ciceroni certe rebus gestis, & meritis in remp. antecellebat. ut hoc ei deferre honoris, nisi propinquitate moveretur, Pansa non debuerit. Recitemus Ciceronis verba ex oratione x. in Antonium. *Necessitatem*, inquit, *mihi attulit paullo plura dicendi*, *sententia ejus*, *qui rogatus est ante me*. & infert proxime: *Quæ est enim ista tua oratio Calene? quæ mens? qui nunquam post Kal. Januarias idem senseris*, *quod is*, *qui te sententiam primum rogat*. Et in VIII. in eundem, posteaquam Caleni consilium de pace cum Antonio jungenda satis multis verbis exagitavit, subjungit hæc: *Satis multa cum Fusio*, *ac sine odio omnia*, *nihil sine dolore. Credo autem*, *qui generi querelam moderate ferat*, *æquo animo laturum amici*. quo in loco quin Caleni gener Pansa, qui consul erat, demonstretur, vix putaverim posse dubitari. convenit enim, *generi querelam*, cum hujus epistolæ verbis, *vehemens & acer Pansa*, *cum in ceteros hujus generis*, *tum maxime in socerum*.

Gerebatur,] tum, cum senatus erat erectior.

Non nulla in Hirtio.] Hirtius enim ante Pansam ad Mutinam pervenit. Pansæ adventu duobus proeliis confecta res est. ideo solum Hirtium nominat.

Ut in secundis, *fluxa*; *ut in adversis*, *bona*] hujus belli fortuna neque secunda plane fuit, neque adversa. nam, si secundas res cogitemus, in hoc minus felices fuimus, quod victoria nostri duces usi non sunt, hostibusque spatium ad instaurandum bellum dederunt: sin adversas, hoc prospere successit, quod proelio vicimus, ergo est hoc, quamobrem lætemur; quod erat victrix resp. cæsis Antonii copiis, ipso expulso: illud cur doleamus, quod post victoriam ita multa peccata a D. Bruto, ut quodam modo victoria exciderit e manibus. iisdem verbis de se ipso usus est in epistola ad Atticum libro IV. ep. I. *Ita sunt res nostræ*, *ut in secundis fluxæ*; *ut in adversis*, *bonæ*.

Bruti deinde] & sententia patet; & ita scriptum est in antiquis libris. miror tamen, cur istam culpam in D. Brutum nominatim Cicero contulerit, cur non potius in Octavianum, quem a Bruto, ut Cæsaris filium, non amari, probe noverat: cujus certe gravius, quam D. Bruti, peccatum illud fuit, quod Antonium,

cx

ex Mutinensi prœlio fugientem, persecutus non est. habebat enim copias veteranorum militum firmissimas: at D. Brutus & tirones, & omnium rerum inopia, propter diuturnam obsidionem, pessime acceptos: quod ipse in quadam epistola, suam tarditatem in Antonio persequendo excusans, conqueritur. præterea ipse Cicero proximis verbis non uni Bruto id tribuit, sed inter duces communicat: ait enim: *Perterritos, inermos, saucios non sunt nostri duces persecuti.* videndum igitur, an glossa fuerit dictio, *Bruti*, ad illud, *peccata*, scripta ab homine imperito, qui quod Bruti Octavianique commune fuerat, id unius Bruti proprium putarit.

Levitatem ejus,] etiam D. Brutus in quadam epistola hominem ventosissimum appellat. & epist. 19. Lepidus inconstantior, Antonius impurior.

Boni,] bene sentientes, sed a robore infirmi, ob veteranorum infrequentiam. fam. l. 12.

Litteris,] ab urbe missis. fam. l. 12.

Interpretibus:] iis, qui mandata ferunt, & referunt: ut illud in epistola Planci, fam. libro x. *Do operam, ut Lepidum ad hujus rei societatem incitem. utor in hac re adjutoribus, interpretibusque fratre meo, & Laterense, & Furnio.* Et in Verrem: *Hæc non occulte, non per amicos, atque interpretes, sed palam de loco superiore ageret pro imperio & potestate.*

Spem certissimam:] si peteret, certo adepturum.

Necessarios] ad propinquos & amicos refertur. De L. tamen Marcio Philippo accipiendum non crediderim; quem de rep. potius, quam de Octaviani potentia, laborasse, demonstrant illa verba in Bruti ad Atticum epistola: *Quid prosunt Ciceroni, quæ de libertate patriæ, de dignitate, de morte, exsulio, paupertate scripsit copiosissime? quanto magis illa callere videtur Philippus, qui privigno minus tribuerit, quam Cicero, qui alieno tribuit?* & apud Suetonium legimus hæc de Octavio: *Urbe repetita hereditatem adiit, dubitante matre, vitrico vero Marcio Philippo, consulari multum dissuadente.*

Consiliorum fontes] cum dicerem, a quibusdam in eam spem Octavianum esse impulsum; qui armare illum contra Brutum & Cassium, hoc est, contra libertatem cuperent.

Extraordinario] ideo quia consulatum nemo inibat, nisi annum ætatis quadragesimum tertium absolvisset. extra ordinem quandoque junioribus ea dignitas demandabatur.

Potentissimi] Hirtii enim & Pansæ victores exercitus solus occupaverat.

Auctor] neque ad populum, neque in senatu.

Militum deliciis,] cum milites, omissa veteris disciplinæ severitate, per summam indulgentiam a duce corrupti, facilius libidinem illius secuturi, quam imperium reip. videantur.

Deliciis] igitur, perniciosa licentia, qua sibi eorum animos imperator devinxit.

Imperatoris insolentia] qui ex victoria ita insolens est factus, ut consulatum audeat postulare.

Pag. 127. *Fugiebam ex Italia*,] in Græciam proficiscens. qua tota de re plenius in Philippica I. & epist. 25. libr. XII. fam.

Vestrorum] Bruti, & Cassii: de quibus Phil. I.

Consilio, & auctoritate] adolescentem enim, militibus instructum, consilio, quo illa ætas indiget, juvi, & auctoritate publica contra Antonium armavi. Plutarchus in Cic.

Magis, quam eventis rerum,] tyranno enim a te interfecto, libertas consequi debuit: quod secus accidit: non dum enim resp. sui juris est.

Præsidiis] *Principiis*, esse video in antiquis libris: quos ego libenter sequi soleo. hic tamen teneo me paullisper. nam etsi, *principia*, locum in castris fuisse, non ignoro: mihi tamen nove, nec satis ad exprimendam sententiam accommodate dictum videtur. cur enim, *in principiis vestrorum castrorum*, potius quam, *in vestris castris?* quibus in totis certe, hoc est, in universo Bruti exercitu, non in principiis, hoc est, in parte aliqua, spes erat posita libertatis. *præsidiis*, vel unus antiquus liber si haberet, probarem multo magis, quam, *principiis*. esset aperta sententia, esset usitata locutio.

Ab occidente,] in Hispania. videtur Sextum, Pompeji Magni filium, & Asinium Pollionem significare.

Adolescentis:] Octaviani. Sequitur ita aperta translatio, ut indicanda non sit; *firmum*, *labefactant*, *moveatur*.

Quantulum reliqui est?] quasi dicat: Mea ipsius caussa non nimis dolebo: cui quantulum vitæ superest? vos id potius juvenes cogitate: quorum istuc refert maxime.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XI.

Nullis consulibus.

Pag. 128. ET *in Cæsare, & Antonio*] fuit, cum Cæsaris nomine Octavianum acciperem: nunc aliter sentio. nam neque de Octaviano remp. defendente, neque de eodem oppugnante accipi potest. defensio non dum ejus ulla fuerat, neque fuit ante Mutinensem pugnam: oppugnatio item nulla, nisi post Antonium ad Mutinam fugatum. ergo de Octaviano, non est, ut possimus intelligere. de Cæsare dictatore dictum potius videtur. hic enim primus, post eum Antonius remp. oppugnavit.

Quod

Quod autem infertur, *si occasioni potuisset occurrere*; id non eo refero, ut ejus belli, quod C. Cæsar contra communem libertatem gessit, brevitate exclusum Antistium a navanda reip. opera existimem; (non enim aut laboris, aut temporis parum in eo Cæsar consumpsit) verum, quia voluerit quidem, sed ideo non potuerit, quia voluntatem minime subsecuta sit occasio. ideo enim occasioni occurrere non potuit, quod ea sese illi non obtulit. non igitur ei tempus, non voluntas, sed res ipsa defuit.

In Achaia] cui, ut opinor, præerat: aut certe in qua exercitum habebat: quod infra patet.

Congressus] cum Dolabellæ in Syriam proficiscenti occurrisset.

Paratissimi] ut qui etiam C. Trebonium per insidias occiderit.

XX HS] non viginti sestertiorum millia, quod Bruto exercitus habenti minimum subsidium fuisset; sed vicies sestertiorum, id est, ad nostratis pecuniæ rationem, scutatorum aureorum sexaginta millia. confirmat Plutarchus in Bruti vita, scribens, ab hoc Antistio tradita Bruto quinquaginta myriades: quæ sunt quingenta millia denarium, id est vicies centena millia nummum. & sæpe occurrimus in has notas, quæ non ex aperta significatione, sed multiplici numero sunt exponendæ, ut in epist. ad Sextium, lib. v. fam. tricies quinquies, non, ut in vulgatis libris legitur, xxxv. & ad D. Brutum, lib. xi. quadringenties, ubi legitur, cccc. & alibi non raro.

Eundum] Romam.

Legatione] libera: quam senatus dabat.

Consules] apparet, aut hanc epistolam ante mortem Hirtii & Pansæ scriptam esse, aut Brutum, cum scripsit, Mutinensis prœlii nuncium nondum accepisse.

Pag. 129. *Dignitatem perfuncturus*] quanto major tua dignitas futura est. sic Terentius, opinor in Adelphis: *Functus est officium probi adolescentis.* duriuscule tamen dictum, *perfuncturus dignitatem*, pro *consecuturus dignitatem.* nec, *perfungi*, video quo modo hoc significare possit: nec usquam a veteribus ad hanc sententiam usurpatur. malim, non ita magna litterarum mutatione, *dignitatem perfruiturus.* quo participio & Cicero ipse usus est. &, *fruor*, Plautus cum quarto casu usus est.

Tuis laudibus,] si tu eum de optimo in remp. studio laudaveris.

Indulgentia] tua in illum facilitate: si gratificaberis illi quacumque re poteris.

EXPLANATIO EPISTOLÆ XII.

Nullis consulibus:

Pag. 129. M*Essallæ*] Bruti amicissimo, qui deinde apud Augustum opibus & gratia floruit. de hoc epist. 19. & Dio lib. XLIX.

Corvino] Dubium non est, hunc originem ducere a Valerio illo, cui a Corvo, qui ei pugnanti opem tulit, Corvi cognomen est inditum. qui si Corvus dictus est, ut veteres tum lapides, tum nummi testantur; quod a Carolo Sigonio, viro doctissimo, & in examinanda antiquitate diligentissimo, notatum est: videtur & hic Corvus potius, quam Corvinus, esse nominandus. quamquam non nihil in dubium me revocat veterum librorum consensio; in quibus esse video, *Corvino*: & quod Manilius poeta, qui Augusti temporibus vixit, *Corvinum*, non *Corvum*, nominat.

Matris tuæ] quæ socrus erat Lepidi. ep. 17.

Cedere,] non enim licuit, cum Lepidum hostem judicaremus, ejus liberos excipere. omnes enim eadem lege tenentur.

Pag. 130. *Satisfacturum*] facile meam caussam probaturum; ut meam excusationem & satisfactionem acciperes.

Honoribus amplissimis] ut etiam illi statua in Rostris erecta sit. infra ep. 19.

De vi damnatus esset;] *Perduelles*, hoc est, ii, qui contra remp. arma suscepissent, de duobus alterum effugere non poterant, ut aut, si pergerent insanire, armis petiti debitas patriæ pœnas exsolverent; aut, si se infra diem præfinitam ad sanitatem recepissent, judicio de vi omnino damnarentur.

Eandem calamitatem subirent] quanto magis, cum eorum pater arma non posuerit, & in furore perseveraverit, neque intra tempus a senatu constitutum ad sanitatem redierit.

Consilio] in bello, exercitu ejus resp. indigebat; victis hostibus, consilio, ut urbanæ res componerentur. simile illud est in epistola ad C. Cassium: *Te in Italiam venire cum exercitu, persuasum erat civitati: ut, si hæc ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua; sin quid forte titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur*. & ad ipsum *Brutum* infra, epistola 19. & 20.

Et te] hoc aut videtur abundare, cum jam dixerit, *tecum*; aut ita corrigendum, ut legas, *esse*; & illud, *esse*, quod postea sequitur, tollas.

EXPLANATIO EPISTOLÆ XIII.

Nullis consulibus.

Pag. 131. DE *M. Lepido vereri*] de industria, *vereri* dixit potius, quam *timere*: ut aliquid tamen se de Lepido sperare significet.

Solicitudine] de pueris: quos Brutus & immerentes, & sororis suæ filios, affici pœna, inique ferebat.

Stomacho,] in patrem Lepidum.

Pag. 132. *A consulari, tali viro*] vel, inquit, conjunctionis nostræ, vel reip. caussa impetrare hoc a te debeo. uterque enim ita de illa meriti sumus, ut hoc potissimum nomine gratificari alter alteri debeat.

EXPLANATIO EPISTOLÆ XIV.

Pag. 132. BRe*ves*] valde *brevitatem* Brutus amabat in scribendo, tum quia natura severior, tum quia Stoicorum disciplinæ se penitus addixerat. extant Græcæ ejus epistolæ brevissimæ. & hanc ejus consuetudinem Plutarchus, Appianusque commemorant.

Pondus] cum gravissimis de rebus scriptæ sint omnes.

Extrusi] non dicit, conviciis male acceptos tabellarios, qui tuas litteras attulerant, dimisi, sed, propere tabellarios cum litteris ad Ciceronem misi.

Mea summa contentione] cur, *summa contentione*? non, in alterum annum, etiam nemine contendente, produci ea necesse erat; cum, ut supra satis copiose ostendimus, ea qui habere posset, magistratus nullus esset? forte (tale enim aliquid est cogitandum) habuisset ea prætor; forte, pontifex maximus, pæne dixi. sed, hoc fieri non potuisse, in mentem venit: cum, qui pontifex maximus erat, M. Lepidus, is in urbe non esset.

In alterum annum] ut Cicero filius adesse posset.

Quamquam] quamquam ex litteris meis cognoscere potuit, non esse, cur petitionis suæ caussa rediret, cum in alterum annum comitia sint rejecta. epistola 9.

Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum:] qui erant in castris Bruti, & in collegium pontificum minorum cooptari cupiebant, ne-

neque tamen ad petitionem mature satis venire poterant: ideo, ut præsentes petere possent, in alterum annum comitia protruserat. De Domitio, & Catone ante diximus. Lentulum non opinor ejus Lentuli filium fuisse, qui Spinther dictus est, & consul Ciceronem ab exsulio revocavit. nam is hoc tempore Asiam provinciam regebat, ut est ex ipsius epistola satis apertum, fam. lib. XII. itaque privatus esse in castris Bruti non poterat. De Bibulis quoque supra, epist. XI.

Susceptus,] genitus. unde, *suscipere* liberos ex aliqua, pro gignere.

Pag. 133. *Lepidi*,] quia se cum Antonio conjunxerat.

Optimus,] optime in remp. animatus. ut ad mentem potius, quam ad vires, referatur.

Infecti partibus,] quod alii cum aliis sentiant: quod eos vitium, quasi labes aliqua, inficit, atque contaminat.

Non dum erat] &c. non enim scripsisses Ciceronem meum a te discessurum.

Cum Planco conjunctum] Plancus tamen paullo post, cum Antonio societate inita, reipublicæ caussam deseruit.

Idibus Martiis:] quo die Cæsarem in curia Pompeja occisum, ita notum est, ut supervacanea significatio sit.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XV.

Pag. 133. S*Ubtilius*] *subtilitas* in scriptis est, non tenuitas, & humilitas, sed accuratus quidam ordo, nihil ut prætermittatur.

Eloquentia,] fuit orator Messalla suæ ætatis præstantissimus. Plinius & alii. Tacitus visum quibusdam Cicerone mitiorem, & dulciorem, & in verbis magis elaboratum, significat in dialogo de oratoribus, vitamque produxisse in medium usque Augusti principatum.

Pag. 134. *Officio*:] in remp.

Sequebatur,] cum ad caussam reip. defendendam proficisceretur, in quo summam laudem videbat esse constitutam.

Quandam epistolam:] eam, cujus initium est, *quanta sim lætitia affectus*, ep. 7.

Utrumque] quod & honores Octaviano extraordinarios decrevisset, & in Lepidum Lepidique liberos nimis gravem poenam statuisset. quamquam, quod ad animadversionem attinet, communiter etiam accipi potest de sententiis, quas contra malos cives dixit.

Neque solum ut Solonis dictum usurpem,] possem me judicio Solonis,

lonis, sapientissimi viri, adversus reprehensionem tuam defendere; qui præmio & pœna contineri remp. dixit: sed ego non hoc solum faciam, ut meum factum Solonis auctoritate excusem: caussam etiam adjungam consilii mei; ut ostendam, cum & de præmio, & de pœna sententias dixi, quid spectaverim.

Pag. 135. *Prætermissum*] satellitem tyranni M. Antonium, sæpe queritur, simul cum tyranno interfectum non esse. *Vellem*, inquit in epistola ad Trebonium, *me ad illas epulas invitasses: reliquiarum nihil haberemus.*

Inconstantior,] Lepidus, qui modo libertatis, modo regni cupidus videretur. etiam ep. 14. *levitatem* illi adscribit.

Nimis acres] cum omnes acceptam a vobis libertatem retinere vellemus; vos autem libertatis auctores (tacite Cassii & Bruti discessum ex Italia reprehendit) urbem vestram, Antonii armis oppressam, desereretis, qui etiam, Italiæ sua vobis studia profitenti, remisistis.

Mihi quoque ipsi] indicat se non fuisse discessurum, nisi Brutus & Cassius, quos maxime subsidium ferre oppressæ reip. oportuerat, ante discessissent. & duplicem affert pro se ipso defensionem, tum quòd ipsorum liberatorum exemplo discesserit, tum quod propere tamen redierit, qui discessum a reip. periculis ferre non posset.

Etesiarum diebus auster] quasi discessum meum dii non probarent, qui etesiarum diebus austrum spirare præter consuetudinem voluerint. *etesiæ* autem in orientem navigantibus secundi sunt, *auster* in occidentem: itaque Ciceroni Græciam petenti prosperi etesiæ, contra auster.

Te vidi Veliæ] supra, & Philippica I.

Pag. 136. *Sapientis*] Stoici, quorum sectam Brutus, ab avunculo suo M. Catone institutus, sequebatur, fugere negabant esse sapientis: quem nulla re perturbari, nihil timere affirmabant: ita sequebatur, ut nec fugeret: timet enim, qui fugit.

A cervicibus] cum Antonius, Macedonicis legionibus instructus, bonis iratus urbem peteret, Octavianus privato consilio se opposuit. ep. 25. lib. XII. fam. & Philippica III. IV. V.

Honorificum,] placeret, *nimis honorificum.*

Philippus] L. Marcius Philippus, qui consulatum gessit cum Marcellino, Octaviani vitricus epist. 21.

Celeritatem] magistratus, ut celerius posset petere, quam leges permitterent. id autem Ser. Sulpicius decrevit. sed, cum ille decrevisset, ut Octavianus verbi gratia decem annis celerius, quam per leges liceret, petere posset, Isaurici filius Servilius decrevit, ut etiam aliquanto celerius. quod autem Servius decrevit, opinor hoc est, ut tamquam quæstorius petere posset Octavius: quod Servilius, ut tamquam prætorius. ep. 8.

Reperimur] non omnino displiceret, *Reperiuntur*, ut est in an-

 tiquis

tiquis libris. potest enim subaudiri, *homines*.

Pag. 137. *Larentiæ*] quæ populo Romano agros, Turacem, Semurium, Lincerium, & Solinium reliquit: ex quo est annuis parentationibus honorata. Varro, Ovidius, Macrobius lib. 1. Sat.

Vos pontifices] minores, quorum in collegio Brutus fuit: nam in lib. de claris orat. ita loquitur: *Audivi Sulpicium studiose, & frequenter Sami; cum ex eo, jus nostrum pontificium, qua ex parte cum jure civili conjunctum esset, vellem scire.*

In Velabro] hic videtur de secunda potius Larentia, quam de priore, accipiendum. vide Plutarchum in Romulo.

Sempiternam memoriam] ubi sunt, qui se libros impressos sine scriptorum ope facile putant posse corrigere? hæc, hæc nimirum temeritas antiquorum scripta maculis innumerabilibus inquinavit. neque vero dum repressum est hoc malum, sed in dies, ut video, serpit magis. id adeo iis libris, qui quotidie typographorum quorundam ex officinis prodeunt, legendis intelligo. Hic in duabus vocibus, *sempiternam memoriam*, me quoque hactenus, ut ingenue confitear, cum ceteris, νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. nec dubitavi, quin ita recte legeretur, sensu satis aperto. nunc, a Bessarionis libro dictionem, *memoriam* cum viderem abesse; omissam primum incuria librarii sum opinatus; deinde, cum accuratius animum intendissem, agnovi veritatem, & *memoriam*, abundare, prorsus judicavi. quod a nemine fuerat animadversum. & est pulcherrima sententia. *ideo*, inquit, *decrevi*, *ut in fastis ad eum diem*, *quo victus esset ad Mutinam Antonius*, *Bruti nomen adscriberetur*; *quia notam esse in fastis volebam*, *quæ victoriam illam futuris etiam gentibus testaretur*. *notam* enim hic pro signo, ac monumento quodam accipio quod quibus occultum fuit, ii, *memoriam*, de suo intruserunt, ut esset, *notam memoriam*. confirmat igitur nostram correctionem primum libri scripti auctoritas, deinde sententia; quam ego in hac emendandi ratione maxime soleo spectare; postremo ipsemet Cicero, qui eadem de re, paullo post, iisdem fere verbis usus est. infert enim: *exstare volebam in crudelissimos hostes monumenta odii publici sempiterna.*

Aquilam etiam] unum ex percussoribus Cæsaris, qui perierat in prœlio Mutinensi. fam. l. x. ep. 33.

Aperiendum non est,] quid significat? hoc opinor; ideo se id sensisse, non tam ut pro beneficio gratiam referret, quam ut Octavianus, ovationis honore illectus, in urbem rediret, statimque, ut mos erat, imperium deponeret; itaque ejus exercitus ad alium transferrentur: quæ fuisset reip. summa cautio. timendum enim erat, id quod evenit, ne Octavianus, cum exercitus in sua potestate haberet, ad persequendam patris mortem animum converteret. hoc est, ut opinor, in quo se Cicero providum fuisse significat.

Hoc ipsum nimium] aperire nolebam, cur ita esset; aperuisse tamen nimis videor; cum dixi, *ne magis videar providus fuisse, quam gratus.* quare hac de re verbum ne addamus. transeamus ad alia.

Honore] non est hæc dictio Bessarionis in libro: & potuit esse glossa.

Pag. 138. *Themistoclis*] qui proditionis est damnatus, ejusque bona publicata. Plutarchus, & Æmilius Probus.

Judicio] de vi. ep. 16.

Quisquam] ex iis, quos ego hostes judicandos censui.

Si vicisset] ad Mutinam. loquitur enim de M. Antonii secta.

Pag. 139. *Sororis tuæ filiis*] Lepidi filiis: quos, cum pater Lepidus hostis esset judicatus, bonisque omnibus exutus, ad inopiam redactos necessariis rebus sustentabat.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ XVI.

Nullis consulibus.

Pag. 140. D*E rep.*] ab eo contra M. Antonium defensa.

Condicionis] pudet eò nos redactos condicionis ac fortunæ, ut commendandos Octavio putes. Vel explana, condicionis tuæ ac fortunæ, qui homo consularis, tantis rebus gestis, nunc cum isto puero tam suppliciter, tam demisse agas.

Non pernicior] si precario habeatur.

Quid pro quoque timendum] nam neque est, cur de nobis timidus, aut solicitus sis; cum ipsi nihil timeamus, & ita animati simus, ut honestam mortem turpi vitæ anteponamus: neque hoc ab Octavio petendum est, ut nos velit esse salvos: nimium enim illi tribuis.

Si me carum habes, vis Romæ videri;] ideo quia me carum habes, vis Romæ videri amicus Octavio? quoniam quidem, ut ibi esse possem, (hoc pertinet ad illud, *si me carum habes*) commendandum illi puero me putasti.

Cui quid agis gratias,] si optime sentit de republica; quod tu existimare videris, cum illi gratias agis: cur eum rogas de salute bonorum civium, hoc est nostra? aut igitur gratiæ non sunt agendæ. si rogandus est; aut, si aguntur, rogandus certe non est.

Vindici quidem &c.] si Octavius vindex est, ut tu judicas, & ultor dominationis Antonii, non, ut ego vereor, vicarius: absurde facis, o Cicero, qui ei remp. defendenti supplices pro iis, qui optime de rep. meriti sunt. amicis enim, & earundem partium studiosis non supplicamus. non enim opus est. In hoc loco, vi-

video quibusdam in libris impressum esse, pro, *ecquis supplicat*; *sed quis supplicat*, adscripta asterisci nota, quæ mendum significet. nostri libri veram, germanamque Ciceronis scripturam referunt, distinctione tantum a mendi suspicione vindicati. quod enim pro, *& quis supplicat*, fecimus, *ecquis supplicat*; in eo mutatio nulla est. fuit enim hic multis in locis in impressis libris error, ut, *& quis*, pro, *ecquis*, legeretur. quod vitium ubique fere minimo negotio sanavimus.

Imbecillitas, & desperatio] puto illud maxime tempus designari, cum Pompejus ejectus est ex Italia. quo tempore boni cives si utrumque reliquissent, ac solam remp. respexissent: tum certe, vel pudore, vel vi, uterque tum dux, tum exercitus discessisset ab armis. sed contigit, ut alii alterum metuentes ad alterum confugerent; alii ignavia, ac desperatione remp. relinquerent. quo facto Cæsar in regni cupiditatem est impulsus. quod idem & Pompejus cogitabat; ut sæpe queritur Cicero.

Pag. 141. *Tantorum scelerum*] tyrannidis Antonianæ.

Quid enim neget] cum sit de præteritis commemoratio; *negaret*, probarem magis: idque conveniret cum insequenti verbo, *videret*, & cum antecedentibus proximis, *potuimus*, *vellemus*.

Hic ipse puer,] non modo Antonius, sed Octavius ipse, ejus, quem occidimus, filius, summi beneficii loco ducet, si, nobis permittentibus, regiam potestatem obtineat. itaque nobis esset illo domino perhonorifica serviendi condicio: verum non de serviendi condicione agimus: ipsam servitutem, quæcumque sit, odimus, ac detestamur.

Quoniam vivere] in Ciceronem, cum stomacho, qui pluris vitam, & pecunias, & honores faceret, quam libertatem.

Si mortuo,] si, illo occiso, alteri servituri eramus.

Heredi ejus, quem occidi,] Octavio, Cæsaris heredi, & adoptivo filio.

Pag. 142. *Dimittimus*] abjicimus. *in ea vita*, inquit, *in qua neque dignitas, neque libertas est*, *salus esse nulla potest.*

Qui tyranni nomen adscivit sibi,] Octavius enim Cæsaris nomen assumpsit; cum testamento & filius adoptatus esset, & institutus ex dodrante heres.

Pag. 143. *Nimium magnam mercedem statuis*] summam potestatem illi tribuis: quæ merces est earum rerum, quas contra Antonium gessit, certe nimis magna.

Illud malum] prioris Cæsaris tyrannidem.

Homines metuant] *timor* facit, ut quibusdam plus potestatis, quam respublica patitur, largiamur. sed iidem meminisse deberemus, hoc ipso timore nostro factum esse, ut Antonius ad tantam potentiam pervenerit. ista enim imbecillitas animi, & desperatio, Antonio persuasit, ut interfecti Cæsaris locum occupare conaretur.

De

De Cæsare vero] quorsum de Cæsare, cum de Antonio loquatur? Cum, inquit, vidisset Antonius ex metu & languore nostro Cæsarem regnandi occasionem arripuisse, ejus exemplum secutus est. verum, quod ad Cæsarem attinet, transactum est: occidimus illum: nunc, ne idem possit Octavius, cavendum est.

Pag. 144. *Non modo non supplicem*] posterius, *non*, in Bessarionis libro non est: & potest subaudiri. quo loquendi genere usum sæpe esse Ciceronem, ostendimus in scholiis, quæ in familiares epistolas adolescentuli edidimus.

Virtus aliena] nostra scilicet, qui tyrannum occidimus; quorum exemplo fortiores esse, & vitam minus aliquanto, quam libertatem, diligere debebatis.

Pietati meæ] erga patriam: quæ me ad præclarum illud facinus excitavit, cui pietati debitum præmium esse persolutum existimabo, si modo, quod tum sensi, idem in reliqua vita sensero.

Non succumbam succumbentibus,] vos non imitabor, jugum servitutis sponte recipientes.

Nec vincar ab iis] vincerer enim a vobis, si vestra imbecillitas me commoveret, & de mea veteri sententia deduceret.

Vinci volunt] quia sponte succumbunt.

Gaudebimus omnes] etiam ii, qui succumbunt. hic ostendit Ciceronem optime sentire de republica, cujus secunda fortuna lætaturus sit, sed dulcedini succumbere.

Neu diffidas] etenim, ob desperationem, etiam ante rempublicam perdiderant: ut in hac ipsa epistola, supra.

Consul] in opprimenda conjuratione Catilinæ.

Consularis] in Antonio persequendo.

Pag. 145. *Quia ille consul*] quia consulatus ille tuus præclarissime administratus postulat, ut talem te consularem præstes.

Direxit] si pueris hæc scriberem, essem in ostendendis translationum luminibus diligentior, ut hic in duobus verbis, & translatis, & antithetis, Flexerit, Direxit. sed hæc ipsa se ostendunt. nostrum autem consilium id fuit, quoniam pueris simul & viris satisfacere non possem, viris ut mallem.

Judicii ratio] ubi enim judicium apparet, ibi laus recte agentem sequitur. si quis autem casu potius, quam judicio, recte agit, id amplum, vereque laudabile nec habetur, nec est. porro, *judicium* ibi esse constat, ubi factis facta congruunt, perpetuamque in recte agendo æquabilitatem & constantiam tuemur.

EXPLANATIO EPISTOLÆ XVII.

Nullis consulibus.

Pag. 145. DE *suis actis*] pro republica contra Antonium: de quibus laudari voluisset: ut etiam de exstincta conjuratione Catilinæ, scripsit ad Pompejum, se mirari, quod nihil significasset. fam. lib. v.

Quid dicam, imperite &c.] significat, & stultitiæ Ciceronem accusandum, & ambitionis: cum tamen in utroque videatur eum excusare. sed *imperitum* in eo significat, quod plus Octavio tribuerit, quam e rep. esset: *ambitiosum*, quòd, modo habeat, a quibus colatur ac laudetur, servitutem non recusat: ita ob stultitiam & ambitionem Octavium Antonianæ dominationis vicarium constituit.

Pag. 146. *Qui valentissimum &c.*] in quo certe ambitio esse non potuit: sed fuit studium constantissimum, & singularis in patriam pietas, qua permotus valentissimum Antonium suscipere non dubitavit inimicum.

Pueri] Octavii.

Indulgentia] usque eo indulget Cicero Octavio, ut maledicat Cascæ.

Maledictis] in Cascam. mirari autem satis non possum, Ciceronem Cæsaris necem objecisse Cascæ. & id tamen Bruti verba declarant.

Plures occidit uno] crimini dat Cascæ, & sicarium appellat, quia Cæsarem occiderit. at, si hominem occidere, crimen est: quanto gravius ipse peccavit, qui consul non unum, sed quinque occidit, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium.

Objiciat Casca] cur Cascæ potius, quam ceteris conjuratis? forte, quia gratificari vellet Octavio, potissimum in Cascam incenso, qui primus Cæsari vulnus inflixit, a Cimbro impedito. Suetonius, Plutarchus.

Imitatur in Casca Bestiam] ita reprehendit Cascam ob pulcherrimum factum, ut Bestia Ciceronem ob ea, quæ in consulatu gesserat, reprehendere solebat. & ut tunc iniquus in Ciceronem Bestia, sic nunc in Cascam Cicero. Casca autem hic e gente Servilia fuerat, unus e percussoribus Cæsaris. fuerunt enim in illa conjuratione duo Servilii Cascæ, duo Bruti, tres Cassii, Q. Hortensius, Hortensii oratoris filius, C. Trebonius, Cn. Domitius, L. Tullius Cimber, Q. Ligarius, Cornellius Cinna, Labeo, P. Turullius, P. Cornelius Lentulus, Cæcilius & Bucolianus fratres,

tres, Rubius Rex, M. Spurius, (quamquam, *Spurius*, mendosum est: non enim duo prænomina simul esse possunt) Ser. Sulpicius Galba, Sextius Naso, Pontius Aquila, Minucius Basillus; & alii, quorum nomina in iis libris, qui ad nostram ætatem pervenerunt, non exstant; quorum nemo, præter Cn. Domitium, L. Domitii Ahenobarbi filium, naturali morte periit. quod si liceret uti conjectura, adjungerem Torquatorum, Marcellorum, Metellorum, Bibuli liberos, Pompejanarum, id est reip. partium, studiosos: item, Epidium Marullum, & collegam ejus Cæsetium Flavum, tribunatu pl. a Cæsare privatos.

Idus Martias] quo die Cæsarem occidimus.

Nonas Decembris] quo die de conjuratis in carcere supplicium est sumptum.

Eo meliore condicione] minus turpiter nos vituperabit de Cæsaris nece, quam illum Calpurnius Bestia & P. Clodius de conjuratorum supplicio reprehendere soliti sunt? hic est Bestia, qui tribunus pl. Ciceronem extremo consulatus die concionis habendæ potestate privavit; si Plutarcho credas. sed ego majorem ipsi Ciceroni fidem habeo: qui sibi concionaturo non L. Calpurnium Bestiam, sed Q. Metellum Nepotem ait obstitisse. vide epist. 11. lib. v. fam.

Successio] quæ laus Ciceronis est, sustinuisse Antonium; si patitur ejus locum ab Octavio posci?

Auctor exstitit] extraordinariis enim honoribus Octavio decernendis cupiditatem illius, & licentiam irritavit.

Non dominationem, non] hoc loquendi genere veteres esse usos, cum aliquid paullo studiosius affirmarent, ostendimus in commentariis ad Atticum lib. x. epist. 9.

Rem ipsam] servitutem.

Triumphus] ovatio, quam Octavio, quia Mutinensi prœlio Antonium vicisset, Cicero decrevit.

Fortunam] & condicionem turpem: ut illud in superiore proxima ejusdem Bruti epistola: *Pudet condicionis, ac fortunæ.*

Cujus nomen susceperit] cujus nomen his factis sibi comparavit. potest enim & turpissimus, & omnium miserrimus jure dici.

Pag. 147. *Consularis hoc*] ejus, qui summos habuit magistratus.

Ciceronis] ejus, qui maximas res pro patria gessit, artiumque nobilissimarum cognitione excellit. & est vis in nomine, ut in epistola Sulpicii: *Noli te oblivisci Ciceronem esse.* hic multum discrepant veteres libri a nostris. habent enim: *Pudet concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est.* quos si sequimur, ita exponemus. Pudor ab ea fortuna consularis hominis concupiscenda, cujus nomen susceperit, quemvis deterrere debet: ea, inquam, fortuna, quæ Ciceronis est. videbitur omnino paullo durius: sed nec ubique dictio Bruti mollis est.

Tibi necesse est molesta esse] cum videas te quoque in Cicerone no-

notari, qui nullam reip. partem suscipias, sed communi caussæ tamquam indormias. quamquam ego te non reprehendo: tua enim alia caussa est. nam cum antea semper a rep. abstinuisti, tum vero hoc tempore ætas, mores, liberi segnem efficiunt. reprehendo autem Ciceronem, quia, quod ab adolescentia præclarissime fecit, ut in patria juvanda totus esset; id nunc, extrema fere ætate, turpiter omittit.

Desperatam] excusat Atticum, in eodem errore cum Cicerone versantem. non parcit autem Ciceroni; quia, cum non idem, quod Atticus, vitæ genus secutus esset; facere idem, quod Atticus, cum excusatione non poterat.

Perspexi] ex iis, quæ mihi Flavius, sibi a te responsa, narravit, cum negasti te principem esse velle privati ærarii Cæsaris interfectoribus constituendi. hac tota de re Nepos in Attici vita.

Salvidenum,] Q. Salvidenum Rufum, Octavii studiosissimum. Dio, Suetonius, Appianus.

Decerneret] profligato enim Antonio, supplicationes Cicero decreverat quinquaginta dierum, tribus reip. ducibus, Pansæ, Hirtio, qui consules erant, & Octaviano, quem etiam ante victum Antonium extraordinariis honoribus ornandum censuerat. de supplicationibus in Phil. XIV. de honoribus in V.

Reliquias belli civilis] ob eam caussam, inquies, Cicero ornat Octavium, quia timet etiam nunc ab Antonio. at illi timendum ab Octavio magis esset, qui & exercitibus valet, & propter ætatem facile potest ad temeritatem impelli, quam ab Antonio, qui jam profligatus voluntatem potius ad nocendum, quam vires, habebit.

Amplitudinem] summam potentiam, cum victores exercitus in ejus manu sint.

Id ipsum] regnum, & summam unius potestatem.

Pag. 148. *Ultima*] extrema, & maxima.

Referat omnia] quæcumque habet, Ciceroni omnia referat accepta.

De dignitate,] hæc omnia scripsit, ut patriæ libertas omnibus rebus anteponeretur. scripsit autem maxime in quæstionibus Tusculanis. &, *de dignitate*, in quo sita sit vera dignitas.

De morte] contemnenda: cum tamen re ipsa aliter ostendat, cui mors, exsulium, & paupertas ultima in malis videntur esse. nam, nisi ita esset, non id ageret, ut propitium haberet Octavium.

Privigno] Octavio. ejus enim matrem Atiam, post obitum prioris viri, uxorem duxerat Philippus.

Gloriando] cum gloriaretur, plus beneficii a se in remp. esse collatum, quam ab iis, qui Cæsarem occiderant: quoniam illi quasi radicem tyrannidis Antonium reliquissent, ipse Antonii bellum togatus sustinuisset, atque oppressisset.

Di-

Dolores nostros] quos insectari, & augere non deberet: cum satis ex eo doloris sit, quod, occiso tyranno, remp. tamen liberatam non videmus.

Quid enim nostra &c.] vide supra in hac ipsa epistola eandem sententiam aliis verbis expressam.

Dubia] non ita victum esse Antonium, ut ab eo nihil timere possit respublica.

Pag. 149. *Ut scribis,*] fuit inter Atticum, & M. Antonium amicitia, & quidem summa: Atticumque, victis in Italia reip. partibus, de proscriptorum numero Antonius exemit.

Non stomacharis,] ut ego. ideo autem non stomacharis, quia Ciceronis amantissimus es. quamquam ego quoque ejusdem amantissimus sum. persuade enim tibi, de veteri meo erga illum amore nihil esse detractum, de judicio multum. itaque & stomachor, nec tamen minus amo. *Vel, nunc stomacharis*, ut est in antiquis libris. dicet enim hoc: *Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis ob ea, quæ de amicissimo tuo Cicerone scripsi.*

De voluntate] sumamus hic quiddam a philosophis, ut sententia pateat illustrius. *Amor* in voluntate est, *opiniones* in mente. *velle, nolle*, in nostra potestate est: *opinari*, non est. quale enim quidque videtur, talem de illo necesse est opinionem habeamus. ergo, cum *voluntas* mea *propria* sit, judicium non sit: laudandus videor, qui, quod possum, & quod in me est, facio, ut Ciceronem amem; excusandus, qui de eo non optime judicem; cum id a me necessitas quædam & quasi mentis imperium exprimat.

Largiter] hoc adverbium apud veteres interdum vim nominis habuit: itaque dixit Plancus, *Largiter acerbitatis*, pro, *multum acerbitatis*, in concione, quam Pedianus recitat. & Plautus in Truculento, *Largiter vini*: in Rudente, *largiter argenti*, *largiter mercedis.*

Condiciones] Atticæ condiciones vocat, quia pertinebant ad Atticam Attici filiam: de qua, ut opinor, in matrimonium collocanda quiddam Atticus scripserat.

Denique] extremum hoc est, quod ad tuas litteras respondeam.

Sorores] ipsius Bruti, altera uxor M. Lepidi, altera C. Cassii.

Hominem] nescio quem, litteris ab Attico & a Bruti sororibus commendatum.

EX-

EXPLANATIO EPISTOLÆ XVIII.

Pag. 149. N*Eque id arbitrarer dubitare*] idemque arbitrarer sentire tuos necessarios.

Matre tua] Catonis Uticensis sorore uterina. nam, si fuisset ex eodem patre, non Servilia, sed Porcia fuisset, cum feminæ ejus gentis nomine appellarentur, qua ex gente earum patres essent.

Pag. 170. *Casca, & Labeo*] duo ex percussoribus Cæsaris. Plutarchus.

Scaptius] duos Scaptios familiares Brutus habuit. epist. 3. lib. VI.

Fugientem hostem] Antonium ad Mutinam profligatum.

Imperator] M. Æmilius Lepidus.

Vobis affinibus] Bruto, & Cassio. nam ex duabus Bruti sororibus alteram Cassius, alteram Lepidus in matrimonio habebat.

Quid dicam, in tanto &c.] Adderem hoc, *in tanto senatus populique consensu*, nisi viderem addi non vere posse, cum tantum resideat intra muros mali, multis Antonio faventibus, multis etiam Octavium contra Cæsaris percussores incitantibus.

Accepisset vadem] nimium omnino pro Octaviano promisit, ac spopondit Cicero, vel Antonii odio, contra quem Octavianus eo tempore bellum gerebat, vel ut ipsum studii & amoris in eum sui testimonio ad tuendam remp. magis incitaret. nam cum ei summos honores sua sententia decrevisset; exercitum veteranorum subito præter spem omnium comparasset, impetus Antonii nefarios, ad urbem cum exercitu irruentis, in Galliam avertisset: hæc subjunxit, quæ leguntur in Phil. V. *Audebo etiam obligare fidem meam P. C. vobis populoque Romano; quod profecto, cum me nulla vis cogeret, facere non auderem; pertimesceremque in re maxima periculosam opinionem temeritatis. promitto, recipio, spondeo, P. C. Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime velle & optare debemus.*

Falsi honoris] consulatus. ep. 14. & Plancus in epistola.

Pag. 151. *Mea promissione*] propter ea, quæ de illo reip. promiseram. operam enim dedi, ne promisisse temere viderer.

Obdurescunt] Aptius esset, *obsurdescunt*: ut sit, *obsurdescunt ad vocem tributi.* quam conjecturam, non dubito, quin omnes paullo humaniore doctrina politi comprobent. similiter locutus est in Lælio. *Cum tot signis*, inquit, *natura ostendat, quid velit: obsurdescimus tamen nescio quo modo, nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Tributum* autem recusabant boni viri, quia, post dejectam a Paullo Macedoniam, nullum omnino tributum populus Romanus pependerat. de quo Ciceronis verba subscripsimus.

Om-

Omni, inquit lib. II. off. *Macedonum gaza potitus est Paullus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum.* quod Plinius quoque lib. XXXIII. epist. 3. & Plutarchus in Paullo confirmat.

Ex centesima] ut de centum nummis unus tribuatur singulis mensibus.

Impudenti censu] in hoc enim impudentes sunt locupletes, quod multo minus solvunt, quam deberent.

Præmiis] non stipendiis, sed præmiis ante victoriam promissis: in quæ haud paullo plus pecuniæ, quam in stipendia, erogabatur.

Ornatus] instructus pecunia. & sane ad cogendas pecunias aptior erat Cassius, qui etiam avaritiæ nomine male audiit. Plutarchus in Bruto, & epist. 10. lib. VIII. fam.

Dum scriberes] dum eos mihi commendares. consulebam illis jam ante diligenter. ep. 20.

Integram tibi caussam reservant] video fieri posse, ut tu eos e numero hostium eximas. nam si te absente bellum in Italia contra improbos cives susceptum conficeretur; prodesse illis nihil posses. cum vero bellum ducatur; satis mature poteris cum exercitu tuo in Italiam venire, & his malis unus ipse finem imponere. quo beneficio affecta respublica nihil tibi petenti denegabit. itaque ipsa tempora integram tibi caussam puerorum reservant, ut possis illis consulere. exitus enim hujus belli in adventum tuum differetur.

Cum divinare &c.] feci eorum caussa, quæ potui, magis quia te ipsum diligo, quam quia fore putarem, ut tuo exercitusque tui auxilio egeremus. præter amicitiam nostram nihil spectavi.

A principio ita caussam egi] cum de Lepido, ejusque filiis ageretur, distingui filiorum caussam a patris caussa volebam.



EPISTOLARUM M. TULLII CICERONIS NON ITA PRIDEM A GERMANIS REPERTARUM ET EDITARUM PAULLI MANUTII COMMENTARIUS.

EXPLANATIO EPISTOLÆ I.

C. Vibio Pansa,
A. Hirtio. COS.

Pag. 152.



UAMQUAM nec ita difficiles hæ sunt quinque sequentes epistolæ, ut interpretationem admodum desiderent; & Carolus Sigonius, vir doctissimus, tum ad eas emendandas, tum etiam ad explanandas industriæ plurimum

mum contulit: quædam tamen attingemus, ne frustra interpretis officium suscepisse videamur.

Discrimen] obsidente M. Antonio D. Brutum Mutinæ inclusum. qua de re in epistola ad Cassium, lib. XII. fam. & in omni fere historia.

Tristes] quia, rerum inopia, quibus vita sustentatur, vix jam videretur obsidionem ferre posse.

Pag. 153. *Ducibusque*] duobus consulibus, Pansa, & Hirtio, & Octaviano: a quibus acie mox victus est Antonius.

Suspecta] ob languorem. nam & Q. Cicero sic ad Marcum fratrem de Hirtio, & Pansa scripsit, cum adhuc designati essent: Quos ego penitus novi libidinum, & languoris effeminatissimi animi plenos. qui nisi a gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est.

An post decernatur, suscipiatur, agatur] vitiosa compositio. est enim integer versus hexameter: quod ipse vitandum in Oratore suo monuit. idem peccavit epist. 5. in eo loco, de te etiam dixi tum, quæ dicenda putavi. qui est ibi quoque integer hexameter.

Is] vir summis perfunctus honoribus.

Senatus] qui Ciceronem sæpe decretis honorificentissimis ornavit.

Populique] in summo dignitatis gradu se Cicero dicit populi judicio collocatum, quia populi suffragiis honores omnes consecutus erat.

Sola] quia sunt in potestate nostra. non enim ab omnibus prudentia postulatur, quam præstare multi, naturæ vitio, non possunt.

Ego autem] non modo fidem, vigilantiam, patriæ caritatem, sed etiam prudentiam præstandam esse puto.

Cum mihi tantum sumpserim] cum ad remp. administrandam me contulerim. Si quis enim quid suscipit, nec sustinet, reprehensione vacat.

In aciem esse,] vel, in aciem, dixit, ut motum animi sui declararet, quasi, in aciem spectare.: vel antiquo more locutus est, in aciem, pro, in acie: ut in oratione pro lege Manilia: Cum nostros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis. & Plautus in Amphitr. Mihi in mentem non fuit. quæ notavit Gellius lib. 1. cap. 7. In aciem igitur, in pugnam, quæ inter Antonium ducesque reip. brevi futura videbatur.

Neque respectum ullum quærere,] neque quoquam respicere.

Converterit] nisi aliquid existat ejusmodi, quo, propter utilitatem reip. animum meum respicere oporteat.

Te, Cassiumque] qui, Cæsare interfecto, Italia excesserant, copiasque pro reip. partibus comparabant. C. Cassium cum M. Bruto, uxoris suæ fratre, item D. Bruto, & aliis, C. Cæsari manus attulisse, nemo nescit.

Bene res gesta] ad Mutinam.

Meliorem remp. esse faciendam,] sic ad Cassium, ep. x. lib. 12. Te in Italiam venire cum exercitu: ut, si hæc ex sententia confecta essent, consilio, atque auctoritate tua, sin quid forte titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur.

Si quid offensum sit,] si adversi quid evenerit: quod dixit ep. 6. ad Cassium, lib. XII.

EXPLANATIO

EPISTOLÆ II.

Nullis consulibus.

Pag. 154. P*Lanci*] L. Munatii Planci, ad quem scripsit Cicero lib. x. fam.

Egregium,] ut litteris ostendebat: nam postea defecit ad Antonium.

Legiones,] veteranas tres, tironum unam. ep. XXIV. lib. x. fam.

Auxilia,] Gallorum.

Copias,] quidquid habet copiarum, sic ep. 6. Exercitum, copias, legiones.

Lepidi] M. Æmilii Lepidi: de quo Vellejus hæc lib. 2. Lepidus Pontifex Max. in locum Cæsaris furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur.

Tui necessarii,] M. Bruti sororem in matrimonio habebat.

Secundum fratrem,] post fratrem. sic ad Atticum: Secundum te nihil mihi est solitudine amicius. Lepidi frater fuit L. Paullus, qui consulatum cum C. Marcello gesserat. mox a fratre ad necem traditus, societate a triumviris perdendæ reip. facta. Plutarchus in Antonio.

Affines] te, & C. Cassium. Bruti enim sorores duæ altera Lepido, altera Cassio nupserat.

Levitatem, & *inconstantiam*, prodita rep. ad Antonium desciverat. quod factum excusare ipse conatur ep. ultima lib. x. fam. Ejus videlicet ingenium probe noverat D. Brutus, qui eum appellavit hominem ventosissimum, ep. 9. lib. XI. fam.

Expediendo,] obsidione liberando.

Servilio] qui consul fuerat cum C. Cæsare.

Nobilem] gestis honoribus.

Neminem liberum duceret] omnes, tanquam servos, contemneret.

In Planci caussa] hac de re in ep. 12. lib. x. fam.

A Lentulo nostro,] is est, cujus epistolæ duæ sunt lib. XII. fam. post hoc tempus conscriptæ.

De

De legionibus, de Syria,] Cassius & legiones comparaverat, & Syriam ad reip. partes traduxerat.

Cecidit] fracto animo, utpote qui Antonio faveret.

Assensum esse mihi] de Planco ornando, quia scripserat ad senatum, se, & exercitum suum præsto ad omnia pro libertate reip. futurum. ep. 8. & 12. lib. x. fam.

Sed quo] mutilus locus.

EXPLANATIO EPISTOLÆ III.

Nostræ editionis, quam Manutius V. adjecit.

Pag. 155. *VEtus*] cognomen est, non prænomen Antistii. nam & cognomina interdum præponuntur, ut, Crispus Sallustius, Paullus Æmilius, Gallus Caninius.

Pecunia] vicies HS Bruto dedit. ep. 15. & Plutarchus in Bruto.

Mihi se probat] conjunxerat se Ciceronis filius cum Bruto. Plutarchus.

Animi magnitudine,] ab hoc Cicerone victum prœlio C. Antonium, ait Plutarchus.

Non fore illi abutendum gloria tua,] non necesse futurum; ut quo possit ad paternos honores pervenire, tua gloria potius, quam sua virtute nitatur.

EXPLANATIO EPISTOLÆ IV.

C. Vilio Pansa A. Hirtio consulibus.

Pag. 155. *SCapio*] duos Scaptios, Bruti familiares, nominat Cicero in ep. 1. & 3. lib. VI. ad Att.

Exaravi] exarare, est raptim scribere.

Lator,] quod Syriam, & Syriacas habeat legiones.

Irascente Pansa,] de hoc in epistola 7. lib. XII. fam.

Sine nostro s. c.] sic ad Cassium, in epist. 7. libro XII. fam. Promisi, & prope confirmavi, te non exspectasse, nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum.

Pag. 156. *De te etiam dixi tum, quæ dicenda putavi*] integer exameter, ut ep. 2. quod ibi notavimus.

Hæc ad te oratio perferetur] Philippica IX.

De Antonio] de Caio. epistola superiore.

Bruti] Decimi.

Exitum] utrum, victo Antonio, servetur Brutus; an adversi quid eveniat.

EXPLANATIO EPISTOLÆ V.

Nostræ editionis.

C. Vibio Pansa & Hirtio consulibus.

Pag. 156. N*Ostrarum rerum*;] quas ipse, & Cassius gesserant, traductis ad se magnis copiis, capto etiam C. Antonio, Marci fratre. Plutarchus, Appianus, Dio.

De Morte Trebonii,] post nuntios de morte Trebonii, quem Dolabella Smyrnæ occiderat, ejusque provinciam occuparat.

Consilium tuum] dimittendus ne sit an retinendus C. Antonius: de quo etiam paullo post subjungit hæc: si scirem, quid tibi placeret: sine solicitudine essem. tum a Bruto captum, ex Plutarcho, aliisque constat.

Scelere] Dolabellæ.

Civem optimum] C. Trebonium.

Provinciæ] Asiæ, quam senatus Trebonio administrandam dederat. epist. 16. lib. XII.

Neque minus turpe,] hoc videtur dicere: non minus turpe erit, Asiam sero a nobis recuperari, quam turpe fuit eam amitti.

Antonius] Cajus, Marci frater, qui anno superiore prætor fuerat.

Adhuc] apparet, de eo jam antea Brutum ad Ciceronem scripsisse.

Precibus,] cum oraret Antonius Brutum, ut se dimitteret.

Ne illum aliquorum furor excipiat] ne illum, alienatum a me dilationibus meis, ducem sibi libenter arripiant male de rep. sentientes: quorum furori aptam occasionem dare nollem.

Æstuo] inopia consilii laboro; usitatus loquendi modus.

A Murco, & a Marcio,] Cassius ipse in epistola ad Ciceronem, quæ lib. XII. fam. legitur, Murcum, Crispum, Bassum, Allienum nominat, a quibus traditas sibi legiones dicit. Marcii mentionem nullam facit.

Tertiam] Cassii uxorem: quam cum matre Servilia a C. Cæsare stupratam Suetonius, & alii tradiderunt.

Pag. 157. *Ederent*] divulgarent.

Hoc] Syriacas legiones ad Cassium ivisse.

Kal. Jan.] Philippica V. significatur.

De litteris meis,] Philippica X.

Animi] quia caussam reip. acriter, & libere defendas.

Libellis] liber interdum pro oratione accipitur, ut hic, alibi quoque.

Jam concedo,] quasi antea non concessisset: quod arrogantia quædam videretur, eodem nomine eas orationes appellare, quo suas in Philippum Demosthenes appellaverat.

Adversus Pansam] consulem: qui discedere ex Italia milites nolebat, quo majores ipse copias, cum Antonio, Mutinam obsidente, pugnaturus, habere posset. epistola sequenti.

Actione in senatu:] hoc opponitur ad id, quod proxime dixit, secreto consilio. nam, agere in senatu, est palam agere.

Reliquorum] hic aliquid desideratur: quod quale fuerit, divinare non licet. hoc tantum dicam, cum hac sententia non videri satis congruere quæ subsequuntur, Hoc magis doleo &c. sed illud aptius conjungi posse, Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit. totum autem illud, Hoc magis doleo, &c. inferius collocandum, absoluta jam pecuniæ mentione.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VI.

Nostræ editionis, quam Manutius IV. adjecit.

Pag. 157. *FAcultates,*] rationes pecuniæ colligendæ.

Decernuntur,] decernebatur de utroque consule adversus Antonium mittendo, ut D. Brutus obsidione liberaretur.

Nullas copias nimis magnas] quia cum firmissimo, & maximo Antonii exercitu confligendum erat.

Ne te quidem] quod ne te quidem, non modo Antonium, nimis firmum esse velit.

Pag. 158. *Etiam nunc partes appellantur,*] Cæsare interfecto, caussam tamen ejus contra libertatem tuebantur multi.

Neque, si posset, non divulgandum potius,] &, si posset, divulgandum potius.

EXPLANATIO
EPISTOLÆ VII.

Pag. 158. *ANtonii*] C. Antonii, qui erat in Bruti potestate.

Nemini concedo:] in te amando.

Eadem omnes] scribere.

Qua tua,] defendendam libertatem æque sensimus, ego fortasse paullo severius.

Sed regno] ad Cassium, ep. 1. lib. XII. fam. Non regno, sed rege liberati videmur. interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maximæ describuntur: exsules reducuntur: s. c. falsa referuntur.

Magno dolore] ob ea, quæ consul fecit Antonius.

Magno periculo] ob Mutinæ obsidionem. qua si potiretur Antonius ad urbem se cum omnibus copiis hostili animo referret.

Recenti illo tempore,] statim post Cæsaris necem.

Ad pacem] conferebas. ideo, neminem præterea necandum, censebas.

Ad libertatem,] cum agenda omnia dicerem, ut, rege sublato, etiam regno liberaremur: itaque Antonium, quique cum eo contra libertatem sentirent, armis esse persequendos.

Quæ sine pace nulla est:] itaque, quod ad studium pacis attinet, minime a te dissentiebam: sed tu pacem sine armis effici posse sperabas, ego secus.

Pag. 159. *Arma poscentium;*] fortium, & bonorum civium.

Restinximus] non hoc de se ipso dicit, qui pacem sine armis effici non posse duxerat, sed de iis, qui Bruti sententiam secuti, impetum pugnare cupientium represserant.

Itaque] culpam notat eorum, qui studio pacis in summum discrimen remp. adduxerant.

Cæsari Octaviano] qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio, unde se cum Macedonicis legionibus referebat, pestis patriæ fuisset. epist. 25. lib. XII. fam. & Philippica III. V. VI. XIII. XIV. ad Atticum epist. 7. lib. XVI. & hic epist. 7. & in historiis.

Illam mentem] ut Antonium ab urbe averteret.

Res a te gesta] cum tyrannum occidisti.

Repellit omnes reprehensiones;] est enim tanta, ut nihil nobis a te postea prætermissum, liceat reprehendere.

Nuper] quod antea non feceras: qui conservari Antonium volueras.

Vultu severo,] antea leniter agebas: nuper autem consilio mutato, severum vultum ostendere cœpisti.

Antonii] C. Antonii.

Exitum optabilem] cum se Bruto omnes plane C. Antonii copiæ cum ipso duce dedidissent.

Ciceronis mei,] pugnasse Ciceronis filium cum C. Antonio, & vicisse, Plutarchus narrat.

Referri] ad senatum, a quo autem referri, cum abessent ambo consules, ad D. Brutum obsidione liberandum profecti? a prætore urbano, qui, absentibus consulibus, consulare munus more majorum sustinebat; ut ep. 12. lib. x. fam.

Tempus turbulentissimum] cum inter Antonium, & duces reip. pugna exspectaretur, D. Bruto vix jam Mutinæ sustinente.

Honos] supplicationes significari constat.

In-

Justus,] quia rem supplicationibus dignam gessisses.

Diis immortalibus] quorum ad templa, gratias acturus pro re bene gesta, supplex populus accedebat. ep. 18. l. XI. Tuo, inquit, nomine gratulationem ad omnia deorum templa fecimus.

Ecce tibi] Tibi, ornatus gratia, posuit, ut alibi sæpe. Sic, at tibi, dixit, epist. 2. lib. 9. fam.

Servilio] M. Servilio, de quo ep. 7. lib. XII. fam.

Cornuto] prætori urbano, de quo ep. 12. lib. X. fam.

Magna admiratio,] nam si proconsul C. Antonius, cur adversus eum pugnavit Brutus? sin recte Brutus; cur proconsul Antonius vocetur?

Dolabella imperator:] qui Trebonium occiderat. nec enim, qui remp. oppugnant, ullo honore digni sunt.

Antonium] eundem Cajum significat.

Pag. 160. *Dignitatis tuæ*] quia, si proconsul est Antonius; tantum abest, ut laudandus sis, ut etiam reprehendendus, quod contra proconsulem arma ceperis.

Increbuisset] de inscriptione illa, Antonius proconsul.

Offendisset;] quia litteras C. Antonii cum illa inscriptione attulisset.

Multa] dixi, cur illa mihi non probaretur inscriptio.

Sextius] P. Sextius, pro quo exstat Ciceronis oratio.

Caussa] caussam appellat id, quod agitur, ut alibi quoque.

Suum filium,] qui erat in castris Bruti.

Labeo] Seguliæ gentis cognomen.

Cogere] exprimere, obtinere.

Probabat] quod alibi dicit, fidem facere, pro, persuadere.

Cui parcimus?] Bruti consilium reprehendit, qui C. Antonio parcendum putabat.

Nam quid interest] æque hostes reip. sunt tres Antonii fratres, Marcus, Cajus, Lucius, ut Dolabella, quem bello persequendum statuimus.

Duri fuimus] cum eum, tamquam hostem, armis persequendum decrevimus.

Res ipsa] quia tum a Dolabella, tum a tribus Antoniis imminere summum reip. periculum omnes videbant.

Auctoritate] auctoritas est opinio quædam sapientiæ, atque virtutis, ætate, rebus gestis, honoribusque parta.

Defendam] amicitiæ caussa.

Non relinquam meam] quia meliorem puto.

Dissolutum] nimiam clementiam, reip. periculosam, cum dixit jam non esse locum his rebus, & his temporibus.

Induces] C. Antonium, qui venerat in Bruti potestatem, significat.

Vehemens] acrior. laudat moderationem, sed ita, ne ducibus parcatur: ut moderatio sit, quod ad milites tantum, qui se dede-

Sed regno] ad Cassium, ep. I. lib. XII. fam. Non regno, sed rege liberati videmur. interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maximæ describuntur: exsules reducuntur: s. c. falsa referuntur.

Magno dolore] ob ea, quæ consul fecit Antonius.

Magno periculo] ob Mutinæ obsidionem. qua si potiretur Antonius ad urbem se cum omnibus copiis hostili animo referret.

Recenti illo tempore,] statim post Cæsaris necem.

Ad pacem] conferebas. ideo, neminem præterea necandum, censebas.

Ad libertatem,] cum agenda omnia dicerem, ut, rege sublato, etiam regno liberaremur: itaque Antonium, quique cum eo contra libertatem sentirent, armis esse persequendos.

Quæ sine pace nulla est:] itaque, quod ad studium pacis attinet, minime a te dissentiebam: sed tu pacem sine armis effici posse sperabas, ego secus.

Pag. 159. *Arma poscentium;*] fortium, & bonorum civium.

Restinximus] non hoc de se ipso dicit, qui pacem sine armis effici non posse duxerat, sed de iis, qui Bruti sententiam secuti, impetum pugnare cupientium represserant.

Itaque] culpam notat eorum, qui studio pacis in summum discrimen remp. adduxerant.

Cæsari Octaviano] qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio, unde se cum Macedonicis legionibus referebat, pestis patriæ fuisset. epist. 25. lib. XII. fam. & Philippica III. V. VI. XIII. XIV. ad Atticum epist. 7. lib. XVI. & hic epist. 7. & in historiis.

Illam mentem] ut Antonium ab urbe averteret.

Res a te gesta] cum tyrannum occidisti.

Repellit omnes reprehensiones;] est enim tanta, ut nihil nobis a te postea prætermissum, liceat reprehendere.

Nuper] quod antea non feceras: qui conservari Antonium volueras.

Vultu severo,] antea leniter agebas: nuper autem consilio mutato, severum vultum ostendere cœpisti.

Antonii] C. Antonii.

Exitum optabilem] cum se Bruto omnes plane C. Antonii copiæ cum ipso duce dedidissent.

Ciceronis mei,] pugnasse Ciceronis filium cum C. Antonio, & vicisse, Plutarchus narrat.

Referri] ad senatum, a quo autem referri, cum abessent ambo consules, ad D. Brutum obsidione liberandum profecti? a prætore urbano, qui, absentibus consulibus, consulare munus more majorum sustinebat; ut ep. 12. lib. x. fam.

Tempus turbulentissimum] cum inter Antonium, & duces reip. pugna exspectaretur, D. Bruto vix jam Mutinæ sustinente.

Honos] supplicationes significari constat,

Ju-

Justus,] quia rem supplicationibus dignam gessisses.

Diis immortalibus] quorum ad templa, gratias acturus pro re bene gesta, supplex populus accedebat. ep. 18. l. XI. Tuo, inquit, nomine gratulationem ad omnia deorum templa fecimus.

Ecce tibi] Tibi, ornatus gratia, posuit, ut alibi saepe. Sic, at tibi, dixit, epist. 2. lib. 9. fam.

Servilio] M. Servilio, de quo ep. 7. lib. XII. fam.

Cornuto] praetori urbano, de quo ep. 12. lib. X. fam.

Magna admiratio,] nam si proconsul C. Antonius, cur adversus eum pugnavit Brutus? sin recte Brutus; cur proconsul Antonius vocetur?

Dolabella imperator:] qui Trebonium occiderat. nec enim, qui remp. oppugnant, ullo honore digni sunt.

Antonium] eundem Cajum significat.

Pag. 160. *Dignitatis tuae*] quia, si proconsul est Antonius; tantum abest, ut laudandus sis, ut etiam reprehendendus, quod contra proconsulem arma ceperis.

Increbuisset] de inscriptione illa, Antonius proconsul.

Offendisset;] quia litteras C. Antonii cum illa inscriptione attulisset.

Multa] dixi, cur illa mihi non probaretur inscriptio.

Sextius] P. Sextius, pro quo exstat Ciceronis oratio.

Caussa] caussam appellat id, quod agitur, ut alibi quoque.

Suum filium,] qui erat in castris Bruti.

Labeo] Seguliae gentis cognomen.

Cogere] exprimere, obtinere.

Probabat] quod alibi dicit, fidem facere, pro, persuadere.

Cui parcimus?] Bruti consilium reprehendit, qui C. Antonio parcendum putabat.

Nam quid interest] aeque hostes reip. sunt tres Antonii fratres, Marcus, Cajus, Lucius, ut Dolabella, quem bello persequendum statuimus.

Duri fuimus] cum eum, tamquam hostem, armis persequendum decrevimus.

Res ipsa] quia tum a Dolabella, tum a tribus Antoniis imminere summum reip. periculum omnes videbant.

Auctoritate] auctoritas est opinio quaedam sapientiae, atque virtutis, aetate, rebus gestis, honoribusque parta.

Defendam] amicitiae caussa.

Non relinquam meam] quia meliorem puto.

Dissolutum] nimiam clementiam, reip. periculosam, cum dixit jam non esse locum his rebus, & his temporibus.

Induces] C. Antonium, qui venerat in Bruti potestatem, significat.

Vehemens] acrior. laudat moderationem, sed ita, ne ducibus parcatur: ut moderatio sit, quod ad milites tantum, qui se dide-

diderant, pertinet, quibus ignoſcendum cenſet. nam ducibus qui nefarium bellum comparaverint, parcendum negat.

Imitationem tui] ſic ad Lentulum, ep. 7. lib. 1. fam. Lentulum noſtrum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac præſtantior diſciplina.

AD OCTAVIUM EPISTOLA QUAM CICERONIS ESSE VIX CREDIMUS.

Epiſtolam ad Octavium ultimo loco impreſſam, & quia ſatis aperta, & multo etiam magis, quia Ciceronis non eſſe ἐκ τῦ χαρακτῆρος intelligo, non placuit interpretari.



FRAN.

FRANCISCI HOTOMANNI
JURISCONSULTI
IN EPISTOLAM
CICERONIS
AD Q. FRATREM,
De Provincia rectè administranda
COMMENTARIUS.



ARGUMENTUM.



Uinctus Cicero ex prætura provinciam Asiam sortitus, annos jam duos continuos parum secunda fama eam administrarat. Cum in annum tertium prorogatum illi imperium fuisset, Marcus frater inde occasionem eum ad laudem cohortandi sumpsit, quod de accessione hac annua facere illum certiorem vellet. Est autem bipartita cohortatio: prior enim pars ad ea quæ Rempub. attingunt, altera ad ea quæ privata & Quincti ferè præcipua sunt, pertinet: nam in priore parte ea persequitur quæ ad Quincti imperium ac provincialem administrationem spectant; de quibus quadripartite disputat Placet enim, quoniam id primum ac summum boni interpretis officium esse duximus, hujus epistolæ partitionem, ordinem ac dispositionem, & (ut Cicero ipse sæpe appellat) οἰκονομίαν, quæ sane in hoc libello singularis est, paulò attentius considerare. Primo igitur loco, de Quincto ipse præcepta dat: sed non ita quasi de Quincto ac cive Romano; verùm ut de amplissimo populi Romani magistratu, Asiam provinciam cum summo imperio administrante. Altero loco, de iis comitibus præcipit, quos secum in provinciam imperii sui ministros publicorumque negotiorum adjutores eduxerat. Postea de vitandis Græcorum & publicanorum nimiis familiaritatibus illum monet; utpote quibus imperii sui dignitas labefactari facilè convellíque possit. Postremò, etiam de servis cautionem adhibet; ejusque caput hoc esse voluit, ne quid iis, quod ad Remp. ulla ex parte pertineat, committatur.

Ita-

Itaque summatim hæc omnia in Epilogo enumerans, quatuor hæc dignitatis Quincti fundamenta nominat; integritatem ipsius & continentiam, omnium qui cum ipso erant pudorem, delectum in familiaritatibus & provincialium & Græcorum, postremò familiæ gravem & constantem disciplinam. Altera pars ea, ut ante dixi, quæ privata magis sunt, id est, quæ Quincti personam atque officium præcipuè attingunt, complectitur. Nam primo loco, de moderanda acerbitate, qua usus in suppliciis antea fuerat, deque retinenda in jure dicendo æquabilitate præcipit; secundo, de sublevandis provinciæ oneribus, minuendisque sumptibus & jacturis; tertio, de conciliandis cum publicanorum ordine sociis, constituendáque inter illos concordia; postremo, de coercenda iracundia & naturæ impetu moderando, ita luculenter & propè divinitus disputat, ut hanc epistolam non Quincto fratri scripsisse, potius quàm omnibus provinciarum gubernatoribus præclaram quandam imperii rectè administrandi normam ac regulam præscripsisse videatur.

FRAN-



FRANCISCI HOTOMANNI JURISCONSULTI IN EPISTOLAM CICERONIS AD Q. FRATREM,

De Provincia rectè administranda

COMMENTARIUS.

Pag. 1.  *Tsi non dubitabam*] Quinctus Cicero ex prætura provinciam Asiam sortitus, eam biennium jam obtinuerat. Cum iterum, hoc est in annum tertium, prorogatum ei imperium fuisset, Marcus frater ita hanc epistolam orditur, ut quasi molestum id illi nuncium futurum intelligeret, eum & hortetur, ut æquo animo hanc accessionem ferat, quæ non Quincti sed sua culpa acciderit; & consoletur, quòd ex hac prorogatione speret utriusque gloriam illius virtute amplificatum iri.

Superatura] quia, etsi nullum æquè ut fratrem decuit ejus rei fratrem suum quàm primum certiorem facere; tamen cùm longiuscula epistola scribenda esset, aliquantum effluxit temporis: deinde, cum Græci diligenter ad eam rem animum adverterent, celeriter ea fama volabat. Itaque in primo ad Attic. *Asiam*,

ſiam, inquit, *Quincto obtigiſſe audiſti: non enim dubito, quin cel*rius tibi hoc rumor, quam ullius noſtrûm litteræ nunciarint.*

Deſiderio noſtro] *deſiderantur* quæ abſunt, quibus caremus, qua expectamus. Itaque *deſiderium* ſæpe pro eo dolore uſurpamus quem, eo quòd re aliqua caremus, percipimus: ut in ep. fam lib. 6. *Neceſſe eſt minore deſiderio, perdita Rep. carere, quàm bona* Id enim eſt *dolore*; ut infra; *Perfice, ut lætitia provinciæ deſiderium noſtrum leniatur.* Et in v. ad Attic. ubi de ſua provincia loquitur; *Erit tibi videndum, ut hoc noſtrum deſiderium ne plus ſit annuum.*

Labori tuo] Avaris ſenatoribus nihil fuit provinciarum adminiſtratione optabilius: quippe in quibus dominatum & quaſi regnum obtinerent: ut autem quæque longiſſima erat, ita gratiſſima & jucundiſſima eſſe ſolebat. Hinc illud Marci ad Attic. lib v; cum de ſua provincia ſcriberet: *Noli*, inquit, *putare, mihi aliam conſolationem eſſe hujus ingentis moleſtiæ, niſi quod ſpero, non longiorem annua fore: hoc me ita velle multi non credunt, ex conſuetudine aliorum.* Sed Marcus hoc loco artificiosè ita ſcribit, quaſi Quinctus id ſibi, non quæſtui ſed labori duceret. Itaque ſtatim etiam, *hujus moleſtiæ*, intulit.

Maturæ deceſſionis] fore, ut maturè de provincia decederes, & in urbem redires.

Opinione] mirè dixit *opinione*, pro *ſpe*: quaſi eam temporis cauſa finxiſſet.

Contentio] tantopere a conſulibus contendebamus, ut ad ſenatum de provinciis decernendis referrent.

A Prætoribus] qui provinciarum cupidi, ſucceſſores tibi mitti ſtudebant. Nam lex Sempronia, quæ provincias ante comitia, deſignationem magiſtratuum, decerni jubebat, non ad Prætorias ſed ad Conſulares provincias pertinebat. Prætores autèm, antiquo more, ſub anni ſui exitum, aut ſortiebantur aut comparabant.

Suis opibus] *opes* latinè dicuntur, quibus quiſque poteſt plurimum; ſive gratia, ſive auctoritas, ſive poteſtas, ſive etiam divitiæ.

Pag. 2. *Et gerendis & ſuſtinendis*] *geri* dicuntur res, ab iis qui cum imperio ſunt: *ſuſtineri* ab aliis, Varro de lingua v. Contra, imperator, qui dicitur res gerere, in eo neque agit neque facit, ſed *gerit*, id eſt, *ſuſtinet*; tranſlatum ab his qui onera gerunt, quòd ſuſtinent.

Priore anno] Pro, *ſuperiore*: ſed ſic locutus eſt, ad hunc alterum prorogationis annum reſpiciens.

Saluti ſociorum] quorum tum commodis utilitatique in iſta adminiſtratione conſulis.

Impudentiæ negociatorum] poſteriùs Paconium & item Tuſcenium quendam nominat, qui cum acerbius a Quincto tractati

essent, non tantum in provincia contumeliosè de ipso locuti erant, verum etiam Romam ad senatum questum venerant. Cum igitur Marcus animadvertisset, aliquid ex ea re offensionis contractum esse, operam dederat, ut primo anno alter adderetur; quo posset Quinctus conceptam ex ea nimia severitate maculam eluere, & jucundissimam sui nominis memoriam in provincia relinquere. Atque hoc illud est, quod circa extremum scribit: *Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, secundus autem multo levior* &c.

Resisto] qui postulabant, ut tibi successor mitteretur, & propter nimiam crudelitatem revocareris: quod tibi dedecori fuisset.

Ac si te ipse] initium cohortationis, quæ quadripartita est: nam primum præceptum proprie ad Quinctum ipsum pertinet; alterum ad suos comites; tertium ad provinciales & Græcos; quartum ad servos: quemadmodum ipse posterius in ἀνακεφαλαιώσει ostendit. Hoc igitur initium ad illa verba pertinet; *tua primum integritas & continentia.*

Ad omnes partes bene audiendi] ad laudem & famam virtute & rectè factis conciliandam. Et *bene audiendi*: quia (ut in Epist. insequenti scribit) *ratio salusque omnium eorum, qui ad Remp. accedunt, non veritate solum sed etiam fama nititur.*

Tecum ipse certes] qua victoria nulla præclarior. Itaque Plato, in I. de legib. τὸ νικᾷν αὐτὸν, πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη· τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ᾽ ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον.

Laudis cupiditatem] quæ ut propria hominum est, ita in quo maxima est, eum maxime ac præter ceteros excellentem efficit: ut Xenophon in Tyranno eleganter scripsit.

Contrahas aut demittas animum] translatum a navigantibus, qui orta tempestate vela contrahunt, eáque demittunt. Itaque in hac metaphora perstat, cum postea dicit, *contraque erigas.* Sic ad Attic. lib. I; Contraxi vela, perspiciens inopiam judicum.

Contraque erigas, ac resistas sive etiam ultro occurras] ex eodem genere illud est Virgilii: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

Pag. 3. *Fortuna dominetur*] ut in bellis: nam bellorum rationem in fortuna positam veteres crediderunt: qua de causa Homerus ἐνυάλιον martem vocat.

Insidias hostium] tum enim Asia, Cn. Pompeji virtute non modò pacata, verùm etiam tribus aliis provinciis, quasi propugnaculis cincta erat. De Provin. consul.

Gubernatores] redit ad illam translationem de navigantibus.

Dormientem] quemadmodum de Palinuro Virgilius cecinit, lib. V. extremo.

Humanissimum] sic aliquanto post: *Cum vero ei generi hominum præsimus, non modò in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios perve-*

 nisse

nisse putetur humanitas, certè iis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus.

Necessitudine] hoc ad utrumque Ciceronem refertur; qui orti ex publicanorum ordine, semper eos officiis omnibus complexi erant. sic in ea pro Postumo: *Scitis me ortum e vobis, omnia semper sensisse pro vobis: alius alios ordines & homines; ego vos semper complexus sum.* Plura posterius hac de re.

Aut ita negociantur] eorum ergo civium, qui in provinciis versabantur, duo erant genera; Publicani & Negociatores: Publicani in vectigalibus exigendis occupabantur; Negociatores in pecuniis fœnerandis & mercaturis faciendis.

Nostri consulatus] in quo spem novarum tabularum & *χρεωκοπίας* oppressa conjuratione restinximus.

At enim] particula in tacitis objectionibus usitata.

Si te ipse contineas] sic in Maniliana: *Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui seipsum non continet*: &c. Et eodem illud pertinet, quod aliquot ipse post annis de se Ciliciæ Proconsule & suis comitibus ad Atticum scripsit: *Οἵα τ' ἂν δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες.*

Pag. 4. *Excolere*] Nam, ut in ea pro Archia scribit, *cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam confirmatioque doctrina, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solet existere.*

Græci quidem] id est, quicunque in Asia minore sunt; quæ Quincti erat provincia. Nam plerique omnes græcè loquebantur. Quantum autem inter veram Græciam veramque Asiam interesset, ipse in Orat. pro Flacco exposuit.

Annalium] similiter in Maniliana: *Itaque* inquit, *omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum sed de cœlo delapsum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia, quod jam nationibus exteris incredibile ac falsò memoria proditum videbatur.*

Fecisse gaudeas] laudem in cohortando sæpe permiscet: quoniam (ut ipse idem ad Trebonium scribit) *in excitando & acuendo plurimum valet, si laudes eum quem cohortêre.*

Summo cum imperio] nam æque qui pro prætore, ut qui pro consule provincias obtinebant, summum imperium lege curiata habebant.

His autem in rebus] secunda pars cohortationis: in qua præcepta traduntur, de iis in officio continendis, quos secum Quinctus ex urbe Roma in provinciam imperii sui ministros & negotiorum publicorum adjutores abduxerat.

Ministros imperii] quos tibi comites & adjutores publicorum negotiorum dedit ipsa Respub. quibus quemadmodum exteræ nationes terreantur, ipse in Agraria secundâ his verbis ostendit: *Grave est enim nomen imperii, atque id etiam in levi persona pertimesci-*

irrescitur: *propterea quod vestro*, (Quirites alloquitur) *non suo nomine*, *cum hinc egressi sint*, *abutuntur*.

Adventu commoveri] quanta autem inde formido nasci consueverit, vel ex his Manilianæ verbis intelligi potest; ubi hic scribit: *Ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus*, *ut etiam si ab hoste defendant*, *tamen ipsorum adventus in urbes sociorum*, *non multum ab hostili expugnatione differant*. Quod vero majorum in his rebus institutum fuerit, Livius, libr. XLI, his tradit verbis: *Ante hunc consulem*, *nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit*. Ideo magistratus mulis tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur: ne quid tale imperarent sociis, privata hospitia habebant; ea benignè comiterque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant; apud quos ipsos ipsis diverti mos esset. Legati qui derepentè aliquò mitterentur, singula jumenta, per oppida, qua iter faciendum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus non faciebant. Itaque Cicero ipse quemadmodum se hoc in genere, cùm Ciliciæ proconsul esset, gesserit, his verbis ad Attic. scribit: *Levantur miseræ civitates*, *quod nullus fit sumptus in nos*, *neque in legatos neque in quæstorem neque in quenquam*. *Scito*, *non modo nos fœnum*, *aut quod lege Julia dari solet*, *non accipere*, *sed ne ligna quidem*; *nec*, *præter quatuor lectos & tectum*, *quenquam accipere quicquam*: *multis locis ne tectum quidem*, *& in tabernaculo manere plerumque*.

Pag. 5. *Præstare*] verbum est juris. *Præstare aliquem*, est *prædem esse pro aliquo*, & periculum quod ex eo timetur in se recipere. In eandem autem sententiam Verrina III. dixit: *Si innocentes existimari volumus*, *non solum nos abstinentes*, *sed etiam nostros comites præstare debemus*. Quanta autem illius obligationis vis sit, nemo unquam melius, quam hic idem noster ad Brutum in epistolis scripsit: *Est*, inquit, *gravior & difficilior animi & sententiæ*, *maximis præsertim in rebus*, *pro altero*, *quàm pecuniæ obligatio*. *hæc enim solvi potest*, *& est rei familiaris jactura tolerabilis*: *Reipub. quod spoponderis*, *quemadmodum solvas*, *nisi is dependi facile patitur*, *pro quo spoponderis*.

Legatos] *legati* dicebantur, qui lecti publicè: quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus. Varro.

Ex suis annalibus] ex antiquorum monimentis, qui non, historicorum more res omnes copiose narrabant, sed annales tantum scribebant, id est, breviter, quid in Repub. gestum, & quid quoque anno factum esset, perstringebant. Quales Cicero, in primo de legibus, Pictorem, Pisonem & Fannium nominat. Differt ergo historia ab annalibus: quod hi summatim & breviter tantùm rerum capita perstringunt, & quasi digitos ad fontes intendunt; illa verò, quo quæque res consilio & modo gesta sit, copiosius explicat.

Alienus autem noster] ludere videtur in voce *alienus*: quasi diceret, nomine esse alienum, re verò suum.

Quem sors dedit] quæstores comitiis tributis creabantur: postea senatus decernebat, ut provincias sortirentur. Sorte igitur huic obtigerat, ut in Asiam quæstor iret.

Quorum si quis] vox *quorum*, cum de unico quæstore sit locutus, quo referatur, non video; nisi forte etiam ad legatos referenda sit. Velim tamen antiquum aliquem codicem consulere, & videre ecquid de tribunis militaribus & præfectis ante hanc vocem interpositum fuerit.

Eatenus quoad] tantisper conniveres, dum ea admitteret, quorum ipse per se culpam præstare deberet: quod si præter proprium ipsius & definitum legibus Quæstura munus, potestatem ei aliquam commisistis, qua turpiter abuteretur, quia hoc ad dignitatem & existimationem tuam pertineret, tum dissimulare non deberes.

Astrictus] quibus Quæstorum potestas quasi cancellis quibusdam & finibus circumscripta est.

Ad dignitatem permisisses] etenim jus fuit iis, qui cum summo imperio provincias obtinebant, multa suis Quæstoribus, præter propriam ipsorum & legitimam potestatem permittere: ut ex Varrina III. intelligitur.

Cum hi mores] aliquid interdum depravatæ consuetudini permittendum est: non omnia ad vivum resecanda.

Unum quemque eorum] apparet non de uno quæstore hoc dici.

Pag. 6. *Comites*] ministros imperii publici.

Finibus iis] dum ea potestate, quam abs te ad dignitatem adepti fuerint, abutantur.

Apparitionibus] locus ostendit, *apparitores* prætorum judicio deligi solitos fuisse: non a senatu attributos.

Quasi ex cohorte] *cohors prætoria* manus dicebatur, partim evocatorum militum, partim adolescentum nobilium, quæ & in castris & in agmine atque acie præsto imperatori esse solebat. Accensi autem & lictores non ex cohorte, sed quia semper prætoris latus cingunt, *quasi ex cohorte* appellari solent.

Præstanda] quo verbo quid significetur, superius ostendimus.

Rudis cum esses] cum recens in provinciam venisses. sic alibi, *provinciæ rudis*, dixit.

Tua liberalitas] facilitas, comitas: ut Verrina III; *Africani est hoc, hominis liberalissimi. Veruntamen ea liberalitas est probanda, quæ sine periculo existimationis est; ut in illo fuit.* In Lælio: *Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, justitia in omnes?*

Suspicatur] quippe, qui alios sui esse similes existimet.

Pag. 7. *Existimentur audire*] subobscurus locus: cujus tamen arbitror hanc esse sententiam; plerumque cum multis præsentibus

bus insusurratur, is qui monetur, se audire dissimulat: ita qui adsunt, existimant illum nihil audire. Monet igitur Quintum fratrem, ne ad suas aures quenquam insusurrare patiatur; sed omnes palam atque apertè loqui jubeat, ut quod audivit, id existimetur audisse. Neque tamen de occultis consiliis, quæ ad Rempub. pertinere possunt, id significat; sed de insusurrationibus, qualis illa est quam in Verrina IV. reprehendit: *Crebro dimittebat se accensus ad aurem Timarchides.* Item Verrina VII: *Atque eum vident sedere ad latus prætoris, & ad aurem familiariter, ut solitus erat, insusurrare.*

Annulus tuus] quo litteræ publicæ consignabantur.

Ut vas aliquod] quod perpetuò huc illuc circumfertur.

Tanquam ipse tu] qui gravitatem dignitatemque retines; neque temere ac leviter circumcursas.

Minister] ut id, quod cuivis apud te gratioso videbitur, obsignet.

Accensus] *accensus*, inquit Asconius, *nomen est ordinis & promotionis in militia.* Varro, lib. de ling. V, significat, eum ab *acciendo* dictum: & in militia solitum milites *ciere*, in foro apud prætorem litigatores & horas inclamare.

Lenitatis] merè dixit, pro *severitatis.* Et est sensus: Adhibeat eam severitatem, non quæ ipsi, sed quæ tibi videbitur.

Fasces & secures] proprætores in provinciis lictores sex habebant, qui fasces ipsis præferebant, quarum in summo securis extabat. Hoc magistratus Romæ insigne in provinciis esse solebat. Itaque a Polybio, ἑξαπέλεκυς prætor appellatur.

In provincia vero] hactenus de iis, quos Quinctus in provinciam secum eduxerat, præcepta tradidit. Deinceps de civibus Romanis, qui in provincia negociabantur, & ipsis Asianis, præcipere instituit; ne illos nimia consuetudine ac familiaritate implicatos habeat. Eaque tertia hujusce cohortationis pars est.

Qui nobis ante] quem Romæ non noverimus.

Pag. 8. *Provinciales*] verbum animadversione dignum. Nam *provinciales* hoc loco perspicuè appellantur cives Romani qui in provincia sic negociabantur. ut in iis sedem & domicilium fortunarum suarum constituerent. Sic infra: *delectus in familiaritatibus & provincialium hominum & Græcorum.*

Periculosum] *propter hominum occultas voluntates multiplicesque naturas*: ut ad Lentulum scribit: *Sunt enim* (ut in ea pro Marcello dixit) *multæ in animis hominum latebræ multique recessus.*

Genere hominum] negotiatorum.

Adducti] e patria, præsertim Italia, in exteras regiones translati.

His rebus omnibus] patria, cognatis, amicis, necessariis, urbe ipsa Roma: nonnulli etiam conjugibus & liberis.

Divulsi esse] ægrè, nec fere nisi coacti divelluntur.

Te autem alienum] Enthymema ex repugnantibus. Non & illi præ avaritia sunt usque eo ἄστοργοι, ut æquo animo rebus omnibus dulcissimis careant; suos denique sic deserant, quasi illos præ pecunia non diligant: & te, qui alienus es, (id est, nulla cognatione junctus) ex animo amabunt? *Alienum* autem *cognatis* opponi, nemo fere qui Ciceronem attigerit, ignorat.

Semper ament] non re vera; sed quia illorum opera sperant se suis commodis servire posse. Ergo non officiis, sed temporibus serviunt.

Omnes vias] quippe cum illorum plerique omnes in exercendis pecuniis occupati sint.

Victuri] diu victuri.

Atque etiam] sequitur pars III, de Asianis ipsis, quos Græcos suo more, ea de causa quam superius exposui, appellat.

Cavenda] propter hominum ingenia ad fallendum parata: ut scribit in seq. epistola.

Pag. 9. *Eruditi*] videtur aliquid ad implendam sententiam desiderari; nisi forte sit *locutio* (ut Pediani verbis utar) *inconsequens*.

Jam qui] pars quarta: in qua de servis præcepta tradit; quos, ut in gravi & constanti disciplina contineat, hortatur.

Cautus esse] leniter in sua persona posuit; pro *cautum te ac diligentem esse*.

Appia via] omnium celeberrima, & in ipsius Italiæ luce; ubi per civium Romanorum αὐθάδειαν servis insanire non licet.

Utrum Tralleis an Formias] illa Cariæ, hæc Campaniæ urbs fuit.

Usu superiorem] neque enim tum Marcus provinciam ullam administrarat.

Pag. 10. *Quare sint hæc*] enumeratio, quam ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant: ex qua, id quod superius monui, perspicuè intelligitur; quadripartitam superiorem cohortationem fuisse: quæ quidem cohortatio ad ea quæ publica sunt, hoc est quæ ad imperii Quinctii dignitatem spectant, præcipuè pertinet.

Hæc institutio] sequitur altera cohortatio, quam ad privata præcipuè pertinere diximus. Ejus autem totidem quot superioris partes sunt. Hoc autem initio, de jurisdictione quidem disputat: Sed non quatenus ad Rempub. pertinet; verum quatenus ad ipsius Quincti personam. Cum enim nimia ejus in suppliciis acerbitas atque etiam crudelitas ab omnibus reprehenderetur, præcipit hoc loco, ut severitatem cum lenitate atque clementia conjunget.

Sustinere] neque enim in eo severitas toleratur, qui cum ipse sit dissolutus, asperius in alios animadvertit: quod contra superius dixit; *Quid est enim negotii, continere eos quibus præsis, si te ipse contineas?*

Mysi aut Phrygis] in Oratione pro Flacco, quam contemptæ gen-

gentes hæ fuerint, ex illis proverbiis ostendit: *Phrygem plagis fieri solere meliorem*: Et, si quis despicatui ducitur, ut *Mysorum ultimus esse dicatur.*

In jure dicendo] *juris dicendi* nomine, cum de provinciarum rectoribus agitur, non tantum privatarum causarum disceptationes, verùm etiam rerum capitalium quæstiones contineri, sæpe aliis in libris nostris probavimus.

Ne varietur gratia] quod in eo qui jus dicit, potissimum exquiritur, ut juris æquabilitatem inter omnes servet; neve illud inflecti gratia, aut perfringi potentia, aut adulterari pecunia patiatur. Qua de re locus est in Orat. pro Muræna insignis.

Partem concesseris] prætores in provinciis solitos suis Quæstorib. & legatis jurisdictionem mandare, patet ex Verrina prima & quarta, & ex lib. Pandect. primo.

Præsertim provincialis] nam & Romæ & in provinciis, ex edicto jus redditur: sed Romæ, longè & graviores causæ & litigatores potentiores; in provincia, vel Græci sunt vel negotiatores & mercatores. Hinc in ea pro Muræna; *in juris dicendi sorte*, inquit, *gloriam conciliat magnitudo negotii*, *gratiam æquitatis largitio*. Et pro Flacco: *Prætura jurisdictio, res varia & multiplex ad suspiciones & simultates.*

Facilitas in audiendo] ut pro Muræna: *Sapiens prætor offensionem vitat æquabilitate decernendi*, *benevolentiam adjungit lenitate audiendi*. Itaque hoc ipsum posterius his verbis inculcat: *Juris æquabilem tenere rationem*; *facilem te in rebus cognoscendis*, *in hominibus audiendis admittendisque præbere.*

Pag. 10. 11. *In discernendo*] omnes quos vidi antiqui, *decernendo*: quod sine dubio rectum est. Nam *discernere* pro *dijudicare*, nunquam me, ubi de jure dicendo ageretur, legisse memini. Qualem autem in decernendo lenitatem significet, ex ea pro Quinctio, facile intelligitur: ubi de Dolabella Prætore queritur, qui, cum advocati Quincti de jure sui decreti disputarent, eos acerrimè per lictores summoveri jusserat.

Satisfaciendo & disputando] hoc idem ex eodem Quinctianæ loco facillimè intelligitur: ubi litigatores Prætori decernenti obstrepebant ac tergiversabantur, & contra eum de sui decreti jure disputabant. *Recusabant*, inquit, *qui aderant tum Quinctio*: *demonstrabant*, *de re judicium prius fieri oportere. Clamabat porro ipse Quinctius &c.* Ejusdemmodi præterea disputationis exemplum extat apud Livium, lib. II; ubi Appius decemvir detrectantibus litigatoribus satisfacere conatur, & quasi cum ipsis disputat. *In causa*, inquit, *& persona variat*; & quæ sequuntur. Rectè igitur, *disputando*: ut in libris omnibus. Nam *discernendo* reponere, & negare id ad prætores aut judices pertinere, sed totum litigatorum esse, nulla ratio est: cum ubique *disceptandi* verbum in Prætoribus usurpetur: ut in illo lib. III. de legib. I. *juris disceptator*.

ceptator, qui privata judicet judicarive jubeat, prætor esto.

Cn. Octavius] Tranquillus, Augusto: *Octavius pater ex prætura Macedoniam sortitus, provinciæ præfuit, non minore justitia quam fortitudine. Namque Bessis ac Thracibus magno prælio fusis, ita socios tractavit, ut epistolæ M. Ciceronis extent, quibus Q. Fratrem, eodem tempore, parum secunda fama Proconsulatum Asiæ administrantem hortatur & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium.* Locum autem Tranquillus significat, tum hunc ipsum, tum etiam alterum, in epistola insequenti. Quod cum ita sit, & Suetonius Augusti majores omnes scribat *Caios* non *Cneos* appellatos esse, patet hoc loco non *Cneus*, sed *Caius* legendum esse.

Primus lictor quievit] rectè: cum antea, *qui fuit* vitiosè legeretur. Vitium autem alii doctissimi viri animadverterunt: quibus hoc nomine gratiam debemus. *Quiescere* autem est, molestum disputantibus litigatoribus non esse, neque eos summovere: qua de consuetudine superius ex Quinctiana exposuimus.

Tacuit Accensus] patet igitur *Accensi* munus fuisse, non tantum ut milites ad imperatorem *cieret*; unde illum dictum scribit Varro; vel ut ad prætorem *acciret*, qui jus postularent: verùm etiam ut importunis interpellatoribus silentium imperaret.

Quam voluit diu] nam jus fuit apparitoribus, & in his (ut ex hoc loco licet conjicere) primo lictori & accenso silentium imperare, ac molestos interpellatores summovere. Id quod, opinor, fieri solebat, simul atque is, qui posteriore loco orationem habuerat, pronunciarat, *dixi*. De quo vide Asconium, in Verrin. & Donatum, in Terent.

Tueretur] excusaret. Facilè compensabatur severitas illius hac lenitate, quod cum Syllani &c.

Quæ per vim & metum] quam formulam Cicero Verrina quinta *Octavianam* appellat: id est, a Prætore aliquo, qui ex Octaviorum gente esset, institutam.

Eodem jure parendum] quod etiam edicto prætoris cautum fuit: cujus hæc verba Ulpianus, lib. Pandect. II, commemorat: *Qui magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem novi juris statuerit, ipse quandoque, adversario postulante, eodem jure uti debet: scilicet, ut quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, & in ipsius quoque persona valere patiatur.*

Severitas acerba] quia quæ civilis belli vis conturbarat, ea cum pacatis rebus movebantur, refricari obducta Reip. cicatrix videbatur.

Grata Romæ est] quod superius ex orat. pro Muræna ostendi.

Tanta arrogantia] hæc omnia non ad Prætores, sed ad litigatores ipsos referenda sunt. Nam argumentum est ex comparatione minoris; id est, minus verisimilis; hoc modo: Cives Romani, qui in urbe litigant, tanta sunt arrogantia, ut ea vix fe-

renda,

renda, imò verò severitate aliqua potius compescenda videatur: & tamen Prætorum lenitas ac facilitas laudatur. Quanto magis in provinciis, ubi litigatores provinciales homines diuturna severitate fracti ac domiti, metu fascium ac potestatis & magistratuum facile perterrentur? Arrogantiores autem ii, qui Romæ litigant, propterea sunt, quia & cives Romani sunt, & cognationibus, necessitudine, amicitiis potentium, tenentur: sæpe etiam hominum audacium & facinorosorum libertate atque impunitate freti sunt. Atque hoc quidem, quod ad integræ periodi argumentationem attinet. Illa autem verba, *quod si lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est*, paulo secus atque alii, accipienda existimarem; ut vis argumenti ex repugnantibus subesset; hoc modo: Non & magna in pacata civitate privatorum insolentia atque arrogantia est, & lenitas in magistratibus laudanda.

Tot magistratus] qui appellati possunt intercedere: ut in legibus: *Par majorve potestas plus valeto.*

Auxilia] licebat enim ab injurioso Prætoris decreto, ad parem majoremve magistratum, auxilii ergo confugere.

Pag. 11. 12. *In Asia*] ubi litigatores, si provinciales sunt, diuturno imperii Romani jugo fracti ac domiti sunt: si cives Romani, sui commodi causa magistratibus assentari solent; ut superius dictum est. Utrique autem magistratus, ad quos auxilii ergo confugiant, nullos habent.

Unius hominis nutum] voluntatem, arbitrium; ut alibi: *Jura omnia nutu atque arbitrio unius gubernari.*

Nullum auxilium] sic Verrina IV: *Dubium nemini est, quin omnes omnium pecuniæ positæ sint in eorum potestate, qui judicia dant, & eorum qui judicant: quin nemo nostrum possit ædes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere; si, cum hæc a quopiam petita sunt, prætor improbus, cui nemo intercedere possit, det quem velit judicem, judex nequam & levis, quod Prætor jusserit, judicet.*

Nulla conquestio] nullus conquestioni locus: nullus magistratus, qui contra injuriosum decretum, auxilii ergo appelletur.

Doctrina eruditi] quæ tanta est, ut vel vitiosissimam naturam excolere possit.

Sic se adhibere] pro, *sic se gerere.*

Nulla alia potestas] ad quam auxilii causa confugiant.

Cyrus ille] videtur profectò particula ut hoc ex loco effluxisse: nam cum prius ita dixisset, *permagni hominis est &c.* rectè infertur, *ut Cyrus ille* &c. Et facilè, propter proximam syllabam *tur*, elidi potuit.

Ad historiæ fidem] nam & multa de eo, apud Herodotum, secus quam apud Xenophontem, scripta sunt: neque videtur tanta in hominem cadere sapientia potuisse.

Ad effigiem] quomodo a Poëtis Achilles, Æneas & Ulisses scribuntur.

Gravitas cum comitate] quarum tamen societas est difficillima: ut in lib. de leg. III: *Cujus & vita & oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate.* Et Brut. *Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus aut dulcior?*

Noster ille Africanus] Æmilianus: quem in lib. de Rep. de optimo imperii genere disserentem facit. Remp. enim, quo tempore florentissima fuerat, gesserat.

Privatus futura] quippe qui regnum perpetuum obtinebat.

Ac mihi quidem] altera hujus secundæ cohortationis pars; in qua de provinciæ salute & commodis præcipit; veluti de ære alieno civitatum, de seditionibus, latrociniis, tributis, pecuniis in Ædilium ludos & Quincti honores exigendis.

Hæc referenda] quod Platonis præceptum esse, ipse lib. Off. I. scribit: *Omnino*, inquit, *qui Reip. præfuturi sunt, utilitatem civium sic tueantur, ut quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Ut enim tutela, sic procuratio Reip. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa, gerenda est.* Platonis autem locum in Eutyphrone significat: quem ipse quoque in quinto de Rep. imitatus est: ubi se sic scripsisse, lib. epist. ad Attic. VIII, testatur. *Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria; sic huic moderatori Reipub. beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit*: hujus enim operis maximi inter homines atque optimi, illum esse effectorem volo.

Pag. 13. *Optimatum consiliis*] non imperitæ multitudinis & concitatæ concionis psephismatis, sed senatus auctoritate. Qua de re, multa præclarè in orat. pro Flacco.

A fama, fortunis, otio] gradatim a summo ad infimum descendit: nam calumniæ aut famam lædunt, quod est gravissimum, aut si rei privatæ lis est, fortunas imminuunt: denique si nihil aliud, otium & quietem civium perturbant.

Calumniam] subornabantur enim ab avaris Prætoribus calumniatores: ut de Verre legimus, libro Accusationis secundo: ubi de Heracho, Epicrate, Sostrato & Sthenio in judicium per calumniam adductis multa narrantur. Ea propriè *Citio in litem alienam* vocatur.

Toto in imperio] in universa provinciæ tuæ administratione.

Vectigali Ædilitiorum] locus ostendit consuetudinem in provinciis sensim jam institutam ab iis, qui Romæ ludos facerent, ut pecuniam a sociis ad illos sumptus exigerent. Hanc pecuniam, quia quotannis pendebatur, propterea *vectigal* appellat. Sed *ædilitiorum*, cur potius quam *ædilitio* legendum sit, non dispicio.

Pag. 14. *Ad templum nostrum*] sic lib. v. ad Atticum: *Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino, statuas, fana, τέθριππα prohibeo.*

Lex

Lex exciperet] de repetundis: ne cui, qui in provincia cum imperio vel potestate esset, capere aut conciliare pecuniam liceret.

Ne deberetur] ædiles, quos superius nominavit, significat: quibus nulla lex, ut illam pecuniam exigerent, permiserat.

Barbaris Nationibus] in quibus litterarum studia nunquam sic, ut in Græcia, viguerunt.

Ad alios pervenisse] qua de causa, lib. de Orat. primo, *Athenas omnium doctrinarum inventrices appellat*: in iisque summam dicendi vim & inventam esse & perfectam. Græciam autem omnis Philosophiæ parentem fuisse, cum multis aliis locis fatetur, tum etiam lib. Tuscul. 1.

His artibus adeptus] idem multis verbis testatur in Bruto: ubi se Romæ a Diodoto Stoico & Molone, Athenis postea ab Antiocho & Demetrio, in Asia item a multis sese institutum, tandem verò etiam Rhodi a Molone perpolitum scribit. Itaque in Orat. pro Flacco, *si quis unquam*, inquit, *de nostris hominibus a genere isto, studio ac voluntate, non abhorrens fuit*, (de Græcis loquitur) *me & esse arbitror, & magis etiam, cum plus erat otii, fuisse.*

Pag. 15. *Beatas Respub.*] libro de Rep. V: ubi sic Socrates loquitur: *Ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐπὶ ἑκάτερον, αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν οὐκ ἔτι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν.* Id est; Nisi vel Philosophi regnum in civitatibus obtineant, vel ii qui nunc Reges & Dynastæ appellantur verè & idoneè philosophentur; atque in idem civilis facultas & philosophia concurrant; & contra quam hoc tempore in utroque fit; ingenia multa necessariò diversa in studia distrahantur, nunquam malorum finis reperietur.

Haud scio an nemini] locus indicat, summos quosdam honores tributos Quincto a Græcis hominibus fuisse: sed obscurè quoque significatur, eos ab ipso appetitos.

Temporis causa] assentationis causa.

Pag. 16. *Consecratas*] & Græcis & Romanis mos fuit, illa propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, pietatem, virtutem, fidem colere, earumque laudum delubra habere. Ut ipse, libro de Leg. II. & de Natura Deorum II, testatur. Græci autem etiam certi hominis virtuti monimentum ponebant, idque consecrabant. Quin etiam festos dies, in proconsulum suorum honorem dicabant. Unde *Mutia*, *Marcellea*, *Verrea*.

Parentem Asiæ] qui, ut bonus parens suis potius liberis quàm commodis consulit: ita socios, quos tuæ fidei S.P.Q.R. commisit, diligas, omni ratione tueare, omnium utilitati salutique servias.

At-

Atque huic tuæ] sequitur pars cohortationis tertia: in qua, c
conciliandis cum publicanorum ordine sociis, præcipit: qu
summa in toto ipsius imperio difficultas erat. Suadet igitur, u
remoto imperio ac vi potestatis, & publicanos in officio cont
neat, & Græcis, ut moderatè publicanos ferre velint, grati
atque auctoritate persuadeat.

Difficultatem] nam inter socios & publicanos existunt grave
controversiæ: multæ nascuntur injuriæ; magnæ contentione
consequuntur. Nihil autem difficilius, quàm ea quæ commo-
dis & utilitate ac prope natura diversa sunt, voluntate conjun-
gere.

Optimè meritum] nonis enim Decembribus, quo die S. C. de plectendis conjuratis factum est, equites in clivo Capitolino, circa templum Concordiæ, cum armis fuerunt: ut Sallustius tradit in Catil. Suet. in Cæsare, noster in Sextiana, Philipp. II, & Orat. post reditum.

Cum Repub. conjunctum] nam in Orat. quam illo ipso die in senatu habuit, quæ est in Catilinam quarta, *quid ego*, inquit, *hic equites Romanos commemorem; qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore Reipub. certent; quos ex multorum dissensione ad hujus ordinis societatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiscum atque hæc causa conjungit.* Sic Plinius, lib. XXXIII: *M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo: ei senatum concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, & ejus vires peculiari popularitate quærens.* Vetus autem illa equitum cum senatu discordia, magnum partem, ex Semproniis & Corneliis legibus nata erat; quæ a senatu in equites judicia transtulerunt.

Eos perire] socios, a quibus Publicani impudenter exigunt.

Hæc una difficultas] hæc autem eo major est, quo majora in ea provincia quàm in cæteris vectigalia sunt. Nam in Maniliana, *Asia*, inquit, *tam opima est & fertilis*, ut & ubertate agrorum & varietate fructuum & magnitudine pastionis & multitudine earum rerum quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.

Præclarum magis] Difficilia tamen, quæ pulchra sunt. Neque vero quicquam difficilius, quam se & suos continere; præsertim in tam corruptrice provincia: sed in cohortando difficultas verbis extenuanda est.

In labore] imò vel hoc unum est laboriosissimum, *suos coercere.* Difficultatem igitur obscurat; ut superius, cum dixit, *nihil esse negotii continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas.*

Illa causa publicanorum] modicè dixit, pro *avaritia & repacitas.*

Portoriis Italiæ] *portorium* erat vectigal, quod in portu pro exportandis mercibus solvebatur. Unde, qui hoc vectigal publicani redimebant, *portitores* dicebantur. Italiæ autem portoria

Cæ-

Cæsar, ut ab Italis gratiam iniret, & viam sibi ad tyrannidem muniret, nuper sustulerat. Qua de re hic noster, II. ad Att. ep. XVI.

De Portorio] de pecunia illa solvenda.

Pag. 17. *Publicis male redemptis*] *publica* dicebantur, quæ eædem & vectigalia. Ea censores publicanis, constituta auctione, vendebant: qui sæpe cupiditate adducti nimio licitabantur. Suetonius in Julio: *Publicanos remissionem petentes tertia mercedum parte relevavit: ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit.* Ipse ad Att. lib. I: *Publicani Asiam, qui de Censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio, postulaverunt.*

Socios perire] publicanorum avaritia, qui præter debitum exigebant.

Vectigales]. quòd vectigalia pensitent.

Caunii] oppidum Caunos liberum, Plinius in Caria numerat, lib. V, cap. XXVIII. a quo Rhodum insulam non procul distare significat.

Retineri sine vectigalibus] unde illud in Maniliana, de publicanis: *Etenim si vectigalia nervos esse Reipub. semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè esse dicemus.*

In pactionibus faciendis] *pactionum* nomine quid significet, cognoscere ex Verrina V. possumus: in qua de toto hoc genere multa commemorantur. Pertinent autem hæc præcipuè ad *Decumas*: nam cum hoc vectigal, ex annorum ratione & frugum copia aut inopia, modò minus modò amplius esset, pacisci publicanos cum aratoribus oportebat. Unde illa sunt, in eadem orat. *Ne quis frumentum ex area tolleret, antequam cum Decumano pactus esset. Ne tollam potius quam paciscor. Nisi pactus eris, non commovebis.* Atque hoc quidem pactionis genus æquum semper fuit: sed illud, de quo sæpe in Verrinis, cum mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exigebant, minus honestum fuit. Quinetiam solebant interdum provinciales decumas ab ipsis Decumanis accipere, & pretium rependere, & sua voluntate aliquid lucri decumano dare; tantum puta, quantum facere, deductis operis & impendiis, potuissent, si Romæ aut alibi frumentum vendidissent.

Legem Censoriam] *legem* appellat, non quæ a populo aut plebe juberetur; sed conditiones, hoc est, capita earum rerum, quæ tum vectigalium redemptoribus concederentur, tum etiam ab illis exigerentur. Has conditiones censores primum abditis in consilium aliquot Senatoribus conscribebant; deinde promulgabant; ut qui ad auctionem accederent, & qui expectaturi a censoribus essent, & qui illis vicissim debituri, intelligerent: quæ om-

nia

nia ex Verrinis orationibus observavimus: ut ex illo septima: *Qui publicos agros arant, certum est quid ex lege Censoria dare debeant: cur iis quicquam præterea ex alio genere imperavisti?* Item in quinta: *Censoribus senatus permisit, ut vini & olei decumas Romæ venderent, legemque his rebus, quam ipsi videretur, edicerent. Cum locatio fieret, publicani postularunt, quasdam res, ut ad legem adderent: neque tamen a Censoriis cæteris legibus recederent.* Quibus ex verbis perspicuum est, legem censoriam & locationem, res esse disjunctissimas. Similiter autem, Verrina III, mentio fit legis censoriæ, qua sarta tecta erant vendita. *Rabonius*, inquit, *qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur*, &c. Sic in vetustis marmoribus, reperta lex est Puteolis, his verbis: *Lex parieti faciendo in area, &c. prædes dato, prædiáque subsignato duumvirum arbitratu* &c. Sic in Pandectis, sub tit. de verb. signif. caput hoc ex Alfeni libris refertur: *In lege Censoria portûs Siciliæ, ita scriptum erat: Servos, quos domo quis ducet suo usu, pro his portorium ne dato.*

Non legem spectare] perspicuum est agi de Asianis, & iis qui vectigalia pendebant: non autem de publicanis. Ergo sensus hic est: Possunt Asiani, cum pactiones unà cum publicanis facient, non quid lex Censoria restrictè & definitè præscripserit, spectare: fere enim leges Censoriæ, ut emptores alliciant, publicanorum potius quam sociorum commodis consulunt.

Pag. 18. *In publicanis dignitas*] quod paulò supra ex Maniliana exposui.

Debeamus] hoc etiam superius est expositum.

Eam necessitudinem] de qua aliquanto ante commemoravimus.

Societates] moris fuit publicanis, ut aliquam multi societatem inter se coirent, qui communiter vectigal aliquod conducerent, aut decumarum, aut portorii, aut pascuorum.

Prope natura] nam publicani ad se rapere; Græci contra tueri & conservare conantur.

Ac ea quidem] quarta cohortationis pars: in qua fratrem de iracundia & acerbitate naturæ castigat: eumque, ut se ad lenitatem animi patientiámque convertat, hortatur.

Cum exceptione laudari] festivè. Alludit enim ad exceptionum Prætoriarum formulas, in quibus scribi solet, *nisi si*, vel, *extra quam*. *Ergo cum exceptione laudari* dicitur, qui sic laudatur: *vir omni laude perfectus; nisi si iracundus*, aut *nisi si avarus esset*; vel *extra quam, si iracundus aut avarus non esset.*

Levis animi atque infirmi] Cujus rei rationem non facile quisquam concinnius Terentio aut elegantius expresserit. qui in Hecyra Parmenonem ita loquentem facit:

Non

Non maximas, quæ maximæ sunt interdum iræ, injurias
Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum de eadem causa est iracundus factus mitissimus.
Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iram gerunt?
Quapropter? Quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Epistolæ proprium] sic in epistola ad Curionem: *Epistolarum multa esse genera, non ignoras: sed unum illud certissimum, cujus causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra aut ipsorum interesset.*

Pag. 19. *Res ipsa ac fortuna*] Conjurationem sine dubio significat: cujus oppressæ laudem cum fratre communicat. *Ad eam igitur laudem, quæ sempiterna futura est, non gloriæ cupiditas nos, sed casus & fortuna deduxit.*

In nostra ætate] Unde illud Theognidis laudatur: Μή με δίδασκε, οὔτοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν. Et illud Diogenis: Νεκρὸν ἰατρεύειν καὶ γέροντα νουθετεῖν, ταυτόν ἐστι.

Nam illud] Non irasci, non commoveri animo.

Lentitudinis] sic Tusculan. IV, *Peripatetici*, inquit, *virum videri negant, qui irasci nesciat: eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant.*

Commodiorem] commodus, facilis, comis, mansuetus: cui contrarium est ἀκοινώνητος.

Pag. 20. *Habuit plurimum sermonis*] multorum sermone ac vituperatione reprehensus est.

Ac jam hoc] sequitur Epilogus: in quo eum γενικῶς ad laudem undique colligendam acuit; præsertim hoc postremo sui muneris anno: in quo, tanquam boni poetæ in actu extremo solent, elaborare, ita eum hortatur ut diligentiam summam adhibeat.

In mediocri statu sermonis] non summe & perfectè, sed mediocriter tantum laudarentur.

Versati sumus] quod fuit in rebus suis præclare gestis summum, id significat: oppressam videlicet Catilinæ conjurationem. *Nam* (ut ipse in 1 de Officiis scribit) *quæ res gesta est unquam in bello tanta? Quis triumphus conferendus?*

Vix videmur] ex quo intelligitur, quam verum illud sit Bruti: *Deteriorem esse cognitæ quam incognitæ virtutis conditionem.*

Theatrum totius Asiæ] ut superius: *Istam tuam virtutem non latere in tenebris, sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ provinciæ, atque in auribus omnium gentium esse positam.*

Pag. 21. *Significationes vocesque*] has, in primo Epistolarum ad Attic. ἐπισημασίας vocat. Et alludit ad consuetudinem ludorum theatralium, quibus applaudi solebat. Atque hac eadem significatione,

ficatione, isto verbo in Sextiana est usus. Nec dissimiliter ad Curionem scribens, ita loquitur: *Quod excelso & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum & sociorum & civium conspectu: quæ ad nos, nec obscuro nec vario sermone, sed & clarissima & una omnium voce perfertur.*

Tuis artibus] vetustè, pro *virtutibus.* Unde, in II. definib. *Sed lustremus animo,* inquit, *non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a majoribus judicabantur.* Et sic in secund. famil. *Si hoc statueris, quarum laudum gloriam admiraris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis esse elaborandum.*

Casus] Hæc non ad præsentis temporis rationem spectant: sed generatim ad eam laudem, quam uterque sperare ex bene gesta Repub. debebat. Tulit ergo casus, ut Marcus ex urbana administratione laudem adipisceretur; nam in urbe conjurationem oppressit: tulit idem, ut Quinctus possit ex provinciali administratione gloriam consequi. Quæ omnia nihil ad Marci provinciam, quam non casu, sed consilio deposuerat.

Verius judicium] nam *& sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio & sine invidia judicabunt*: ut in ea, pro Marcello.

Pag. 22. *Tanquam poeta boni*] hac eadem similitudine utitur, & in Catone majore & in ea pro Marcello & alibi.

Tanquam tertius actus] quinque in comœdiis sunt actus. Quare hoc dixit, non ad comœdias respiciens; sed quasi Quinctus fabulam ageret, quæ tribus tantum actibus constaret: singulos actus singulis annis attribuens.



Q. CICERONIS
DE
PETITIONE CONSULATUS
AD
M. TULLIUM FRATREM
LIBER.



Q. CICERONIS
DE
PETITIONE CONSULATUS,
AD
M. TULLIUM FRATREM.

§. 1. ETsi tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, [1] aut usu homines, aut diligentia possunt: [2] tamen amore nostro non sum arbitratus alienum, ad te perscribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti. non ut aliquid ex iis novi adjicerem: sed ut ea, quæ in re dispersa, atque infinita viderentur esse, ratione, & distributione sub uno adspectu ponerentur. [3] Quamquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere. Civitas quæ sit, co-

1. *Aut usu homines.*] Muretus autumat vocem *homines* temerè additam, & prius *consequi* παθητικῶς positum, lib. VII. Var. lect. cap. XI. restat tamen in mss. nostris. *Gruter.*

2. *Tamen amore nostro.*] Sic membranæ, non nostræ solùm sed Valerii Palermi. vulgati, *tamen ab am.* Idem.

3. *Quamquam igitur &c. vincere.*] Monuit Puteanus totam hanc periodum non inveniri in libro veteri, *Idem.*

cogita, quid petas, qui ſis. Propè quotidiè ad forum tibi deſcendenti [4] meditatum hoc ſit, *novus ſum conſulatum peto*, *Roma eſt*. Nominis novitatem dicendi gloria maximè ſublevabis. Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non poteſt, qui dignus habetur patronus conſularium, indignus conſulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hac laude proficiſceris, &, quicquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito, quaſi in ſingulis cauſis judicium de omni ingenio futurum ſit. Ejus facultatis adjumenta, quæ tibi ſcio eſſe ſepoſita, ut parata ac prompta ſint, cura; & ſæpe, quæ de Demoſthenis ſtudio & exercitatione ſcripſit Demetrius, recordare. Deinde & amicorum multitudo, & genera appareant: habes enim ea, [5] quæ novi habuerunt; omnes publicanos, totum ferè equeſtrem ordinem, [6] multa præterea municipia, multos abs te defenſos cujusque ordinis, aliquot collegia: præterea ſtudio dicendi conciliatos plurimos adulescentulos, quotidianam amicorum aſſiduitatem & frequentiam. Hæc cura ut teneas commendando, & rogando, & omni ratione efficiendo, ut intelligant, & qui debent tua cauſa, referendæ gratiæ; & qui volunt, obligandi tui tempus ſibi aliud nullum fore. Etiam hoc multum videtur adjuvare poſſe novum hominem, hominum nobilium voluntas, & maximè conſularium. Prodeſt quorum in locum ac numerum pervenire velis, ab his ipſis illo loco, ac numero dignum putari. Hi rogandi omnes ſunt diligenter,

4. *Meditatum hoc ſit.*] Ita Palermi editio, aliæ *meditandum*, quomodo & exemplaria ejus ſcripta, & noſtra. *Gruter.*

5. *Quæ novi habuerunt; omnes*] Sic Victorius. nam Lambinus *quæ novi non habuerunt.* contra mſſ. noſtros, qui tamen, *omnibus.* Muretus d. l. arbitratur *habuerunt* eſſe à gloſſa, & *novi* legendum priore ſyllaba longa, tanquam verbum præteritum. *Idem.*

6. *Multa præterea municipia.*] Cùm paullò poſt repetatur vox *præterea*, non abhorreo ab, *multa propria mun.* ut eſt in Pal. & M. *Gruter.* Forſan in alterutro latet *præterea.* Cæterum patet hinc, gravem labem inuſtam contextui Gruteri, ubi legis *mancipia*, certe invito ipſo; & inique ab eo imitando abſtinere debuerant ſequutæ editiones, quæ tamen bona fide retinent. *Gronov.*

ligenter, & ad eos [7] allegandum; persuadendumque est iis, nos semper cum optimatibus de republica sensisse, minimè populares fuisse. si quid locuti populariter, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompejum adjungeremus, ut eum, qui plurimùm posset, aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certè non adversarium. Præterea adolescentes nobiles elabora, ut habeas, vel ut teneas, studiosos tui quos habes. Multum dignitatis afferent. Plurimos habes: perfice ut sciant, quantum in his putes esse. [8] si adduxeris, ut ii, qui non nolunt, cupiant, plurimum proderunt.

§. 2. Ac multum etiam novitatem tuam adjuvat, quòd ejusmodi nobiles tecum petunt, ut nemo sit, qui audeat dicere, plus illis nobilitatem, quàm tibi virtutem prodesse oportere. [9] Jam P. Galbam, & L. Cassium, summo loco natos, quis est, qui petere consulatum putet? vides igitur amplissimis ex familiis homines, [10] quòd sine nervis sint, tibi pares non esse. At Antonius & Catilina molesti sunt. Immò [11] homini novo, industrio, innocenti, diserto, gratioso apud eos, qui res judicant, optandi competitores: ambo à pueritia sicarii, ambo libidinosi, ambo egentes. Eorum alterius bona proscripta vidimus, vocem denique audivimus jurantis, se Romæ judicio æquo cum homine Græco certare non posse: & ex senatu ejectum scimus. Optima vero censorum existimatione in prætura competitorem habuimus, amico Sa-

7. *Allegandum; persuadendumque est iis.*] Vox postrema, non est in Pal. neque admodum requiritur. *Gruter.*

8. *Si adduxeris, ut ii qui non nolunt, cupiant.*] Est à Palatino nostro, neque aliter eruit è suo Turnebus lib. xxv. cap. 3. Advers. vulgati, *Quod si adduxeris ut ii qui non volunt cupiant*, neque aliter Victorius. at posteriores, *Quod si add. ut ii qui nolunt, ut cupiant.* minus rectè; ii enim non nolunt, qui frigidè volunt. *Idem.*

9. *Jam P. Galbam &c.*] Muretus d. cap. putat legendum *Nam.* sed contra mss. cum tamen secutus Lamb. *Idem.*

10. *Quod sine nervis sint*] Est à nostris libris & Turnebi. publicati, *qui sine nervis sunt.* Idem.

11. *Homini novo, industrio &c.*] Malebat Claud. Puteanus, *navo.* Idem.

Sabidio, & Panthera, cùm ad tabulam quos poneret, non habebat. quo tamen in magistratu amicam, quam palàm domi haberet, [12] de machinis emit. In petitione autem consulatus [13] caupones omnes compilare per turpissimam legationem maluit, quàm adesse, & populo Romano supplicare. Alter verò, dii boni! quo splendore est? primùm nobilitate eadem: [14] num majore? non, sed virtute; quamobrem, quod inanius, umbram suam metuit: hic ne leges quidem, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in cæde civium: cujus primus ad rempublicam aditus in equitibus Romanis occidendis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, [15] qui tum Titiniorum, ac Nanniorum, ac Tanusiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam præfecerat, in quibus ille hominem optimum Q. Cæcilium, sororis suæ virum, equitem Romanum, nullarum partium, cùm semper natura, tum etiam ætate jam quietum, suis manibus occidit.

§. 3. Quid ego nunc dicam [16] petere eum consulatum,

12. *De machinis emit.*] Malè mediam vocem cupit mutatam Palermus, tuentem se omnium scriptorum auctoritate. *Grut.*

13. *Caupones omnes compilare.*] Editiones præcedentes interpositum habebant, *caup. o. hic compilare*: quæ syllaba non erat in mss. Pal. aut M. & vidit turbando loco esse Palermus. *Idem.*

14. *Num majore? non; sed virtute. quamobrem, quod inanius, umbram &c.*] Secutus sum fidem Palatini, corroboratam membranis Turnebi; neque divertebat M. nisi quod is *manius*. Victorii ceterorumque editio, heic vitiosissima est: Lambini verò licentiosissima: interim non displicet mihi conjecra Palermi, *num majore re? non. &c.* Puteanus totum locum sic legendum putabat: *Alter verò, Dii boni! quo splendore est? pr. nob. eadem, num majore virtute? non: sed audacia. quamobrem? quia C. Antonius umbram suam metuit. hic ne leges quidem; natus in patr. eg. educ. in sor. st. corroboratus in cæde civ. &c. Gallis, qui tum Caciliorum, ac Volumniorum ac Tantasiorum capita &c.* Ibid.

15. *Qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanusiorum capita.*] Revocavi scripturam Victorianæ editionis, præterquam quod loco *tantum* supposuerim *tum* jubente mss. Turnebi & nostris duobus, qui præterea nullo apice dissentiebant ab nominum horum scriptione. Lambinus conjecturas aliorum nobis obtruserat, non ineptas eas quidem, sed tamen conjecturas: tanquam nullos alios occidere potuisset Catilina, quàm nominatos ab Asconio. *Idem.*

16. *Petere eum consulatum.*] Ejeci *tecum* glossographi pannum, quod erat in edd. prioribus, volentibus authenticis nostris. *Idem.*

latum, qui hominem cariſſimum populo Romano M. Marium, inſpectante populo Romano,[17] vitibus per totam urbem ceciderit? ad buſtum egerit? ibi omni [18] cruciatu vivum lacerarit? ſtanti collum gladio ſua dextera ſecuerit, cùm ſiniſtra capillum ejus à vertice teneret? caput ſua manu tulerit, cùm inter digitos ejus rivi ſanguinis fluerent? qui poſtea cum hiſtrionibus, & cum gladiatoribus ita vixit, ut alteros libidinis, alteros facinoris adjutores haberet? qui nullum in locum tam ſanctum, ac tam religioſum acceſſit, in quo non, etſi in aliis culpa non eſſet, tamen ex ſua nequitia dedecoris ſuſpicionem relinqueret? qui ex curia Curios, & Annios, ab atriis [19] Sapalas, & Carvilios, ex equeſtri ordine [20] Pompilios, & Vertios ſibi amiciſſimos compararit? qui tantum habet audaciæ, tantum nequitiæ, tantum denique in libidine artis & efficacitatis, ut propè in parentum gremiis prætextatos liberos conſtuprarit? Quid ego nunc tibi de Africa, quid de teſtium dictis ſcribam? nota ſunt: & ea tu ſæpius legito. Sed tamen hoc mihi non prætermittendum videtur, quòd primùm ex eo judicio tam egens

17. *Vitibus per totam urbem.*] Non auſus fui excludere lectionem à Turnebo repertam in veteri ſuo, ſtabilitamque M. ac Pal. præcipuè cùm & aliorum exemplaria ſcripta præferrent *viribus.* vulgati *virgis*; ignoratione antiquitatis. *Grut.* Deteſtabili typorum corruptela, quam poſt Hamburgenſem retinuerunt ſequentes. Itaque hæc nunc ſaltem litura exſtet. Tractavit & Lipſius lib. v. Milit. Rom. cap. XVIII. *Gronov.*

18. *Cruciatu vivum lacerarit? ſtanti collum &c.*] Omnia benè haberent, niſi & noſtri diſcederent à vulgato. nam M. *cruciatu vivo lac.* at Pal. *cruc. lacer? vivo ſtanti &c.* videantur & aliæ lectiones apud Turnebum. Volateranus legit, *vivo ſtatim*: minus rectè. nam ſumma eſt in eo immanitas, quod ſic ſtanti caput amputat, non ſedenti, non in genua flexo. Puteanus legendum arbitrabatur *ſpiranti.* Grut. Palatini confirmant lectionem quam expreſſerunt olim Rob. Stephanus, Juntas & Hervagius. Et mirum contra eam diſputari ab Grutero, ex ea ratione, quam hodiè obſervari viderat. At cur non addit in ſcrobem demiſſo? Sed omne id nugatorium. Legebam: *omni cruciatu lacerarit? vivo etiam collum* &c. In eo eſt emphaſis ſævitiæ, quod laceratum omnibus modis prohibuit integrum mori; ſed tunc capite truncare inceperit, quum id etiamnum ſciret ac ſentiret. *Gronov.*

19. *Sapalas.*] Idem Puteanus reponebat *Scapulas* Gruter.

20. *Pompilios & Vettios*] Ita proximè liber Turnebi & Palatinus, nempe *Vectios.* in M. erat *Vutias.* vulgati, *& Gnaeos.* Idem.

egens discessit, quàm quidam judices ejus [21] ante illud judicium fuerunt: deinde tam invidiosus, ut aliud in eum judicium quotidie flagitetur. Hic se sic habet, ut magis timeat, etiam si quierit, quàm ut contemnat, si quid commoverit. Quanto melior tibi fortuna petitionis data est, quàm nuper homini novo C. Cœlio? ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat, ut tamen in iis omnia pluris essent, quàm ipsa nobilitas: summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligentia petendi. [22] Tamen eorum alterum Cœlius, etiam cùm multo esset inferior genere, superior nulla re, pænè superavit. Quare si facies ea, quæ tibi natura, & studia, quibus semper usus es, largiuntur, quæ temporis tui ratio desiderat, quæ potes, quæ debes; non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quàm vitiis nobiles. Quis enim reperiri potest tam improbus civis, qui velit uno suffragio duas in rempublicam sicas destringere?

§. 4. Quoniam quæ subsidia novitatis haberes, & habere posses, exposui: nunc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Consulatum petis: quo honore nemo est, [23] quin te dignum arbitretur: sed multi, qui invideant. Petis enim homo ex equestri loco summum locum civitatis; atque ita summum, ut forti viro, diserto, innocenti, multo ille idem honos plus amplitudinis, quàm ceteris afferat. Noli putare, eos, qui sunt eo honore usi, non videre, tu cùm idem

21. *Ante illud judicium fuerunt*] Vox *fuerunt* non est in Maur. & poterat tolli. *Gruter*

22. *Tamen eorum alterum Cælius*] Publicati interjecerant, cùm deesset *alter Cælius*, quorum verborum nihil est in Turnebianis, in Palat. in Maur. interpretis proculdubio fuit. sic & mox suspecta mihi admodum, *etiam cum multo esset*, tanquam glossæ. & vero illud *etiam* non apparet in mss. nostris aut Turnebi. *Idem.*

23. *Quin te dignum arb.*] Est à Turnebi ms. cui accedit Maur. & Pal. hactenus cusi, *qui te non dignum.* Idem.

Idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis. Eos verò, qui consularibus familiis nati locum majorum consecuti non sunt, [24] suspicor tibi, nisi qui admodum te amant, invidere. Etiam novos homines prætorios existimo, nisi qui [25] tuo beneficio vincti sunt, nolle abs te se honore superari. Jam in populo quam multi invidi sint, quàm multi consuetudine horum annorum ab hominibus novis alienati, venire tibi in mentem certò scio. esse etiam nonnullos tibi iratos ex iis caussis, quas egisti, necesse est. Jam illud tute circumspicito, quòd ad Cn. Pompeji gloriam augendam tanto studio te dedisti, num quos tibi putes ob [26] eam caussam esse amicos. Quamobrem cùm & summum locum civitatis petas; & videas esse studia, quæ tibi adversentur: adhibeas necesse est omnem rationem, & curam, & laborem, & diligentiam.

§. 5. Et petitio magistratuum divisa est in duarum rationum diligentiam: quarum altera in populari voluntate ponenda est. Amicorum studia beneficiis, & officiis, & vetustate, & facilitate, ac jucunditate naturæ parta esse oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latiùs patet, quàm in cetera vita. Quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus. Sed tamen, qui sunt amici ex caussa honestiore, cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicujus necessitudinis, his carum & jucundum esse maximè prodest. [27] Deinde ut quisque est

24. *Suspicor tibi, nisi qui adm. amant, invidere.*] Pal. *nisi si qui.* quomodo & classici sæpe locuti & iste noster porrò adsentior penè Lambino. detrahendum hinc *suspicor*, ceu spurium; at enim legendum, *tibi non invidere*, omnino negem. mox quoque deleri poterat *existimo*; ut omnia adhuc pendeant ab *putare* illo superiori. *Grater.*

25. *Tuo beneficio vincti.*] Maur. *juncti.* maxime *victi*, quod & Palermo in mentem venit. *Idem.*

26 *Eam caussam esse amicos*] Lambini editio *esse non amicos.* quomodo conjecerat Turnebus. sed sic nulli mss. itaque *amicos* interpretabimur locutione figuratâ. videatur Palermus. *Idem.*

27. *Deinde ut quisque intimus*] Sic non modò Turnebi ac Puteani codex,

 sed

est intimus, ac maximè domesticus, ut is amet, & quàm amplissimum esse te cupiat, valde elaborandum est: tum ut tribules, ut vicini, ut clientes, ut denique liberti, [28] postremò etiam servi tui: nam ferè omnis sermo ad forensem famam à domesticis emanat auctoribus. [29] Denique instituendi sunt cujusque generis amici: ad speciem, homines illustres honore ac nomine; qui etiam si suffragandi studia non navant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis: ad jus obtinendum, magistratus; ex quibus maximè consules, deinde tribuni plebis ad conficiendas centurias, homines excellenti gratia. [30] Qui abs te tribum, aut centuriam, aut aliquod beneficium, aut habeant, aut ut habeant sperent; eos prorsus magnopere & compara, & confirma. nam per hos annos homines ambitiosi vehementer [31] omni studio atque opere laborarunt, ut possent à tribulibus suis ea, quæ peterent, impetrare. Hos tu homines, [32] quibuscumque rationibus, ut ex animo, atque ex illa summa voluntate tui studiosi sint, elaborato. Quòd si satis grati homines essent, hæc omnia tibi parata esse debebant, sicut [33] parata esse confido: nam hoc biennio quattuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obli-

sed & Palatinus; ut omittam eos, quos laudat Lambinus. ineptè antea, *quisque optimus*. Grut.

28. *Postremo etiam servi tui.*] Ita emendare se autumat Muretus lib. VII. Var. lect. cap. 12. cùm tamen ita quoque inveniatur in Victoriana, aliisque edd. Legerat ipse, *servitus*. Idem.

29. *Denique instituendi sunt &c*] Secutus sum interpunctionem à Mureto proditam d. cap. 12. nam ex retrò vulgata, nulla extundi queat sanior sententia ceterùm admisi, *ad jus obtinendum*, persuasus à Gulielmio; tanto quidem facilius quod sic etiam extaret in Palatino; perplaceretque Turnebo; annotassentque nonnulli, id quoque hærere in libris suis pluteariis. *Idem.*

30. *Qui abs te tribum aut centuriam, aut aliquod.*] Sic rursus Pal. quomodo & Turnebi liber vetus. primitus impressi *qui tribuent centuriam, ut aliquod &c.* ubi Puteanus putabat delenda tria verba priora. *Idem.*

31. *Omni studio atque opere.*] Lambinus reposuit *opera* secutus, inquit, conjecturam Turnebi. at alterum æquè Latinum, licet non æquè usitatum. *Idem.*

32. *Quibuscunque rationibus ut ex animo.*] Addiderant librarii de suo, *rationibus tibi adjungere poteris; ut ex animo;* quæ abscidi auctoritate Maur. præsertim cum & Pal. & Victoriana non agnoscerent, *tibi adjungere*. Idem.

33. *Parata esse confido.*] Editi fere *concerno*, sed contra Turnebianum exemplar & Palatinum. *Idem.*

obligasti, M. Fundanii, Q. Galli, C. Cornelii, [34] C. Orcinini: horum in causis ad te deferundis quidnam eorum sodales tibi receperint & confirmarint, scio. nam interfui. Quare hoc tibi faciendum est, ut hoc tempore ab iis, quod debent, exigas sæpè commonendo, rogando, confirmando, curando: ut intelligant, nullum se umquam aliud tempus habituros referendæ gratiæ. profectò homines & spe reliquorum tuorum officiorum etiam recentibus beneficiis [35] ad studium navandum excitabuntur. Et omninò quoniam eo genere amicitiarum [36] petitio tua maximè munita est, quod causarum defensionibus adeptus es: fac ut planè iis omnibus, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum suum cuique munus sit & quemadmodum nemini illorum molestus nulla in re umquam fuisti; sic cura ut intelligant, omnia te, quæ ab illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reservasse.

§. 6. Sed quoniam tribus rebus homines maximè ad benevolentiam, atque ad hæc suffragandi studia ducuntur, beneficio, spe, adjunctione animi, vel voluntate: animadvertendum est, quemadmodum cuique horum generi sit inserviendum. Minimis beneficiis homines adducuntur, [37] ut satis causæ putent esse ad studium suffragationis: nedum ii, quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos, non intelligant, si hoc tuo tempore tibi non satisfecerint, se probatos nemini unquam fore. quod cùm ita sit, tamen rogandi sunt,

34. *C. Orcinini.*] Ita Turnebi liber, neque abibant nostri, nisi quod Pal. *Corchivii* M. vero *Chocivii*, vulgati *L. Corvini.* at *Orcinini* mentio est in Cluentiana, *Grut.*

35. *Ad studium navandum.*] Haud aliter Palat noster, ne putemur tantum tribuere uni Turnebiano. Vulgati *servandum.* Idem.

36 *Petitio munita est.*] Aliæ edd. *initiata est.* Muretus inde fingebat *innixa est*; sed primum servatur à mss. plerisque. *Idem.*

37. *Ut satis causa putent esse ad studium suffragationis.*] Istud concinnius multo quàm vulgatum, *putent te sibi ad studium suff. dedidisse.* cujus nihil exstat in mss. Turn. M. Palat. qui tres libri in proximè sequentibus ubique conspirant. quare quidquid nobis emendatum est, iisdem auctoribus factum esse, norit lector. *Idem.*

ſunt, atque etiam in hanc opinionem adducendi, ut, qui nobis adhuc obligati fuerint, iis viciſſim nos obligari poſſe videamur. Qui autem ſpe tenentur, quod genus hominum multo etiam eſt diligentius atque officioſius: iis fac ut propoſitum ac paratum auxilium tuum eſſe videatur: denique ut ſpectatorem te ſuorum officiorum eſſe intelligant diligentem: ut videre te planè atque animadvertere, quantum à quoque proficiſcatur, appareat. Tertium illud genus eſt ſtudiorum voluntarium, quod agendis gratiis, accommodandis ſermonibus ad eas rationes, propter quas quiſque ſtudioſus eſſe tui videbitur, ſignificanda erga illos pari voluntate, adducenda amicitia in ſpem familiaritatis & conſuetudinis confirmari oportebit. Atque in iis omnibus generibus judicato & perpendito, quantum quiſque poſſit; ut ſcias, & quemadmodum cuique inſervias, & quid à quoque exſpectes & poſtules. Sunt enim quidam homines in ſuis vicinitatibus & municipiis gratioſi; ſunt diligentes & copioſi; qui etiam ſi antea non ſtuduerunt huic gratiæ, tamen ex tempore elaborare ejus cauſa, cui debent aut volunt, facilè poſſunt. his hominum generibus ſic inſerviendum eſt, ut ipſi intelligant, te videre quid à quoque exſpectes, ſentire quid accipias, meminiſſe quid acceperis. Sunt autem alii, qui aut nihil poſſunt, aut etiam odio ſunt tribulibus ſuis: nec habent tantum animi aut facultatis, ut enitantur ex tempore. hos internoſcas videto; ne, ſpe in aliquo majore poſita, præſidii parum comparetur.

§. 7. Et quamquam partis & fundatis amicitiis fretum ac munitum eſſe oportet, tamen in ipſa petitione, amicitiæ permultæ, ac perutiles comparantur. nam in ceteris moleſtiis habet hoc tamen [38] petitio com-

38. *Petitio commodi, ut poſſit honeſtè.*] M. *noticio commodi potes hon.* Pal. *notitia commodi poteſt hon.* Iidem libri ſtatim habent *inimicitiam*, loco *amicitiam*. *Grut.*

commodi, ut possis honestè, quod in cetera vita non queas, quoscumque velis, adjungere ad amicitiam; quibuscum si alio tempore agas, [39] ut te utantur, absurdè facere videare: in petitione autem nisi id agas, & cum multis, & diligenter, [40] nullus petitor esse videare. Ego autem tibi hoc confirmo, esse neminem (nisi aliqua necessitudine competitorum alicui tuorum sit adjunctus) à quo non facilè, si contenderis, impetrare possis, ut suo beneficio promereatur, se ut ames, & sibi ut debeas: modò ut intelligat, te magni æstimare, ex animo agere, benè se ponere, fore ex eo non brevem & suffragatoriam, sed firmam & perpetuam amicitiam. Nemo erit, mihi crede, [41] in quo modò aliquid virtutis sit, qui hoc tempus sibi oblatum amicitiæ tecum constituendæ prætermittat: præsertim cùm tibi hoc casus afferat, ut ii tecum petant, quorum amicitia aut contemnenda, aut fugienda sit; & qui hoc, quod ego te hortor, [42] non modò non assequi, sed ne incipere quidem possint. Nam quid incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? mihi quidem stultius nihil videtur, quàm existimare eum studiosum tui, quem non noris. Eximiam quandam gloriam, & dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinem esse oportet in eo, quem homines ignoti, [43] nullis suffragantibus

39. *Ut te utantur.*] Triga hæc verborum non comparet in exemplaribus nostris, neque videtur necessaria. haud ausus tamen tollere, quod taceret heic Turnebus; & duobus testibus semper credi non debeat. *Grut.*

40. *Nullus petitor.*] Palatinus *nullius*, neque aliter fere fuisse videtur in M. & placet, ut subintelligatur *rei* aut simile quid, nisi malimus indicare eum qui parvi sit pretii. *Idem.*

41. *In quo modò aliquid sit virtutis.*] Pal. ac M. non habent vocem *virtutis*. & poterat abesse; quidquod & Lambinus prodit deletam in Turnebiano. *Idem.*

42. *Non modo non assequi.*] Negativum secundo loco positum non est in Pal. aut M. & per me licet. *Idem.*

43. *Nullis suffragantibus meritis*] Dictio *meritis* non est in nostris ut nec in Turnebi vetere. Pal. præterea tantum habet nulli. *Idem.*

gantibus meritis, honore afficiant. 44 ut quida
mo iners, sine officio, sine ingenio, cum inf
45 nullis amicis septus, hominem plurimorum st
atque omnium bona existimatione munitum pr
rat, sine magna culpa negligentiæ, fieri non pc
§. 8. Quamobrem omnes centurias multis &
amicitiis cura ut confirmatas habeas: & primùm
quod ante oculos est, senatores, equitesque R
nos, ceterorum ordinum navos homines & grat
complectere: multi homines urbani industrii, 1
libertini in foro gratiosi, navique versantur, quo
te, quos 46 per communes amicos poteris sumere
ra ut tui cupidi sint: elaborato, appetito, alleg
summo beneficio te affici ostendito. 47 deinde ha
rationem urbis totius, collegiorum omnium; p
rum, vicinitatum. ex iis principes ad amicitiam t
si adjunxeris, per eos reliquam multitudinem f
tenebis. postea totam Italiam fac ut in animo ac
moria tributim descriptam, comprehensamque hab
ne quod municipium, coloniam; præfecturam;
cum denique Italiæ ne quem esse patiare; in quo
habeas firmamenti quod satis esse possit. perquiras et
& investiges homines ex omni regione, eosque cog
scas, appetas, confirmes; cures ut in suis vicinit
bus tibi petant, & tua causa quasi candidati sint. \
lent te amicum, si suam à te amicitiam expeti vi
bu

44. *Ut quidem homo iners.*] Ita codex Turnebi, neque recedit Pal. aut M. quàm quod hic addat, *hominem quam iners*: ille, *homine quam iners.* ex quo Gulielmus legebat *ut quidem homo nequam, iners. &c.* rectissime. *Grut.*

45. *Nullis amicis septus.*] Verbum *septus*, non est in Palatino, aut duobus Lambinianis: & poterat expungi tanquam interpretis additamentum. *Idem.*

46. *Per communes amicos poteris sumere, cura &c.*] Pal. *poteris summa cura &c.* quomodo & editio Victorii. M. *poteris summa.* forte fuit: *poteris. S
ma; cura ut tui &c.* pro quo pass
In summa, vel, *Ad summam.* Gr
rus. Transpositio syllabæ *re* videtur
cuisse, quum Quintus scripserit *po
summe curare*, ut aliquoties frater M
cus. *Gronov.*

47. *Deinde habeto rationem urbis
tius, collegiorum &c.*] Sic chirogr
libri nostri, sic Turnebi. inepte pr
*habe Oratores urbis totius, collegium
ninm pagorum.* Id.

bunt. id ut intelligant, oratione, [48] quæ ad eam rationem pertinet, abundè consequere. Homines municipales, ac rusticani, si nomine nobis noti sunt, in amicitia se esse arbitrantur. [49] si verò etiam præsidii se aliquid sibi constituere putant, non amittunt occasionem promerendi. hos cæteri, & maximè tui competitores ne norunt quidem: tu & nosti, & facilè cognosces: sine quo amicitia esse non potest. neque id tamen satis est, tametsi magnum est, [50] si non consequatur spes utilitatis atque amicitiæ, ne nomenclator solùm, sed amicus etiam bonus esse videare. ita cùm & hos ipsos, propter suam ambitionem, qui apud tribules suos plurimùm gratia possunt, tui studiosos in centuriis habebis: & ceteros, qui apud aliquam partem tribulium propter municipii, [51] aut civitatis, aut collegii rationem valent, cupidos tui constitueris, in optima spe esse debebis. Jam equitum centuriæ multo faciliùs mihi diligentia posse teneri videntur. [52] primùm cognoscendi sunt equites; pauci enim sunt: deinde adipiscendi: multo enim faciliùs illa adolescentulorum ætas ad amicitiam adjungitur. deinde habebis tecum ex juventute optimum quemque, & studiosissimum

48. *Quà ad eam rationem pertinet, consequere.*] Quod est in Turnebi libro, reperitur & in nostris, *pertinet, habenda conseq.* videtur tamen librarii potius quam auctoris. *Grut.* Non ita temere & abrupte condemnandum pro vili, quod tot sæcula Ciceronis esse testantur. Quin levi remedio adhibito crede Tullianam manum esse, *pertinet, abunde consequere*, quod volentibus cum msstis restituere sustinui. *Gronov.*

49. *Si vero etiam præsidii se aliquid sibi constituere putant.*] Accedunt proxime ad hanc scripturam membranacei nostri, expressitque Victorius. malè recentiores, *sin vero etiam præsidii in se aliquid constitutum esse putant.* & quænam illæ sunt intemperiæ sic interpolandi auctorem notæ melioris? *Grut.*

50. *Si non consequatur spes.*] Est à Turnebi codice; recte dummodò dematur syllaba *con*, fide Palatini. sine ullo idoneo sensu retrò impressi, *sed ut consequatur.* Idem.

51. *Aut civitatis, aut collegii.*] Turnebus lib. xxv. cap. 3. malit *vicinitatis*, idemque adnotarat Puteanus. *Idem.*

52. *Primum cognoscendi sunt equites; pauci enim sunt: deinde adipiscendi.*] Retinui scripturam à Victorio publicatam. Lambinus excluserat, *pauci enim sunt*, quod tamen in nostris & Turnebi veteribus; qui interim in ceteris discrepant. nam Turn. habet: *Primùm cognoscis equites, pauci enim sunt, deinde adepti* Pal. *Primum cognosci equites. pauci enim sunt: deinde appeti.* neque aliter M. nisi quod is, *apeti.* Idem.

ſimum humanitatis. [53] tum autem quòd equeſter ordo tuus eſt, ſequentur illi auctoritatem ordinis, ſi abs te adhibebitur ea diligentia, [54] ut non ordinis ſolùm voluntate, ſed etiam ſingulorum amicitiis eas centurias confirmatas habeas. Jam ſtudia adoleſcentulorum in ſuffragando, in obeundo, in nuntiando, in aſſectando mirificè & magna, & honeſta ſunt.

§. 9. Et quoniam aſſectationis mentio facta eſt, id quoque curandum eſt, ut quotidiana cujuſque generis, & ordinis, & ætatis utare. nam ex ea ipſa copia conjectura fieri poterit, quantum ſis in ipſo campo virium ac facultatis habiturus. Hujus autem rei tres partes ſunt. una ſalutatorum, quum domum veniunt: altera deductorum: tertia aſſectatorum. In ſalutatoribus, qui magis vulgares ſunt, & hac conſuetudine, quæ nunc eſt, plures veniunt, hoc efficiendum eſt, ut hoc ipſum minimum officium eorum, tibi gratiſſimum eſſe videatur. Qui domum tuam venient, iis ſignificato, te animadvertere, & eorum amicis, qui illis renuntient, oſtendito, ſæpe ipſis dicito. ſic homines ſæpe, quum obeunt plures competitores, & vident unum eſſe aliquem, qui hæc officia maximè animadvertat, ei ſe dedunt, deſerunt ceteros, minutatim ex communibus proprii, ex fucoſis firmi ſuffragatores evadunt. Jam illud teneto diligenter, ſi eum, qui tibi promiſerit, [55] fucum (ut dicitur) facere audieris, aut ſenſeris; ut te id audiſſe, aut ſcire diſſimules: ſi quis tibi ſe purgare volet, quod ſuſpectum eſſe arbitretur, affirmes te de illius voluntate numquam dubitaſſe, nec debere dubitare. is enim, qui ſe non pu-

53. *Tum autem quod equeſter ordo tuus eſt, ſequentur illi auctoritatem ordinis.*] Sic fere reſtituendum putabat Sebaſt. Corradus: neque aliter omnino Pal. Maur. Turn. Supra quoque in locum ſuum reduximus periodum integram petulanter nimis trajectam à Lambino, contra codices authenticos, at hoc loco editio Victorii mendoſiſſima eſt. *Grut.*

54 *Ut non ordinis ſolum voluntate &c.*] Puteanus delet. *ſolum voluntate.* Idem.

55 *Fucum facere audieris.*] Editi interponunt; *facere velle aud.* Sed contra Maur. ac Pal. *Idem.*

putat ſatisfacere, amicus eſſe nullo modo poteſt. Scire autem oportet, quo quiſque animo ſit, ut & quantum cuique confidas, conſtituere poſſis. Jam deductorum officium, quo majus eſt, quàm ſalutatorum, hoc gratius tibi eſſe ſignificato, atque oſtendito, &, quoad ejus fieri poterit, certis temporibus deſcendito. magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia. Tertia eſt ex hoc genere aſſidua aſſectatorum copia. in ea quos voluntarios habebis, cura, ut intelligant, te ſibi in perpetuum ſummo beneficio obligari. qui autem tibi debent, ab iis planè hoc munus exige: qui per ætatem ac negotium poterunt, ipſi tecum ut aſſidui ſint. [56] qui ipſi ſectari non poterunt, neceſſarios ſuos in hoc munere conſtituant. valde ego te volo, & ad rem pertinere arbitror, ſemper cum multitudine eſſe. præterea magnam affert laudem, & ſummam dignitatem, ſi ii tecum erunt, qui à te defenſi, & qui per te ſervati, ac judiciis liberati ſunt. [57] Hæc tu planè ab iis poſtulato, ut quoniam nulla impenſa per te [58] alii rem, alii honeſtatem, alii ſalutem ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud ullum tempus futurum ſit, ubi tibi referre gratiam poſſint, hoc te officio remunerent.

§. 10. Et quoniam in amicorum ſtudiis, hæc omnis ratio verſatur: qui locus in hoc genere cavendus ſit, prætermittendum non videtur. Fraudis atque inſidiarum, & perfidiæ plena ſunt omnia. non eſt hujus temporis perpetua illa de hoc genere diſputatio, quibus rebus benevolus, & ſimulator dijudicari poſſit. [59] tantum eſt hujus temporis admonere. Summa tua vir-

56. *Qui ipſi ſectari.*] Ita noſtri: editi amplius, *qui ſi ipſi adſectari.* Grut.

57. *Hoc tu plane ab illis* &c.] Egregie Puteanus, *Heic tu plane.* Idem.

58. *Alii rem, alii honeſtatem.*] Sic ſcribendum fuit ex Puteani libro, item Turneb. ac Palat. ad quam lectionem acceſſit quoque utcumque Muretus lib. VII. cap. 13. niſi quod non repetat vocem *alii.* Grut.

59. *Tantum eſt hujus temporis admonere.*] Illa *hujus temporis*, videntur magiſtelli alicujus, non Tullii. *Idem.*

virtus eosdem homines & simulare tibi se esse amicos, & invidere coëgit. Quamobrem Ἐπιχάρμειον illud teneto, nervos atque artus esse sapientiæ non temere credere. Et cùm tuorum amicorum studia constitueris, tum etiam obtrectatorum, atque adversariorum rationes, & genera cognoscito. [60] Hæc tria sunt: unum ex iis, quos læsisti: alterum, qui sine causa non amant: tertium, qui competitorum valde amici sunt. Quos læsisti, cùm contra eos pro amico diceres, his te planè purgato: necessitudines commemorato: in spem adducito; te in eorum rebus, si se in amicitiam contulerint, pari studio, atque [61] officio futurum: spondeto. Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significando [62] tua erga illos studia futura, delinito, dans operam, ut de illa animi pravitate deducas. Quorum voluntas erit abs te propter competitorum amicitias alienior, his quoque eadem inservi oratione, qua superioribus: &, si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos benevolo esse animo ostendito.

§. 11. Quoniam de amicitiis constituendis satis dictum est, dicendum de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione versatur. Ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem in republica. Primùm id, quod facis, ut homines noris, significa, ut appareat: & auge, ut quotidie melius fiat. nihil mihi tam populare, neque tam gratum videtur. Deinde id, quod natura non habes, induc in animum ita simulandum esse, ut natura

60. *Hæc tria sunt: unum ex iis, quos læsisti*] Amplector quod est in Pal. *unum, quos læsisti*. Maur. adhuc aberat vox *unum*. Grut.

61. *Officio futurum: spondeto.*] Vox ultima non est in libro Puteani, Turnebi, aut Palatino nostro; neque desideraverim. *Idem*.

62. *Tua erga illos studia, dato operam.*] Transcripsi quod erat in exemplari Turnebiano, tanto quidem confidentius, quod ei accederet Puteani codex, & librorum nostrorum biga, nisi quod ipsa, *tuo studio*. vulgati immiscent, *studia futura, delinito, dans operam &c.* Idem.

tura facere videare. [63] nam comitas tibi non deest, ea, quæ bono ac suavi homine digna est. sed opus est magnopere blanditia: quæ etiam si vitiosa est, & turpis in cetera vita, tamen in petitione est necessaria. tunc enim cùm deteriorem aliquem assentando facit, improba est: cùm amiciorem, non tam vituperanda. petitori verò necessaria est, cujus & frons, & vultus, & sermo ad eorum, quoscumque convenerit, sensum, & voluntatem [64] commutandus est. Jam assiduitatis nullum est præceptum: verbumque ipsum docet, quæ res sit. prodest quidem vehementer [65] nusquam deesse: sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solùm esse Romæ, atque in foro, sed assiduè petere, sæpe eosdem appellare: non committere, ut quisquam [66] possit dicere, quod ejus sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, & valde ac diligenter rogatum. Benignitas autem latè patet: & est in re familiari; quæ quamquam ad multitudinem pervenire non potest, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata est: est in conviviis; [67] quæ facito & abs te, & ab amicis tuis concelebrentur & passim, & tributim: est etiam in opera; quam pervulga & communica: curaque, ut aditus ad te diurni, nocturnique pateant, ne-

63. *Nam comitas tibi non deest ea, quæ &c.*] Ita nullo apice minus Turn. Pal. Maur. quare ejeci publicatum illud hactenus: *Non committas tibi necesse est, qua b. ac s. homi. digna sunt.* quo nihilo melius Lambiniana editio: *non comitas tibi, nec ea qua &c. sunt.* undenam? Puteanus putabat sic locum totum legendum: *ut natura facere videare. Quamquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere. nam comitas tibi non deest ea qua bona ac suavi &c.* Grut.

64. *Commutandus est.*] Pal. & Maur. interponunt, *commutandus & accommodandus est.* Forsan rectè *Idem.*

65. *Nusquam deesse.*] Eædem membranæ, *nusquam discedere*, nequè admodum displicet. *Idem.*

66. *Possit dicere quod ejus sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum &c.*] Intricata lectio; juvabunt forsan libri nostri. Pal. enim, *p. dicere Quoad ejus consequi possis, si abs te non sit rogatum.* neque aliter M. nisi quod is, *quod* loco *quoad.* Lambinus publicavit, *p. dicere, quod ejus sit, consequi possis, se abs te non esse rogatum.* Palermus adnotavit, libros scriptos destitui negatione *non*; quibus contradicunt nostri. *Idem.*

67. *Quæ facito & abs te &c.*] Pal. & M. *facete abs te.* Victorius edidit, *quæ facere te oportet & amicis tuis.* minus rectè. *Grut.* Patet mstos velle *fac. & abs te.* Gronov.

neque foribus solùm ædium tuarum, sed etiam vultu ac fronte, quæ est animi janua. quæ si significant voluntatem abditam esse ac retrusam, parvi refert patere ostium. homines enim non modò promitti sibi, præsertim quæ à candidato petant, sed etiam [68] largè atque honorificè promitti volunt. quare hoc quidem facile præceptum est, ut, quod acturus sis, id significes te studiosè ac libenter esse facturum. illud difficilius, & magis ad tempus; quàm ad naturam accommodatum tuam: quod facere non possis, [69] ut id aut jucundè promittas, aut ingenuè neges. quorum alterum est boni viri, alterum boni petitoris.

§. 12. Nam cùm id petitur, quòd honestè, aut sine detrimento nostro promittere non possumus (quo modo si qui roget, ut [70] contra amicum aliquem causam recipiamus) bellè negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstres quam molestè feras, aliis te id rebus [71] exsarturum esse persuadeas. Audivi hoc dicere quendam de quibusdam oratoribus, ad quos causam suam detulisset, gratiorem sibi orationem fuisse, qui negasset, quàm illius, qui recepisset. sic homines fronte & oratione magis, quàm ipso beneficio reque capiuntur. Verùm hoc probabile est: illud alterum subdurum tibi [72]. homini Platonico suadere: sed

68. *Largè atque honorificè.*] Pal. & M. *longè*. quod esset non nutu aut verbo uno alterove, sed prolixa verborum serie. an ei scripturæ acquiescendum sit, nescio. *Gruter*. Imo istud *longe* est ipsum *large*, si sententiam Tulliorum & usum respicis. Sic frater in oratore cap. 41. *Hæc dixi brevius, quam si de hac una re disputarem (est enim hic locus late patens de natura usuque verborum) longius autem, quam instituta ratio postulabat*. Ita in multis aliis constructionibus passim obviis. Sed etiam Rob. Stephanus apud Victorium, & Juntas ediderunt *non modo prompte sibi*. Gronov.

69. *Ut id aut jucundè promittas, aut ingenuè neges.*] Manavit ab Lambini conjectura, nam veteres editiones, *ut id jucundè neges* omissis ceteris. Palatinus accedit membranis Turnebi, *ut id aut jucundè neges*; quod ipse mutat, in, *haud jucundè*. Maur. habuit, *ut id jucundè ingenuè neges*. Gruter.

70. *Contra amicum aliquem causam.*] Est à nostris libris. hactenus enim cusi, *aliquam*. Idem.

71. *Exsarturum esse.*] Est à Lambino, probatque Muretus. nam lectio recepta *exacturum*. non displicet tamen Turnebiani codicis *exaucturum*, quam & exhibet Palatinus. *Gruter*. Ea scriptura ostentat ipsum *exausturum*, pro *exhausturum*, ut dixit Marcus *exhaurire mandata* in epistolis ad Atticum *Gron*.

72. *Homini Platonico suadere.*] Est ab editione Victorii, neque aliter Palat. aut

ſed tamen tempori tuo conſulam. quibus enim te propter aliquod officium neceſſitudinis affuturum negaris, tamen ii poſſunt abs te placati æquique diſcedere. quibus autem idcircò negaris, quòd te impeditum eſſe dixeris aut amicorum negotiis, aut gravioribus cauſis, antè ſuſceptis; inimici diſcedunt: omneſque hoc animo ſunt, ut ſibi te mentiri malint, quàm negare. C. Cotta in ambitione artifex dicere ſolebat, ſe operam ſuam, quoad non contra officium rogaretur, polliceri ſolere omnibus, impertire iis, apud quos optimè poni arbitraretur: ideò ſe nemini negare, quòd ſæpè accideret, [73] ut is, cui pollicitus eſſet, non uteretur: ſæpè ut ipſe magis eſſet vacuus, quàm putaſſet: neque poſſe domum ejus compleri, qui tantum modò reciperet, quantum videret ſe obire poſſe: caſu fieri, ut agantur ea, quæ non putaris; illa, quæ credideris in manibus eſſe, ut aliqua de cauſa non agantur: deinde eſſe extremum, ut iraſcatur is, cui mendacium dixeris. id ſi promittas, & incertum eſt, & in diem, & in paucioribus. [74] ſin autem id neges, & certè abalienes, & ſtatim, & plures: plures enim multo ſunt qui rogant, ut uti liceat opera alterius, quàm qui utantur. Quare ſatius eſt, ex iis aliquos aliquando tibi in foro iraſci, quàm omnes continuò domi: præſertim cùm multò magis iraſcantur ei, qui neget, quàm ei, quem videant juſta cauſa impeditum; ut facere, quod promiſit, cupiat, ſi ullo modo poſſit. Ac ne videar aberraſſe, à diſtributione mea, qui hæc in hac populari parte petitionis diſputem; hoc ſequor; hæc omnia non tam ad amicorum ſtudia, quàm ad

aut M. aliæ; *homini planè perito*, minus rectè. Puteani mſ. habebat item illud *Platonico*, idemque non agnoſcebat *Illud*, quod & abeſſe poterat. *Gruter.*

73. *Ut is qui &c. quàm putaret.*] Legit Puteanus ex vet. libro, *cur is qui &c. quàm putaſſet.* Idem.

74. *Sin autem id neges, certè alienes & ſtatim &c.*] Idem Puteanus monuit reſcribendum, *ſin autem neges, abs te alienes &c.* Grut.

ad popularem famam pertinere. [75] etsi enim inest aliquid ductum ex illo genere, benignè respondere, studiosè inservire negotiis, ac periculis amicorum: tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere possis, ut de nocte domus compleatur; ut multi spe tui præsidii teneantur, ut amiciores abs te discedant, quàm accesserint, ut quam plurimorum aures optimo sermone compleantur. Sequitur, ut de rumore dicendum sit: cui maximè serviendum est. sed quæ dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem valent, dicendi laus, studia publicanorum, & equestris ordinis, hominum nobilium voluntas, adolescentulorum frequentia, eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipiis multitudo eorum, quos tua causa venisse appareat: [76] bene ut homines nosse, comiter appellare, assiduè ac diligenter petere, benignum ac liberalem esse, loquantur & existiment; domus ut multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adsit, satisfiat oratione omnibus; re, operaque multis: perficiatur id, quod fieri potest labore, & arte, ac diligentia; non ut ad populum ab iis omnibus fama perveniat, sed ut in his studiis populus ipse versetur. Jam urbanam illam multitudinem, & eorum studia, qui conciones tenent, [77] quæ adeptus es in Pompejo ornando, Manilii causa recipienda, Cornelio defendendo, excitanda nobis sunt: quæ adhuc habuit nemo, quin idem splendorem omnium, voluntatesque haberet. Efficiendum etiam illud, ut sciant omnes, Cn. Pompeji summam erga te esse volunta-

75. *Etsi enim inest aliquid ductum ex illo genere.*] Pal. ac M. non agnoscunt *enim*, aut *ductum*. Grut.

76. *Bene ut homines nosse &c. benignum ac liberalem esse, loquantur & existiment.*] Reduxi quatuor autographorum scripturam, Turn. Put. Pal. Maur. editio publica, *bene homines nosse &c. benignum ac liberalem esse, bene loqui existimare.* Lambinus licenter nimis omnia permutavit. *Idem.*

77. *Quæ adeptus est.*] Maur. non admisit pronomen, *quæ*. in aliis consentit planè cum Palat. ac vulgatis, retenta specie solœcismi; circa quem miserè se cruciat Corradus. *Idem.*

luntatem, & vehementer ad illius rationes, te id assequi, quod petis, pertinere. Postremò tota petitio cura ut pompæ plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem, ac dignitatem, [78] ut, etiam si quid possit, nec competitoribus tuis exsistat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia. Atque etiam in hac petitione maximè videndum est, ut spes reipublicæ bona de te sit, & honesta opinio. nec tamen in petendo respublica capessenda est, neque in senatu, neque in concione: sed hæc tibi sunt retinenda; ut senatus te existimet ex eo, quòd ita vixeris, defensorem auctoritatis suæ fore: equites Romani, & viri boni, & locupletes, ex vita acta te studiosum otii ac rerum tranquillarum: multitudo, ex eo duntaxat, quòd oratione in concione ac judicio popularis fuisti, te à suis commodis alienum non futurum.

§. 14. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus [79] illis commonitionibus matutinis, [80] quod tibi quotidie ad forum descendenti meditandum esse dixeramus: Novus sum, consulatum peto. Tertium restat, Roma est, civitas ex nationum conventu constituta: in qua multæ insidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur: multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum malevolentia, multorum superbia, multorum odium ac molestia perferenda est. Video esse magni consilii, atque artis, in tot hominum cujusque modi vitiis, tantisque versantem

78. *Ut, etiam si quid possit, nec competitoribus &c.*] Scriptus noster uterque, *ut etiam, si qua poscit ne comp.* Guilielmius conjiciebat, *si cui possit è competitoribus*. Palermus, *ut etiam si qua possit, in competitoribus*. Gruter. Quam egregie universum & integerrimum exit ex mss. lectione? Nempe, *ut etiam, si qua possit, ne competitoribus tuis exsistat* &c. Gronov.

79. *Illis commonitionibus matutinis.*] Sic Corradus legit è suis; item Turnebus. antea vulgati, *commotionibus*, quod & in nostris duobus. Palermus maluisset *commentationibus*. Grut.

80. *Quod tibi quot. ad f. desc. med. esse dixeramus.*] Pal. & M. *quo*, quomodo & Victoriana aliæque. iidem nostri, *dixeram*. Idem.

tem vitare offenſionem, vitare fabulam, vitare inſidias; eſſe unum hominem accommodatum ad tantam morum, ac ſermonum, ac voluntatum varietatem. Quare etiam atque etiam perge tenere iſtam [81] viam, quam inſtituiſti: excelle dicendo: hoc & tenentur Romæ homines, & alliciuntur, & ab impediendo, ac lædendo repelluntur. Et quoniam in hoc vel maximè vitioſa eſt civitas, quòd, largitione interpoſita, virtutis, ac dignitatis oblivisci ſolet; in hoc fac ut te bene noris, id eſt, ut intelligas, eum eſſe te, qui judicii ac periculi metum maximum competitoribus afferre poſſis. Fac ut ſe abs te cuſtodiri, atque obſervari ſciant. cùm diligentiam tuam, cùm auctoritatem, vimque dicendi, tum profectò equeſtris ordinis [82] erga te ſtudium pertimeſcant. Atque hæc ita te volo illis proponere, non ut videare jam accuſationem meditari, ſed ut hoc terrore faciliùs hoc ipſum, quod agis, conſequare. & planè ſic contende omnibus nervis, ac facultatibus, ut adipiſcamur quod petimus. Video nulla eſſe comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquæ centuriæ renuntient ſuos, maximè neceſſarios. Quare ſi advigilamus pro rei dignitate, & ſi noſtros ad ſummum ſtudium benevolos excitamus; & ſi hominibus ſtudioſis gratioſiſque noſtri ſuum cuique [83] munus deſcribimus, & ſi competitoribus judicia proponimus; ſequeſtribus metum injicimus; diviſores ratione aliqua coercemus: perfici poteſt, ut largitio aut nulla fiat, aut nihil valeat. Hæc ſunt, quæ putavi non meliùs ſcire me, quàm te, ſed faciliùs his tuis occupationibus colligere unum in locum

81. *Viam quam instituisti.*] Forſan non deterius foret *institisti.* Grut.

82. *Erga te studium pertimescant.*] Sic malui cum codice Palatino; tanto quidem magis, quod ſic quoque ſervarent membranæ Turnebi. *Idem.*

83. *Munus describimus.*] Non rejicio; tantùm moneo legi in Palatino, *munus distribuimus.* Idem.

cum posse, & ad te perscripta mittere. [24] quæ tamen etsi ita scripta sunt, ut non ad omnes, qui honores petent, sed ad te propriè, & ad hanc tuam petitionem valeant: tamen tu si quid mutandum esse videbitur, aut omninò tollendum, aut si quid erit præteritum; velim hoc mihi dicas: volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

24. *Quæ tamen etsi ita scripta sunt.*] Hanc scripturam non moratus fui revocare, quum viderem eandem ab Rob. Stephano, Junta & Hervagio ante seculum adoptatam fuisse, aliis postea edentibus *quæ tamen ita scr.* Grutero autem *quæ tametsi ita*, fortasse typographorum quoque lapsu. *Gronov.*



IN
Q. CICERONIS
DE
PETITIONE CONSULATUS
AD
M. TULLIUM FRATREM
LIBRUM
VALERII PALERMI
VERONENSIS
COMMENTARIUS.



JO. BAPT. FOSCARENO JACOBI FOSCARENI EQUITIS ET D. MARCI PROCURATORIS F.

VALERIUS PALERMUS

S. P. D.



INSTITUERAM olim, ex quotidianis Scholæ obſervationibus, commentarium quendam conſcribere in *Q. Ciceronis de Petitione Conſulatus* libellum. De eoque eram cum *Aldo Mannuccio*, quo cum mihi vetus intercedit neceſſitudo, collocutus; cum ille, qui tanta cum laude ſemper litterarum ſtudioſis favit, quanta cum omnium admiratione litterarum ſtudia coluit, auctor mihi fuit, ut hunc ipſum jam inchoatum abſolverem, abſolutum expolirem atque ederem. Ego igitur, etſi aliud ab initio cogitaram, doctiſſimi hominis mihique amiciſſimi auctoritate permotus, & ſupremam manum operi addendam, & animum etiam ad editionem applicandum, ſi cui forte ea res uſui futura eſſet, cenſui. In ea autem cogitatione, cum il-

lud

Iud insuper (ut fit) cœpissem deliberare, cuinam potissimum laborem hunc meum, qualiscumque esset, dedicarem; cui & res ipsa per se, & magis etiam, ut a me missa, convenire videretur; sic demum statui; nulli hominum generi, hoc de petitione commentariolum, nostro tempore, accommodatius esse posse, quam Venetis. Neque omnibus tamen æque, sed nobilibus tantum, & reip. administrationem capessentibus. Apud quos, cum Romanæ libertatis dignitatisque imago cernitur non obscura, tum honores ipsi, ratioque honorum obtinendorum, non adeo est antiquæ dissimilis. Nam, vere ut loquamur, ubi tales tamque præclari magistratus urbani seu provinciales justis comitiis mandantur, quos operæ pretium sit, eo studio petere ac labore, quo petendos docet hic libellus, præter quam Venetiis? Ubi tantum nobilitati simul atque industriæ hominum tribuitur, quantum apud Venetos? Ubi gravioribus de rebus & sæpius disceptare & consilium capere opus est, quam in ipsa Venetorum Republica? Ubi crebriora eaque graviora exercentur judicia, in quibus liceat ingenii vires & eloquentiæ declarare, quam in ea urbe, quæ est multorum populorum portus, quæ columen Italici nominis, quæ Christianæ reip. decus & præsidium? Merito igitur apud quos summi mandantur honores, ab iis potissimum eorum adipiscendorum ratio perdiscenda pertractandaque est. Atque hæc est præcipua caussa, cur Veneto tibi, ac Veneta familia nobilissima orto, hoc esse dicandum opusculum censui. Sed hæc eadem cum aliis quam plurimis est communis: illa igitur tibi & mihi maxime propria; quod hoc, quicquid est operæ, quod in hoc ipso opusculo, tum explanando, tum a multis mendis, quibus, quasi tricis quibusdam, impeditum tenebatur, expediendo, præstiti, id eo potissimum tempore me præstitisse memini,

mini,

mini, cum, te apud nos studiorum gratia commorante, ego de superiore loco, hæc ipsa de petitione præcepta interpretabar. Qua quidem explicatione tu magnopere, (quantum ipse potui animadvertere) præter cæteros equales tuos, delectabaris: Ut non contentus iis, quæ ego disputando attulissem, alia quærere, de aliis dubitare frequenter soleres. Quare non temere utrique nostrum convenire credidi, ut, quæ ex ingenio nostro, cum tu aderas, explicationes essent depromptæ, eadem etiam absenti tibi dicatæ, in manus hominum pervenirent. Qui enim non probatum iri sperem librum hunc illi, nostris additis explanationibus, cui nudum ipsum per se satis jam placuisse cognorim? Aut cur non sit is libenter litterarum monumentis ea commendata tractaturus, quæ summa olim voluntate ex ore nostro profecta accipiebat? Accedit eo, ut, quemadmodum illius temporis memoriam tibi jucundam esse, de multis audio, sic perhonorificum mihi fore ducam, testimonium aliquod extare, vel meæ erga te paternæ benevolentiæ, vel tuæ erga me (ut ipse loqueris) observantiæ. Cum præsertim (quod mihi nullo modo contemnendum est) meis me civibus gratissimum in eo facturum sciam. Apud quos cum pater tuus, vir clarissimus atque optimus, Jacobus Foscarenus magnificentissima prætura functus sit, anno illo memorabili, cum, Italia fere tota fame laborante, summa prætoris vigilantia, integritate & liberalitate factum est, ut civitas nostra sola propemodum nullos famis morsus sentiret; tam alte defixa & in animis omnium impressa est insignis illa prætura, ut nemo non libentissime ejus memoriam usurpet, nemo non toto pectore amplectatur & exosculetur, quidquid ad tanti viri laudes renovandas, & gratam erga illum totamque ejus domum voluntatem animi declarandam pertineat. Quid est autem quod propius

ar-

lud insuper (ut fit) cœpissem deliberare [illegible] opti-
tissimum laborem hunc meum, qua[illegible] na effi-
dedicarem; cui & res ipsa per se, [illegible] impru-
a me missa, convenire videretur [illegible] rum dica-
nulli hominum generi, hoc d[illegible] quamquam
riolum, nostro tempore, a[illegible] pe & exem-
quam Venetis. Neque om[illegible] c potissimum
bilibus tantum, & reip. [illegible], quod, quæ
bus. Apud quos, cu[illegible] ntur, *ille ultro de-*
que imago cernitur [illegible] Veluti cum post præ-
ratioque honorum [illegible] maticæ oræ periculosissimo
quæ dissimilis. [illegible] us est. Vel cum ex ea nondum
tamque præcl[illegible] classis Imperator, qui Sebastiano Ve-
justis comit[illegible] *cui viro?* qui Sebastiano Venerio (inquam)
eo studio [illegible] *est* creatus. Vel cum deinde summo cum
bellus, [illegible] *in* Cretam, ut eam insulam dictator constitue-
simul [illegible] *missus* est. Vel demum, cum ob præstantissima
apu[illegible] *in Remp.* merita, D. Marci Procurator est factus. A-
di[illegible] *Itaque* post alia præclarissima munera, tibi magis quam
mihi nota, domi forisque honorificentissime accepit &
administravit. Restat igitur, id quod dixi, ut, quam-
quam magistrum tam excellentem, non petendorum
solum, sed & gerendorum magistratuum domi habes,
quem si eris imitatus, quod facturum te sperant om-
nes, aberrare numquam possis: hæc tamen Q. Cice-
ronis præcepta, quæ, vel ob ipsam antiquitatem, plu-
rimum habere debent auctoritatis, non contemnas.
Sed, quod jam consuesti, summo studio complecta-
re; eademque, quantum res patitur, tuæ personæ
accommodes. Quod, si tibi non licet in foro versa-
ri, aut dicendo conciones tenere, (neque enim omnia
possumus omnes;) at liceat saltem humaniora studia
colere; historias & veteres & recentes tractare, mul-
taque volumina tam Latine quam Etrusce scripta ver-
sare: ex quibus ingentem rerum colligas copiam; qui-
bus

…psum in omni vita meliorem, in consulendo … prudentiorem, & in sermone etiam quo… …uctiorem efficias; quo multis prodesse, …em concitare, & voluntates hominum …tis. Sic igitur facies. Et, cum de …bus cogitabis, illud præ omnibus …ore atque in animo habeto.

…e oportet, non favitoribus.
…favitorum, qui recte facit.

…ed hæc hactenus. Tu officium hoc nostrum ab optimo animo & tui studiosissimo profectum, hilari fronte ut accipias, & amorem mihi tuum, qua adhuc pietate fecisti, conserves, etiam atque etiam te rogo. Vale.

Veronæ, VI. *Kal. Octob.* ∞ D XXCIII.



lud insuper (ut fit) cœpissem deliberare, cuinam potissimum laborem hunc meum, qualiscumque esset, dedicarem; cui & res ipsa per se, & magis etiam, ut a me missa, convenire videretur; sic demum statui; nulli hominum generi, hoc de petitione commentariolum, nostro tempore, accommodatius esse posse, quam Venetis. Neque omnibus tamen æque, sed nobilibus tantum, & reip. administrationem capessentibus. Apud quos, cum Romanæ libertatis dignitatisque imago cernitur non obscura, tum honores ipsi, ratioque honorum obtinendorum, non adeo est antiquæ dissimilis. Nam, vere ut loquamur, ubi tales tamque præclari magistratus urbani seu provinciales justis comitiis mandantur, quos operæ pretium sit, eo studio petere ac labore, quo petendos docet hic libellus, præter quam Venetiis? Ubi tantum nobilitati simul atque industriæ hominum tribuitur, quantum apud Venetos? Ubi gravioribus de rebus & sæpius disceptare & consilium capere opus est, quam in ipsa Venetorum Republica? Ubi crebriora eaque graviora exercentur judicia, in quibus liceat ingenii vires & eloquentiæ declarare, quam in ea urbe, quæ est multorum populorum portus, quæ columen Italici nominis, quæ Christianæ reip. decus & præsidium? Merito igitur apud quos summi mandantur honores, ab iis potissimum eorum adipiscendorum ratio perdiscenda pertractandaque est. Atque hæc est præcipua caussa, cur Veneto tibi, ac Veneta familia nobilissima orto, hoc esse dicandum opusculum censui. Sed hæc eadem cum aliis quam plurimis est communis: illa igitur tibi & mihi maxime propria; quod hoc, quicquid est operæ, quod in hoc ipso opusculo, tum explanando, tum a multis mendis, quibus, quasi tricis quibusdam, impeditum tenebatur, expediendo, præstiti, id eo potissimum tempore me præstitisse memini;

mini, cum, te apud nos ſtudiorum gratia commorante, ego de ſuperiore loco, hæc ipſa de petitione præcepta interpretabar. Qua quidem explicatione tu magnopere, (quantum ipſe potui animadvertere) præter cæteros equales tuos, delectabaris: Ut non contentus iis, quæ ego diſputando attuliſſem, alia quærere, de aliis dubitare frequenter ſoleres. Quare non temere utrique noſtrum convenire credidi, ut, quæ ex ingenio noſtro, cum tu aderas, explicationes eſſent depromptæ, eadem etiam abſenti tibi dicatæ, in manus hominum pervenirent. Qui enim non probatum iri ſperem librum hunc illi, noſtris additis explanationibus, cui nudum ipſum per ſe ſatis jam placuiſſe cognorim? Aut cur non ſit is libenter litterarum monumentis ea commendata tractaturus, quæ ſumma olim voluntate ex ore noſtro profecta accipiebat? Accedit eo, ut, quemadmodum illius temporis memoriam tibi jucundam eſſe, de multis audio, ſic perhonorificum mihi fore ducam, teſtimonium aliquod extare, vel meæ erga te paternæ benevolentiæ, vel tuæ erga me (ut ipſe loqueris) obſervantiæ. Cum præſertim (quod mihi nullo modo contemnendum eſt) meis me civibus gratiſſimum in eo facturum ſciam. Apud quos cum pater tuus, vir clariſſimus atque optimus, Jacobus Foſcarenus magnificentiſſima prætura functus ſit, anno illo memorabili, cum, Italia fere tota fame laborante, ſumma prætoris vigilantia, integritate & liberalitate factum eſt, ut civitas noſtra ſola propemodum nullos famis morſus ſentiret; tam alte defixa & in animis omnium impreſſa eſt inſignis illa prætura, ut nemo non libentiſſime ejus memoriam uſurpet, nemo non toto pectore amplectatur & exoſculetur, quidquid ad tanti viri laudes renovandas, & gratam erga illum totamque ejus domum voluntatem animi declarandam pertineat. Quid eſt autem quod propius

ar-

attingere parentem optimum possit, quam filius optimus, animi simul & corporis paterni certissima effigies? Ob has igitur tot tantasque caussas, non imprudenter fecisse me, qui hunc tuo nomini librum dicarim, mihi facile persuadeo. Restat, ut, quamquam domi habes, unde discas; disciplinam nempe & exempla patris sapientissimi, qui unus, vel hoc potissimum scriptorum omnium præcepta superavit; quod, quæ alii multo sudore ambientes assequuntur, ille ultro delata, ac prope invitus accepit. Veluti cum post præturam Veronensem, Dalmaticæ oræ periculosissimo reip. tempore præpositus est. Vel cum ex ea nondum reversus, totius classis Imperator, qui Sebastiano Venerio, at cui viro? qui Sebastiano Venerio (inquam) succederet, est creatus. Vel cum deinde summo cum imperio in Cretam, ut eam insulam dictator constitueret, missus est. Vel demum, cum ob præstantissima in Remp. merita, D. Marci Procurator est factus. Aliaque post alia præclarissima munera, tibi magis quam mihi nota, domi forisque honorificentissime accepit & administravit. Restat igitur, id quod dixi, ut, quamquam magistrum tam excellentem, non petendorum solum, sed & gerendorum magistratuum domi habes, quem si eris imitatus, quod facturum te sperant omnes, aberrare numquam possis: hæc tamen Q. Ciceronis præcepta, quæ, vel ob ipsam antiquitatem, plurimum habere debent auctoritatis, non contemnas. Sed, quod jam consuesti, summo studio complectare; eademque, quantum res patitur, tuæ personæ accommodes. Quod, si tibi non licet in foro versari, aut dicendo conciones tenere, (neque enim omnia possumus omnes;) at liceat saltem humaniora studia colere; historias & veteres & recentes tractare, multaque volumina tam Latine quam Etrusce scripta versare: ex quibus ingentem rerum colligas copiam; quibus

bus te ipsum in omni vita meliorem, in consulendo agendoque prudentiorem, & in sermone etiam quotidiano instructiorem efficias; quo multis prodesse, bonam de te spem concitare, & voluntates hominum allicere facile possis. Sic igitur facies. Et, cum de petendis magistratibus cogitabis, illud præ omnibus præceptum Plauti in ore atque in animo habeto.

Virtute ambire oportet, non favitoribus.
Sat habet favitorum, qui recte facit.

Sed hæc hactenus. Tu officium hoc nostrum ab optimo animo & tui studiosissimo profectum, hilari fronte ut accipias, & amorem mihi tuum, qua adhuc pietate fecisti, conserves, etiam atque etiam te rogo. Vale.

Veronæ, VI. *Kal. Octob.* ∞ D XXCIII.



IN Q. CICERONIS DE PETITIONE CONSULATUS, AD M. TULLIUM FRATREM. LIBRUM VALERII PALERMI VERONENSIS COMMENTARIUS.



NTER ceteros libros, qui, a Latinis ſcriptoribus editi, ad manus noſtras pervenerunt, non poſtremum obtinere locum, commentarium de Petitione Conſulatus, *ſtatuendum eſt; ſive rem ſpectemus, ſive rationem Latini ſermonis Continet quippe præclaram διδασκαλίαν magiſtratuum adipiſcendorum, quæ omnibus, qui in civilibus muneribus verſaturi ſunt, magno uſui eſſe poſſit: &, quia de honore illo agit, qui omnium, qui Romæ mandarentur, erat maximus; multarum rerum, quæ ad Romanam hiſtoriam pertinent, notitiam affert non contemnendam. Eſt vero in primis Latine & eleganter ſcriptum, & in illo æquabili genere, quo præcepta traduntur, tam preſſe ſimul & plane, & tanto ordine adhibito, ut nihil purius, nihil dulcius legi poſſit. Cujus auctoritas eſſe apud nos non mediocris debet; vel propter tempora,*

pora, quibus est scriptum, cum ad summum fastigium Latina jam lingua pervenerat; vel propter ipsum scriptorem, qui, quod eloquentissimi hominis frater erat, nihil non perfectum & dignum domo Ciceronum videtur emissurus fuisse. Ac video esse etiam, qui putent, non a Quincto *sed a* Marco *hoc opusculum esse conscriptum, & in fratris gratiam,* Quincti *nomine divulgatum. Quorum opinio, ni fallor, divinatione potius quadam quam certa ratione nititur. Ideoque non est de eo magnopere altercandum. Mihi sane libet credere, hujus libelli scriptorem* Quinctum *fuisse: quem in doctrina percipienda, non solum multum studii a pueritia posuisse testatur* Marcus; *sed & eundem alias ut poëtam commendat, alias summis de rebus disputantem cum doctissimis viris inducit: ita tamen, ut non verear, quin a* Marco *fuerit perpurgatus & expolitus: de quo eum, in ipsius libri calce,* Quinctus *rogarat: atque ideo, quasi ex* Marci *officina profectus, ita accipiendus est. Sed sive hic sive ille sive uterque scripserit, parvi refert. Illud igitur satis; librum litterarum humaniorum studiosis perutilem fore: atque, ut magis sit, nostris lucubrationibus, quoad ejus fieri potest, perpurgabitur illustrabiturque. Sed interim pauca quædam, tum de scriptore ipso atque libelli inscriptione, tum de scriptionis genere & scribentis consilio, de more præfari consilium est.*

Quinctus *igitur* Cicero *frater fuit* M. Tullii Ciceronis, Quinctus *dictus ab ordine nascendi, quod quincto loco esset natus. Fuit disciplina Stoicus; ut in lib. de divinatione apparet. Fuit poëta, & Tragœdias scripsit; ut lib. 2. & 3. epist. ad ipsum. Romæ præturam adeptus est; & ex prætura in Asiam profectus, eam triennio administravit; ut lib. 1. epist. ad eum Fuit legatus Cæsaris in Gallia, & ipsius Ciceronis in Cilicia; ut in epist. fam. Uxorem habuit Pomponiam sororem Attici; ut Nepos in Attici vita Ex ea filium suscepit natura improbum; ut in ep. ad Att. Natura fuit valde ad iracundiam propensus; ut ep. 1. ad ipsum. Sta-*

tura autem parva: unde scomma Ciceronis in illum; de quo Macrobius, lib. 2. cap. 3. Saturnalium. In bello civili secutus est cum M. fratre Pompeium; ut ep. 12, lib. 2. ad Atticum. Occisus demum cum filio in proscriptione Triumvirali; ut Plutarch in vita Ciceronis. Quo tempore, quanta apparuerit alterius in alterum pietas amorque, lege apud Dionem, lib. 47.

De petitione consulatus *inscribitur; quia, qua ratione petendus sit M Ciceroni consulatus, ita ut obtineatur, docet: Consulatus autem, non cujusvis magistratus: nam hic maximus honor in rep. in eoque maxime laborandum.*

Spectat autem hoc præcipue Quinctus, *ut quidquid de eo dici possit, breviter & per capita quædam complectatur; ut sic petenti fratri labor minuatur. Nam quamquam hæc præcepta, aliqua ex parte, ad alios etiam qui honores petant, transferri possunt, tamen ad* Marcum *proprie, & ad ejus petitionem videntur pertinere; ut in fine libri dicitur.*

Genus dicendi in hoc libro est subtile & acutum; quali in docendo utendum esse dicunt oratores: In quo sit illustris brevitas, & sine magno ornatu, rectæ & acutæ sententiæ. Quincto autem subtilitatem orationis tribuit Cic. in 2. de orat.

Et, quoniam ad rerum intelligentiam, plurimum lucis afferre putatur divisio, capita quædam præcipua totius operis nunc proponam. In extremo autem libro, singula in suas partes distributa, diligentius in tabula describam. Dividitur igitur hoc opusculum in Caput, *ut sic loquar*, Corpus, *&* Pedes: *id est, in exordium, in ipsius rei tractationem, & conclusionem. Exordium illuc usque producitur:* civitas quæ sit *&c. Inde incipiunt præcepta de petitione. Clauditur opus illic;* Hæc sunt *&c. Sed de exordio & clausula, suis locis. Tractatus ipse distinguitur in personam, quæ petit; in rem, quæ petitur; in locum, ubi petitur: & in singulis fere hæc duo spectantur; impedimenta quæ obstent & rem difficiliorem faciant, & quæ subsidia adversus impedimenta, ut negotium facilius reddatur, sint paranda.*



Q. CICERONIS DE PETITIONE CONSULATUS AD M. TULLIUM FRATREM LIBER.

EXPLANATIO.



Um hic liber ſuaſionem quandam & conſilium contineat, quod velit Quinctus in petendo conſulatu Marcum ſequi, videtur in eo genere ſcriptus, quod συμβουλευτικὸν, a conſilio dando, appellant: atque ideo præcepta, quæ ad eam rem faciunt, diligenter ſunt obſervata. Principia in eo genere brevia eſſe debent; ut inquit Tullius in partitionibus; quod non ſupplex, ut ad judicem, venit orator, ſed hortator atque auctor. Hoc breve eſt. Proponere idem debet, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus ſit. Id ad amuſſim eſt factum. Tota denique oratio ſimplex & gravis, & ſententiis debet ornatior eſſe quam verbis. Neque hoc quidem quiſquam in hoc libello deſiderat. Præterea in ipſo principio, non ſolum quoad brevitatem, ſed quoad reliqua exordii propria munera, mire cum arte conſenſit ſcriptor. Si benevolentiam quæras, a M. Tullii perſona & ſua, ut unicuique videre licet, optime captat; ſi at-

tentionem, rei utilitas proposita eam per se parat: si docilitatem; quæ mox subsequetur, brevis divisio facillime comparabit.

Pag. 213. *Etsi tibi omnia.*] Initium a caussa, cur se ad scribendum contulerit, per anteoccupationem. Nam, cum suadere & dissuadere gravissimæ personæ sit, ut ait M. Tullius, in lib. 2. de orat. & qui consilium suum de maximis rebus apud alterum exponit, sapientiorem se videatur profiteri eo, apud quem exponit, ideo hæc prætexenda est excusatio: qua utitur ipse Marcus sæpe in epist. & præcipue Sulpicius ad Ciceronem, lib. 4. fam. *Quæ in præsentia mihi in mentem venerunt, decrevi brevi ad te perscribere: non quod ea te fugere existimem, sed quod forsitan, dolore impeditus, minus ea perspicias.*

Suppetunt] abunde adsunt. Cic. primo officiorum: *Ad largiendum suppetunt copiæ.*

Quæ consequi ingenio aut usu homines aut diligentia possunt] tria ponit, quibus homines periti rerum fiunt; & quorum præsidio nihil non bene possunt administrare: *Ingenium*, quod a natura habetur; *Usum*, qui est ab exercitatione; *Diligentiam*, qua utrumque perficitur. Quæ convenire videntur cum tribus illis, quæ ad inveniendum in dicendo oratori esse necessaria, dicebat M. Antonius, lib. 2. de orat. Acumen nimirum, artem & diligentiam: sic tamen, ut intelligamus pro arte, quæ in dicendi ratione certa est, hic substitutum esse usum, qui in civilibus muneribus, in quibus ars non est, vim artis habet.

Ingenio & usu] Cicero ep. 16, lib. 13: *Valet ingenio; habet usum, ingenium & diligentiam.* In orat. pro P. Quinctio: *Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi.* Ultimo loco ponitur diligentia. Nam, in 2. de orat. ea una virtute omnes virtutes reliquas contineri, & ipsum ingenium diligentia incitari dicit.

Consequi ingenio aut usu homines] M. Antonius Muretus, vir omni nostra laudatione major, τὸ *homines* ab omnibus antiquis libris abesse asserebat: ideoque ab indoctis inculcatum, & verbum consequi παθητικῶς positum esse arbitrabatur, in suis in Propertium scholiis. Nos, ut nonnulla ex hujusmodi verbis, aliqua in parte, aliquando, significatione passiva inveniri non negamus; ita in tribus codicibus scriptis, quos habemus, *homines* esse affirmamus: aures vero nostræ etiam id exigunt, quod sine eo nescio quid curtum sentiant.

Tamen ab amore nostro non sum arbitratus alienum] in libris scriptis, omissa præpositione *ab*, legitur, *tamen amore nostro*. Id etsi parvi refert, & utrumque Latine dicitur, tamen non est omnino negligendum, quod apud M. Ciceronem sine præpositione sæpissime *alienum* in hac significatione invenias; ut epist. 17. lib. 6. fam. *Facisque nihil alienum necessitudine nostra*: & 27. lib. 11; *Quidquam a me commissum, quod esset alienum nostra amicitia.*

Ad

Ad te perſcribere] male in nonnullis *præſcribere*. Legendum eſt enim *perſcribere*. ſic in fine: *Ad te perſcripta mittere.*

Non ut aliquid ex iis novi adjicerem] ad ea, quæ tibi ſuppetunt, adderem.

Sed ut ea quæ in re diſperſa atque infinita viderentur eſſe] ſuſpendenda eſt lectio ad illud *in re*; deinde addendum *diſperſa atque* &c. Diſperſa, quoad ordinem; infinita, ad numerum. Ad quæ reſpondent duo ſequentia; *Ratio* & *diſtributio*. Quæ enim infinita ſunt, ratione ad certum numerum rediguntur; quæ diſperſa, diſtributione ad ſuas quæque partes referuntur. Sic in prima agraria: *Quæ totius rei ratio atque deſcriptio. Ratione*, id eſt, arte invenientur quæcumque erunt potiſſimum in petitione obſervanda: *Diſtributione*, diſponentur eadem ad varia hominum genera, cum quibus erit agendum.

Sub uno adſpectu.] Ita breviter comprehenſa, ut uno adſpectu ea intueri poſſit: ut lib. 3. de legibus: *Quam brevi, frater, in conſpectu poſita eſt a te omnium magiſtratuum deſcriptio?* Et in fine hujus libelli iterum: *Putavi non melius ſcire me quam te, ſed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum poſſe.*

Quamquam plurimum natura valet] occurrit objectioni, quod nihil præcepta valeant, niſi adjuvante natura: Ut Quinct. lib. 1; *Hæc prima igitur*, inquit, *in omni re, quam agas, certe requiritur.* Nihil enim decet, invita (ut aiunt) Minerva; id eſt, adverſante & repugnante natura. Plurimum natura valet, ſi quis habeat a natura ea, quæ petitori bono conveniunt; præcipuè blanditiam & varium ingenium; quod ſit ad tantam morum, ſermonum ac voluntatum varietatem accommodatum; ut dicit infra.

Tamen videtur, in paucorum menſium negotio, poſſe ſimulatio naturam vincere] ſi quis hæc jam dicta natura non habeat; ut ipſemet Cicero: de quo infra. Quod natura non habes, induc in animum, ita ſimulandum eſſe, ut natura facere videare. Item, *illud difficilius, & magis ad tempus, quam ad naturam accommodatum tuam.*

In paucorum menſium] bene, *paucorum*. Nam ait Publius in mimis: *Ficta ad naturam cito redierint ſuam.* Et Seneca: *Nemo poteſt perſonam diu ferre.* de clem. cap. 1. Horatius etiam in epiſt. Naturam expellas furca; tamen uſque recurret.

Paucorum menſium] unius anni: ſed ſic loquitur δι᾽ ἐξουθενισμὸν, per extenuationem. Nam initium prenſandi facere ſe velle dixit, ad XVI. Kal. Sext. cum petiturus eſſet comitiis conſularibus ſequentis anni, quæ menſe Quinctili fere habebantur: epiſt. prima ad Att. ſic, *ad cogitationem conſulatus bimeſtris* dicitur, lib. 10. epiſt. fam. cum quinque menſium ſpatium eſſet.

Civitas quæ ſit.] Brevis & abſoluta diviſio, propoſitionem continens totius de petitione commentarii; nimirum, locum, rem, per-

personam; id est, qui, quid, & ubi petat. A quibus, ceu a tribus fontibus, manat quidquid de toto hoc genere traditurus est.

Pag. 214. *Prope quotidiè ad forum tibi descendenti*] eandem propositionem repetit & interpretatur; ut, quantam vim habeat, penitus intelligat. Quod enim dixit *cogita*, nunc dicit, quoties, quando & quantum; nempe quotidie, descendenti ad forum, meditatum sit. Quod dixit, *qui sis*; nunc, *novus sum*. Quid petas, consulatum. Civitas quæ sit, Roma est. Et observandum, non eodem ordine reddidisse hæc tria neque tractasse, quo proposuerat: quod fieri solere non semel animadvertimus: ut in lib. 1. de invent. *Considerandum est*, inquit, *an in ratione an in scripto sit controversia*. Mox de scripto prius quam de ratione agit. Et in lib. 2. Hic neque facile est neque necessarium distinguere. Primo loco, non necessarium, deinde non facile probat. Atque ipsemet Cicero in eodem lib. præceperat, ut prima quæque pars, prout exposita esset in partitione, sic ordine transigeretur. Sed hanc esse figuram usitatam, ut non eo ordine respondeamus, quo proposuerimus, notavit Servius in principio libri primi Æneid. Illa figura *ysteron proteron* dicitur; qua usus est ipse Cicero, in princip. orat. pro Quinctio.

Ad forum descendenti tibi] proprie. Nam habitavit Cicero in Palatio. Pub. Victor. *In regione decima*. Forum autem campus est inter Palatinum Capitolinumque collem, ut Livius, lib. 1. Ex hoc fluxit illud: *Descendere* ad accusandum: quod in foro judicia exercerentur. De hoc autem epist. 16. libri 1. ad Att. *Cum ad forum stipati gregibus* amicorum descendimus.

Meditatum] in patiendi significatione; quod frequens est apud M. Tullium. In scriptis codicibus legitur, *meditandum hoc sit*: & in finè etiam, ubi epilogo utitur; *Quotidie ad forum descendenti meditandum hoc esse dixeramus*.

Nominis novitatem] jam incipit præcepta tradere: & primum quidem, quod in eo impedimentum sit maximum, proponit, & quomodo ei occurrat; tum quibus rationibus eam rem faciliorem faciat. Quod igitur maxime obstabat Ciceroni, ipsa erat nominis novitas. Nam quemadmodum omnes boni semper nobilitati favent, tum quia utile est reipublicæ, nobiles homines esse dignos majoribus suis, tum quia valet clarorum hominum & bene de rep. meritorum memoria; etiam mortuorum; ut est in orat. pro P. Sextio, sic hominibus novis fere solebat invideri. Sallust. in Catilina, de M. Tullii petitione: Antea pleraque nobilitas invidia æstuabat, & quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Idem, in bello Jugur. *Consulatum nobilitas inter se per manus tradebat: novus nemo tam clarus neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore, & quasi pollutus haberetur*.

Dicendi gloria maxime] in orat. pro L. Murena: *Duæ sunt artes*,

tes, quæ possint locare homines in amplissimo gradu dignitatis; una Imperatoris, altera oratoris boni: per illam Marius, per hanc Cicero, uterque homo novus emersit. De Mario, Sallust. in Jugurt. De Cicerone, ipsemet in orat. pro Murena: *Cum ego tanto intervallo claustra ista nobilitatis refregissem.*

Semper ea res] Cicero in primo de orat. ad Q. Fratrem; *Eloquentia in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, præcipue semper floruit semperque dominata est.* Et in orat. ad M. Brutum: *In rep. nostra primas eloquentia tenuit semper, urbanis pacatisque rebus.* Sed faciunt ad hunc locum vel maxime verba ex orat. pro L. Murena: *Gravis etiam illa est & plena dignitatis dicendi facultas; quæ sæpe valuit in consule diligendo; posse consilio atque oratione, & senatus & populi & eorum, qui res judicant, mentes permovere.* Quæritur Consul, qui dicendo nonnumquam comprimat tribunitios furores; qui concitatum populum flectat; qui largitioni resistat. Non mirum si ob hanc facultatem, homines sæpe etiam non nobiles consulatum consecuti sunt: præsertim cum hæc eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat.

Non potest, qui dignus habetur] quoniam vult, ut persuasum habeat, omnem petitionis spem viribus eloquentiæ niti; ideo ad vim illius probandam, addit argumentum, quod ex conjugatis sumptum videtur; propter illas duas voces quæ sunt ejusdem generis, *consulatus* & *consularium*, qui dignus patronus est consularium, dignus etiam erit consulatu. Vel etiam a minori: Qui tuetur viros consulares, multo magis tuebitur consulatum.

Quamobrem, quoniam ab hac laude proficisceris &c. Quæcunque es assecutus, propter unam eloquentiam obtinuisti: in libr. de clar. orat. *Et prætor primus, & incredibili populari voluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in caussis & industriam, tum propter exquisitius & minime vulgare orationis genus, animos hominum ad me, dicendi novitate converterem.*

Quidquid es, ex hoc es] venusta iteratio: ut illa Marci epist. 11. lib. 2. *Quidquid erit, tibi erit.* In orat. pro Murena: *Præmia tibi tanta pro hac industria sunt data, quanta antea nemini.*

Ita paratus ad dicendum venito] primum præceptum, ut quantum maximum potest studium in agendis caussis ponat. In eoque tria facienda dicit. Timendum in singulis caussis. Habenda in promptu quæcumque ad ornandam eloquentiam olim sibi comparavit. Volvenda animo, quæ Demosthenes eloquentiæ caussa fecisse dicitur.

Quasi in singulis caussis] quasi agatur existimatio, quæ de tuo ingenio est. Non erat sane quidquam Ciceroni timendum, in quo quidquid esset, multo ante, ut ille in Bruto dicit, *esse perfectum & habere maturitatem quandam suam videbatur*: & erat jam aliquot annos, in plurimis caussis & in principibus patronis

 ver-

versatus. Sed metus providentiam docet: nimis confidens incautus est.

Judicium de ingenio] in primo de orat. *Quoties dicimus, toties de nobis judicatur.* Divinat. in Verrem: Ut nonnullum etiam de suo ingenio judicium fieri arbitretur.

Ejus facultatis] Oratoriæ artis.

Quæ tibi scio esse seposita] ex longo studio & exercitatione, quod ipse de se testatur, in Bruto, ad finem; & divinat. in Verrem.

Ut parata ac prompta] non satis est seponere hæc, quibus in dicendo utamur; eadem ipsa usu pertractata habeamus, oportet: &, ut in 2. de orat. *Genus earum rerum, quæ ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit.*

Et sæpe quæ de Demosthenis] æmulatio alit ingenia; ut Vellejus, lib. 1. In animo autem gloriæ cupido, qualis fuit Ciceronis, plurimum potest; atque illius hominis mentio præcipue; cujus vim, quæ fuit sine dubio summa, exprimendam sibi statuerat. De studio & industria Demosthenis, lib. 1. de orat. & Val. Max. lib. 8.

Demetrius] hic est Demetrius Phalereus; de quo lib. 2. de divinat. *Multi*, inquit, *naturæ vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt: ut Demosthenem, scribit Phalereus, cum Rho dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret.*

Deinde & amicorum multitudo] tribus rationibus putat sublevari posse novitatem nominis illius; eloquentia, amicorum multitudine, competitorum vitiis. De prima jam dictum. Nunc de amicorum studio. In hoc videndum, ut & plurimi & varii sint; id est, ex omni genere, ex omni ordine, ætate & gradu. Nec dicit, ut sint, sed ut appareant; non modo quia in petitione, qui vere sunt amici, tum sese ostendant, oportet, operam navando; sed etiam quia in ratione ambitus, plura ad speciem, quam ad veritatem comparantur. Infra iterum: *Multitudo eorum, quos tua caussa venisse appareat.*

Habes enim ea] ideo facile poterunt apparere, quoniam habes quæ desiderantur.

Quæ novi habuerunt] aliqua cum aliis communia; aliqua tua propria.

Omnes publicanos, totum fere ordinem equestrem] conjungit publicanos cum equitibus; quia nulli alii fuerunt publicani, quam equites Romani. Cicero pro Cn. Plancio. *Flos equitum Roman. ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur.* Erant autem publicanorum societates, quæ plurimum in rep. poterant. Cic. orat. pro Sextio: *Nulla erat Romæ societas vectigalium, nullum collegium aut concilium, quod tum non honorificentissimè decrevisset de mea salute.* Atque hos fautores fuisse Ciceroni, verisimile est: cum & ipse equestri loco esset ortus; ut ait

ait in prima agraria. Eosdem etiam favisse reliquis hominibus novis, nihil mirum. Nam equites fere novi erant homines: quippe qui donec equites essent, magistratus non caperent: ubi cepissent, equites esse desinerent, & senatores fierent. Nobilitas autem magistratibus curulibus gerendis tantum parabatur. Quæ omnia disertissime & copiosissime tractat Carolus Sigonius in aureis libris de jure civium Romanorum.

Quæ novi habuerunt] hoc loco, non ignoro, Lambinum negationem ante *habuerunt* inserere: scio etiam, Muretum expungere verbum *habuerunt*; & *novi* verbum esse existimare. Sed suum cuique, ut aiunt: ego a recepta scriptura non recedo; sententia præsertim non absurda.

Multa præterea municipia] homines ex municipiis, qui jus civitatis habebant, & ad comitia ventitabant. De his etiam infra.

Multos abs te defensos homines] in quorum studio tantum ponebat, ut iis præcipuè fretus, initium petendi fecerit; ut paulò post dicetur.

Aliquot collegia] opificum Artificumque conventus intelligit: qui, ut alii dicunt, a Numa; ut alii, a Servio Tullio instituti sunt. Erant in iis descripti cives, qui jus suffragii ferendi habebant: ut ex Ciceronis orationibus passim colligitur. De iis, idem numquam satis commendatus Sigonius. Multa præterea & Paulus Mannuccius, in quo nostra tempestate veteris eloquentiæ enituit imago, in suo in orationem pro P. Sextio Commentario. *Aliquot* cum dicit, potius quam *omnia*, innuit fuisse aliqua collegia honesta & probata; quæ optimus quisque amica habere rectè posset; aliqua minus probata, quibus carum esse, nulla esset laus: quæ aliquando legibus & Senat. cons. sublata sunt. Cic. orat. pro Sextio: *Ut collegia, non modo illa vetera, contra senat. cons. restituerentur; sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur.* Et Pedianus in Cornelianam.

Præterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos. Quales M. Crassus, M. Filius; item M. Cœlius. Plurimum autem valuisse in suffragando adolescentulorum studia, & in hoc libro sæpe dicetur, & innuitur etiam ep. 6. lib. 2. fam.

Quotidianam amicorum assiduitatem & frequentiam] Plutarch. in vita Ciceronis, singulis diebus non pauciores domum ad Ciceronem adiisse refert, quam qui ob divitias Crassum, ob militarem gloriam Pompejum salutabant. Qui duo tum omnium erant maximi, & summa in admiratione apud omnes habebantur.

Cura, ut teneas] dicit: quoniam jam habebat. Sic paullo post: *Adolescentes nobiles, elabora, ut habeas, vel ut teneas, quos habes.*

Qui debent tua caussa] quibus ipse benefeceris. *Qui volunt.* A superiori repete. *Tua caussa*, Id est, tui studiosi sunt; etiamsi nihil abs te habeant, nihil tibi debeant. Jam formæ illæ loquendi, *volo tua caussa, debeo tua caussa*, ita sunt frequentes, ut necesse

cesse non sit de his aliquem commonefacere. Meminerimus ta-men, quod docet Pedianus, locutionem non esse plenam; sed subaudiendum *facere*.

Tempus sibi aliud nullum] hæc eadem sententia bis infra repetitur.

Etiam hoc multum videtur adjuvare posse] immo longe plurimum: quia, ut supra ex Sallust. retulimus, nobilitas inter se quasi per manus, consulatum tradebat: & novos homines illo honore indignos putabat. Opponuntur enim novi nobilibus Cic. pro Mur. *Nec mihi umquam minus, in Q. Pomp. novo homine & fortissimo viro, virtutis esse visum est, quam in homine nobilissimo M. Æmilio.*

Nobilium voluntas] voluntatem pro favore posuit: ut Terent. in prologo Phorm. *Voluntas vestra si ad poetam accesserit.*

Maxime consularium] quorum major est dignitas, ut qui consulatum gesserint.

Prodest, quorum in locum ac numerum pervenire] ratio hæc vim habet generalis sententiæ; quippe omnibus convenire potest. Nemo enim in eum locum, quem ipse obtinuit, alium se indigniorem pervenire vult: ideoque quem ipse probat, huic quasi testimonium virtutis præbet. Quod valuit ad impellendum C. Octavium, ut hereditatem & nomen sibi a C. Cæsare relictum, adire non dubitaret, contra multorum sententiam; cum dictitaret, *nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semet ipsum videri indignum.* Vellejus lib. post. *Prodest* hoc loco impersonaliter, ut loquimur, positum est: quomodo apud hunc sæpius. Græci συμφέρει dicunt: id est, *confert.* Est vero elegans conduplicatio in repetitione illorum verborum, *locum*, *numerum*, *loco*, *numero.*

Hi rogandi omnes sunt diligenter a nobis, & ad eos allegandum] amici scilicet summittendi, qui pro nobis rogent. *Allegare* est pro privata caussa aliquem mittere: & pro publica *legare* dicimus. Cicero ep. 10, lib. 15. famil. *si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me præcipue diligi.* Et notandum, *allegare* absolute positum, sine adjunctione personæ, quæ mittatur: sicut etiam infra: & Philip. 5: *Quemadmodum ad hunc reus alleget?*

Pag. 215. *Nos semper cum optimatibus de rep. sensisse, minime populares fuisse.* Sic in orat. pro Sextio, *duo genera*, inquit, *semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in rep. atque in ea se excellentius gerere studuerunt. Quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi & esse voluerunt: qui ea, quæ faciebant quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur.* Hæc igitur caussa est, cur ad colligendam nobilium & consularium gratiam, profiteri eum vult, se optimatem

matem fuisse semper, non popularem: quod populare nomen in rep. Romana, apud bonos invisum esset.

Si quid locuti populariter videmur] in gratiam populi, contra optimates; ut pro lege Manil. quam promulgatam a trib. pleb. Manilio suasit, adversus auctoritatem Q. Catuli & Q. Hortensii: Et in Cornelii defensione, de qua in hoc ipso dicetur. Et bene opponit *locuti* ad *sensisse*. Nam non tam spectandum quid quisque dicat, quam quo animo dicat. Sic infra: *multitudo; ex eo quod oratione in concionibus popularis fuisti id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompejum adjungeremus.* Conciliaremus, fautorem haberemus. Quod in orationibus jam dictis facile consequi potuisset, cum in lege Manilia, de bello adversus Mithridatem Pompejo mandando ageretur, Cornelius autem Pompeji quæstor fuisset; in oratione ipsa pro lege Manilia aperte dicit, se non eam caussam egisse, ut Pompeji gratiam sibi conciliaret: sed oratorie, non ex rei veritate dictum est.

Aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non adversarium. Quamvis enim tum abesset ab urbe Pompejus, potuisset tamen vel litteris vel ipsa etiam opinione plurimum obesse vel prodesse. Huic sententiæ illa similis videtur, quæ in epist. 9. libri I. fam. est: *Rogavit, ut ejus dignitatem ne oppugnarem, si nollem aut non possem tueri.* Et advertendum, in hoc verborum tractu, quam suaviter deflexit a secunda persona ad primam; & cum ad fratrem loqueretur, se ipsum quoque admiscuerit; quasi non de fratre tantum, sed de se quoque ageretur. Sic infra: *In pratura competitorem habuimus.* Sic M. Cic. lib. 10. fam. *Gloria, quam consecuti sumus.*

Præterea adolescentes nobiles] non idem repetit, quod paullo ante dictum est. Nam illic enumeravit, quæ haberet; hic, quæ curare debet, ut habeat; aut servet, si habet; illic de quibusvis adolescentibus, hic præcipuè de nobilibus.

Ut habeas vel ut teneas studiosos] tale est illud in ep. I. ad Att. Vides in quo cursu sumus, & quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putemus.

Perfice, ut sciant, quantum in his putes esse] quantum spei tibi in illis ponas.

Si adduxeris, ut ii qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt] horum verborum sensus parum efficax vel, ut ita dicam, frigidus & sine ullo acumine videtur. Quis enim nescit, plurimum conducere rationibus nostris, si, qui antea nobis adversabatur, mox nostri cupidus fiat. Hoc enim significant illa verba; *qui nolunt, cupiant.* Quare cum in scripto meo legatur *non volunt*, suspicatus sum, legendum esse *non nolunt.* Non nolle autem est, nec magnopere velle nec magnopere recusare: ut in 2. de orat. *Invitatus Hannibal ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si vellet, audiret; cumque is, se non nolle dixisset.* E-

nit enim hic sensus, & ut puto, efficacior: si efficies, ut nunc tibi non adversantur quidem, sed nec admodum fave mox tuis verbis adducti, ita incitentur, ut tua caussa cup videantur, id erit tibi per utile. Aut fortasse legendum, volu ut, qui nunc tantum volunt, etiam cupiant. Plus est in cu ditate, quam in voluntate. ep. 4. lib. 15. fam. *Huic mea vol tati, in qua inest aliqua vis desiderii.* Atque huc respiciunt illa fine libri: *Si nostros ad summum studium benevolos excitamus.*

Ac multum etiam novitatem] tertia ratio, qua sublevetur n vitas Ciceronis, est competitorum indignitas: de quibus qu scripserit Ascon. Pedianus, operæ pretium est videre. Ille ig tur in commentario orat. in competitores, *sex competitores*, ir quit, *in consulatus petitione* Cicero habuit; duos Patricios, P. Sul picium Galbam, L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios; e quibus, duos nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris Filium, L. Cassium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium & C. Licinium Sacerdotem. Ceteri ejus competitores modeste se gessere. Visique sunt Cornificius & Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque hi quattuor pro re jacebant. Ex iis igitur quattuor tantum nominat Quinctus; nobiles nimirum: de Cornificio & Licinio, hominibus novis, nullum verbum.

Ejusmodi nobiles] uno tempore quattuor ipsos nobiles complectitur; ac, si comparetur omnium nobilitas cum unius Ciceronis virtute, illam non plus quam hanc valere debere dicit. Deinde ad singulos descendit: ac de P. Galba & L. Cassio addit, non solum præferendos non esse Ciceroni, licet summo loco nati sint; verum mirum etiam esse, eos consulatum audere petere. Quare quod nonnulli τὸ *jam* in *nam* mutare voluerunt; tamquam rationem reddat, cur illis plus nobilitas, quam Ciceroni virtus prodesse non debeat; mihi non placet: cum hæc non ad reddendam rationem, magis quam ad amplificandum addita sint.

Summo loco natos] erat quidem alter patricius, alter plebejus: sed erant multæ familiæ plebeiæ, amplæ & honestæ.

Quis est qui petere consulatum putet?] Galba enim, licet modestissimus atque optimus vir esset, ut est in orat. pro L. Murena, tamen imprudentiæ videtur damnari, in prima ep. ad Att. ubi de ejus præpropera prensatione fit mentio; nec multæ auctoritatis homo apparet, quod ei prensanti vulgo negarent. De Cassio vero jam dictum est, ex Asconio.

Qui sine nervis sint] sine viribus, sine auctoritate, sine virtute. Hic pro *qui*, legendum videtur *quod*. Reddit enim caussam.

At Antonius & Catilina molesti sunt] occupatio. Alii sint sine

ner-

nervis; at non tales sunt Antonius & Catilina. De iis idem Asconius: Catilina & Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent; adjutoribus usi firmissimis, M. Crasso & C. Cæsare.

Immo homini novo optandi competitores] quia illorum vitiorum comparatione, tuæ virtutes magis apparebunt; & sic facilius eos superabis: quod contraria inter se collata maxime elucescant; ut est apud Arist. lib. 3. Rhet. Hinc etiam paullò post dicet, meliorem fortunam petitionis Ciceroni datam, quam homini novo, C. Cœlio: nempe propter vitia competitorum.

Apud eos, qui res judicant] id est, apud judices. Sic loquuntur Latini sæpe: ep. 14. lib. 8. fam. Item in prima Philip. *Qui ordines duxerunt, res & judicant & judicaverunt.* In divinat. in Verr. Ordo alius ad res judicandas postulatur.

Innocenti, diserto, gratioso] sic in sequentibus: *Ut forti homini innocenti, diserto.*

Gratioso] ob innocentiam & eloquentiam.

Ambo sicarii] infra duas sicas appellat.

Ambo libidinosi, ambo egentes] quasi ex libidine orta sit eorum egestas. Et certe apud Plautum, in prologo trinummi, inopia luxuriæ filia fingitur.

Eorum alterius bona proscripta vidimus] hactenus de utrisque conjunctim: nunc separatim de singulis. Ac de Antonio prius; cujus æris alieni magnitudo quanta esset, hinc cognoscimus, quod ejus bona proscripta dicit; nempe a creditoribus: proscripta autem, ut venderentur. Proscribi enim bona dicuntur, cum fixis publice libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur: sic lib. 3. off. *Proscribere ædes*; debitorum bona proscribi solere docet. Cic. in orat. pro P. Quinctio: Considerant, quid & quantum sit, alterius bona proscribere. Utque ad hoc non nihil videntur facere verba in orat. Cic. in competitores: ex qua & ex Pediani in eam commentario, multa sumenda sunt, ad multa ex iis explicanda. Ille igitur de Antonio loquens ait: Alter, pecore omni divendito, & saltibus prope addictis, pastores retinet: ex quibus, ait, se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum. Et Asconius antea dixerat, senatu motum a censoribus Antonium, ob has caussas; quod socios diripuisset, quod judicium recusasset, quod propter æris alieni magnitudinem, prædia mancipasset, bonaque sua in potestate non haberet.

Vocem denique audivimus jurantis] hujus loci expositio tota, ex jam dicta oratione in toga candida, & Asconio petenda. Cic. *Quem clientem habere potest is*, (de Antonio loquitur) *qui in sua civitate cum peregrino negavit, se judicio æquo certare posse.* Ibi Asconius: Antonius multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu

Sul-

rit enim hic sensus, & ut puto, efficacior: si efficies, ut qui nunc tibi non adversantur quidem, sed nec admodum favent; mox tuis verbis adducti, ita incitentur, ut tua caussa cupere videantur, id erit tibi per utile. Aut fortasse legendum, *volunt*: ut, qui nunc tantum volunt, etiam cupiant. Plus est in cupiditate, quam in voluntate. ep. 4. lib. 15. fam. *Huic mea voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii.* Atque huc respiciunt illa in fine libri: *Si nostros ad summum studium benevolos excitamus.*

Ac multum etiam novitatem] tertia ratio, qua sublevetur novitas Ciceronis, est competitorum indignitas: de quibus quid scripserit Ascon. Pedianus, operæ pretium est videre. Ille igitur in commentario orat. in competitores, *sex competitores*, inquit, *in consulatus petitione* Cicero habuit; duos Patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios; ex quibus, duos nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris Filium, L. Cassium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium & C. Licinium Sacerdotem. Ceteri ejus competitores modeste se gessere. Visique sunt Cornificius & Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque hi quattuor pro re jacebant. Ex iis igitur quattuor tantum nominat Quinctus; nobiles nimirum: de Cornificio & Licinio, hominibus novis, nullum verbum.

Ejusmodi nobiles] uno tempore quattuor ipsos nobiles complectitur; ac, si comparetur omnium nobilitas cum unius Ciceronis virtute, illam non plus quam hanc valere debere dicit. Deinde ad singulos descendit: ac de P. Galba & L. Cassio addit, non solum præferendos non esse Ciceroni, licet summo loco nati sint; verum mirum etiam esse, eos consulatum audere petere. Quare quod nonnulli τὸ *jam* in *nam* mutare voluerunt; tamquam rationem reddat, cur illis plus nobilitas, quam Ciceroni virtus prodesse non debeat; mihi non placet: cum hæc non ad reddendam rationem, magis quam ad amplificandum addita sint.

Summo loco natos] erat quidem alter patricius, alter plebejus: sed erant multæ familiæ plebeiæ, amplæ & honestæ.

Quis est qui petere consulatum putet?] Galba enim, licet modestissimus atque optimus vir esset, ut est in orat. pro L. Murena, tamen imprudentiæ videtur damnari, in prima ep. ad Att. ubi de ejus præpropera prensatione fit mentio; nec multæ auctoritatis homo apparet, quod ei prensanti vulgo negarent. De Cassio vero jam dictum est, ex Asconio.

Qui sine nervis sint] sine viribus, sine auctoritate, sine virtute. Hic pro *qui*, legendum videtur *quod*. Reddit enim caussam.

At Antonius & Catilina molesti sunt] occupatio. Alii sint sine ner-

nervis; at non tales sunt Antonius & Catilina. De iis idem Asconius: Catilina & Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent; adjutoribus usi firmissimis, M. Crasso & C. Cæsare.

Immo homini novo optandi competitores] quia illorum vitiorum comparatione, tuæ virtutes magis apparebunt; & sic facilius eos superabis: quod contraria inter se collata maxime elucescant; ut est apud Arist. lib. 3. Rhet. Hinc etiam paullò post dicet, meliorem fortunam petitionis Ciceroni datam, quam homini novo, C. Cœlio: nempe propter vitia competitorum.

Apud eos, qui res judicant] id est, apud judices. Sic loquuntur Latini sæpe: ep. 14. lib. 8. fam. Item in prima Philip. *Qui ordines duxerunt, res & judicant & judicaverunt.* In divinat. in Verr. Ordo alius ad res judicandas postulatur.

Innocenti, diserto, gratioso] sic in sequentibus: *Ut forti homini innocenti, diserto.*

Gratioso] ob innocentiam & eloquentiam.

Ambo sicarii] infra duas sicas appellat.

Ambo libidinosi, ambo egentes] quasi ex libidine orta sit eorum egestas. Et certe apud Plautum, in prologo trinummi, inopia luxuriæ filia fingitur.

Eorum alterius bona proscripta vidimus] hactenus de utrisque conjunctim: nunc separatim de singulis. Ac de Antonio prius; cujus æris alieni magnitudo quanta esset, hinc cognoscimus, quod ejus bona proscripta dicit; nempe a creditoribus: proscripta autem, ut venderentur. Proscribi enim bona dicuntur, cum fixis publice libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur: sic lib. 3. off. *Proscribere ædes*; debitorum bona proscribi solere docet. Cic. in orat. pro P. Quinctio: Considerant, quid & quantum sit, alterius bona proscribere. Utque ad hoc non nihil videntur facere verba in orat. Cic. in competitores: ex qua & ex Pediani in eam commentario, multa sumenda sunt, ad multa ex iis explicanda. Ille igitur de Antonio loquens ait: Alter, pecore omni divendito, & saltibus prope addictis, pastores retinet: ex quibus, ait, se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum. Et Asconius antea dixerat, senatu motum a censoribus Antonium, ob has caussas; quod socios diripuisset, quod judicium recusasset, quod propter æris alieni magnitudinem, prædia mancipasset, bonaque sua in potestate non haberet.

Vocem denique audivimus jurantis] hujus loci expositio tota, ex jam dicta oratione in toga candida, & Asconio petenda. Cic. *Quem clientem habere potest is*, (de Antonio loquitur) *qui in sua civitate cum peregrino negavit, se judicio æquo certare posse.* Ibi Asconius: Antonius multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu

Sul-

ceſſe non ſit de his aliquem commonefacere. Meminerimus tamen, quod docet Pedianus, locutionem non eſſe plenam; ſed ſubaudiendum *facere*.

Tempus ſibi aliud nullum] hæc eadem ſententia bis infra repetitur.

Etiam hoc multum videtur adjuvare poſſe] immo longe plurimum: quia, ut ſupra ex Salluſt. retulimus, nobilitas inter ſe, quaſi per manus, conſulatum tradebat: & novos homines illo honore indignos putabat. Opponuntur enim novi nobilibus. Cic. pro Mur. *Nec mihi umquam minus, in Q. Pomp. novo homine & fortiſſimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo M. Æmilio.*

Nobilium voluntas] voluntatem pro favore poſuit: ut Terent. in prologo Phorm. *Voluntas veſtra ſi ad poetam acceſſerit.*

Maxime conſularium] quorum major eſt dignitas, ut qui conſulatum geſſerint.

Prodeſt, quorum in locum ac numerum pervenire] ratio hæc vim habet generalis ſententiæ; quippe omnibus convenire poteſt. Nemo enim in eum locum, quem ipſe obtinuit, alium ſe indigniorem pervenire vult: ideoque quem ipſe probat, huic quaſi teſtimonium virtutis præbet. Quod valuit ad impellendum C. Octavium, ut hereditatem & nomen ſibi a C. Cæſare relictum, adire non dubitaret, contra multorum ſententiam; cum dictitaret, *nefas eſſe, quo nomine Cæſari dignus eſſet viſus, ſemet ipſum videri indignum.* Vellejus lib. poſt. *Prodeſt* hoc loco imperſonaliter, ut loquimur, poſitum eſt: quomodo apud hunc ſæpius. Græci συμφέρει dicunt: id eſt, *confert.* Eſt vero elegans conduplicatio in repetitione illorum verborum, *locum*, *numerum*, *loco*, *numero.*

Hi rogandi omnes ſunt diligenter a nobis, & ad eos allegandum] amici ſcilicet ſummittendi, qui pro nobis rogent. *Allegare* eſt pro privata cauſſa aliquem mittere: & pro publica *legare* dicimus. Cicero ep. 10, lib. 15. famil. *ſi mihi tecum minus eſſet, quam eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me præcipue diligi.* Et notandum, *allegare* abſolute poſitum, ſine adjunctione perſonæ, quæ mittatur: ſicut etiam infra: & Philip. 5: *Quemadmodum ad hunc reus alleget?*

Pag. 215. *Nos ſemper cum optimatibus de rep. ſenſiſſe, minime populares fuiſſe.* Sic in orat. pro Sextio, *duo genera*, inquit, *ſemper in hac civitate fuerunt eorum, qui verſari in rep. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt. Quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi & eſſe voluerunt: qui ea, quæ faciebant quæque dicebant, multitudini jucunda eſſe volebant, populares; qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur.* Hæc igitur cauſſa eſt, cur ad colligendam nobilium & conſularium gratiam, profiteri eum vult, ſe optimatem

matem fuisse semper, non popularem: quod populare nomen in rep. Romana, apud bonos invisum esset.

Si quid locuti populariter videmur] in gratiam populi, contra optimates; ut pro lege Manil. quam promulgatam a trib. pleb. Manilio suasit, adversus auctoritatem Q. Catuli & Q. Hortensii: Et in Cornelii defensione, de qua in hoc ipso dicetur. Et bene opponit *locuti* ad *sensisse*. Nam non tam spectandum quid quisque dicat, quam quo animo dicat. Sic infra: *multitudo; ex eo quod oratione in concionibus popularis fuisti id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompejum adjungeremus.* Conciliaremus, fautorem haberemus. Quod in orationibus jam dictis facile consequi potuisset, cum in lege Manilia, de bello adversus Mithridatem Pompejo mandando ageretur, Cornelius autem Pompeji quaestor fuisset; in oratione ipsa pro lege Manilia aperte dicit, se non eam caussam egisse, ut Pompeji gratiam sibi conciliaret: sed oratorie, non ex rei veritate dictum est.

Aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non adversarium. Quamvis enim tum abesset ab urbe Pompejus, potuisset tamen vel litteris vel ipsa etiam opinione plurimum obesse vel prodesse. Huic sententiae illa similis videtur, quae in epist. 9. libri 1. fam. est: *Rogavit, ut ejus dignitatem ne oppugnarem, si nollem aut non possem tueri.* Et advertendum, in hoc verborum tractu, quam suaviter deflexit a secunda persona ad primam; & cum ad fratrem loqueretur, se ipsum quoque admiscuerit; quasi non de fratre tantum, sed de se quoque ageretur. Sic infra: *In pratura competitorem habuimus.* Sic M. Cic. lib. 10. fam. *Gloria, quam consecuti sumus.*

Praterea adolescentes nobiles] non idem repetit, quod paullo ante dictum est. Nam illic enumeravit, quae haberet; hic, quae curare debet, ut habeat; aut servet, si habet; illic de quibusvis adolescentibus, hic praecipuè de nobilibus.

Ut habeas vel ut teneas studiosos] tale est illud in ep. 1. ad Att. Vides in quo cursu sumus, & quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putemus.

Perfice, ut sciant, quantum in his putes esse] quantum spei tibi in illis ponas.

Si adduxeris, ut ii qui nolunt, cupiant, plurimum quidem proderunt] horum verborum sensus parum efficax vel, ut ita dicam, frigidus & sine ullo acumine videtur. Quis enim nescit, plurimum conducere rationibus nostris, si, qui antea nobis adversabatur, mox nostri cupidus fiat. Hoc enim significant illa verba; *qui nolunt, cupiant.* Quare cum in scripto meo legatur *non volunt*, suspicatus sum, legendum esse *non nolunt.* Non nolle autem est, nec magnopere velle nec magnopere recusare: ut in 2. de orat. *Invitatus Hannibal ab hospitibus suis, ut Phormionem Peripateticum, si vellet, audiret; cumque is, se non nolle dixisset.* E-

rit

rit enim hic sensus, & ut puto, efficacior: si efficies, ut qui nunc tibi non adversantur quidem, sed nec admodum favent; mox tuis verbis adducti, ita incitentur, ut tua caussa cupere videantur, id erit tibi per utile. Aut fortasse legendum, *volunt*: ut, qui nunc tantum volunt, etiam cupiant. Plus est in cupiditate, quam in voluntate. ep. 4. lib. 15. fam. *Huic mea voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii.* Atque huc respiciunt illa in fine libri: *Si nostros ad summum studium benevolos excitamus.*

Ac multum etiam novitatem] tertia ratio, qua sublevetur novitas Ciceronis, est competitorum indignitas: de quibus quid scripserit Ascon. Pedianus, operæ pretium est videre. Ille igitur in commentario orat. in competitores, *sex competitores*, inquit, *in consulatus petitione* Cicero habuit; duos Patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios; ex quibus, duos nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris Filium, L. Cassium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium & C. Licinium Sacerdotem. Ceteri ejus competitores modeste se gessere. Visique sunt Cornificius & Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque hi quattuor pro re jacebant. Ex iis igitur quattuor tantum nominat Quinctus; nobiles nimirum: de Cornificio & Licinio, hominibus novis, nullum verbum.

Ejusmodi nobiles] uno tempore quattuor ipsos nobiles complectitur; ac, si comparetur omnium nobilitas cum unius Ciceronis virtute, illam non plus quam hanc valere debere dicit. Deinde ad singulos descendit: ac de P. Galba & L. Cassio addit, non solum præferendos non esse Ciceroni, licet summo loco nati sint; verum mirum etiam esse, eos consulatum audere petere. Quare quod nonnulli τὸ *jam* in *nam* mutare voluerunt; tamquam rationem reddat, cur illis plus nobilitas, quam Ciceroni virtus prodesse non debeat; mihi non placet: cum hæc non ad reddendam rationem, magis quam ad amplificandum addita sint.

Summo loco natos] erat quidem alter patricius, alter plebejus: sed erant multæ familiæ plebeiæ, amplæ & honestæ.

Quis est qui petere consulatum putet?] Galba enim, licet modestissimus atque optimus vir esset, ut est in orat. pro L. Murena, tamen imprudentiæ videtur damnari, in prima ep. ad Att. ubi de ejus præpropera prensatione fit mentio; nec multæ auctoritatis homo apparet, quod ei prensanti vulgo negarent. De Cassio vero jam dictum est, ex Asconio.

Qui sine nervis sint] sine viribus, sine auctoritate, sine virtute. Hic pro *qui*, legendum videtur *quod*. Reddit enim caussam.

At Antonius & Catilina molesti sunt] occupatio. Alii sint sine

ner-

nervis; at non tales ſunt Antonius & Catilina. De iis idem Aſconius: Catilina & Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita eſſet, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem conſulatu dejicerent; adjutoribus uſi firmiſſimis, M. Craſſo & C. Cæſare.

Immo homini novo optandi competitores] quia illorum vitiorum comparatione, tuæ virtutes magis apparebunt; & ſic facilius eos ſuperabis: quod contraria inter ſe collata maxime eluceſcant; ut eſt apud Ariſt. lib. 3. Rhet. Hinc etiam paullò poſt dicet, meliorem fortunam petitionis Ciceroni datam, quam homini novo, C. Cœlio: nempe propter vitia competitorum.

Apud eos, qui res judicant] id eſt, apud judices. Sic loquuntur Latini ſæpe: ep. 14. lib. 8. fam. Item in prima Philip. *Qui ordines duxerunt, res & judicant & judicaverunt.* In divinat. in Verr. Ordo alius ad res judicandas poſtulatur.

Innocenti, diſerto, gratioſo] ſic in ſequentibus: *Ut forti homini innocenti, diſerto.*

Gratioſo] ob innocentiam & eloquentiam.

Ambo ſicarii] infra duas ſicas appellat.

Ambo libidinoſi, ambo egentes] quaſi ex libidine orta ſit eorum egeſtas. Et certe apud Plautum, in prologo trinummi, inopia luxuriæ filia fingitur.

Eorum alterius bona proſcripta vidimus] hactenus de utriſque conjunctim: nunc ſeparatim de ſingulis. Ac de Antonio prius; cujus æris alieni magnitudo quanta eſſet, hinc cognoſcimus, quod ejus bona proſcripta dicit; nempe a creditoribus: proſcripta autem, ut venderentur. Proſcribi enim bona dicuntur, cum fixis publice libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur: ſic lib. 3. off. *Proſcribere ades*; debitorum bona proſcribi ſolere docet. Cic. in orat. pro P. Quinctio: Conſiderant, quid & quantum ſit, alterius bona proſcribere. Utque ad hoc non nihil videntur facere verba in orat. Cic. in competitores: ex qua & ex Pediani in eam commentario, multa ſumenda ſunt, ad multa ex iis explicanda. Ille igitur de Antonio loquens ait: Alter, pecore omni divendito, & ſaltibus prope addictis, paſtores retinet: ex quibus, ait, ſe, cum velit, ſubito fugitivorum bellum excitaturum. Et Aſconius antea dixerat, ſenatu motum a cenſoribus Antonium, ob has cauſſas; quod ſocios diripuiſſet, quod judicium recuſaſſet, quod propter æris alieni magnitudinem, prædia mancipaſſet, bonaque ſua in poteſtate non haberet.

Vocem denique audivimus jurantis] hujus loci expoſitio tota, ex jam dicta oratione in toga candida, & Aſconio petenda. Cic. *Quem clientem habere poteſt is*, (de Antonio loquitur) *qui in ſua civitate cum peregrino negavit, ſe judicio aquo certare poſſe.* Ibi Aſconius: Antonius multos in Achaia ſpoliaverat, nactus de exercitu

Sul-

Sullano equitum turmas. Deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerant Antonium in jus, ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Egit pro Græcis etiam tum adolescentulus C. Cæsar. Et cum Lucullus, id quod Græci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, juravitque, se ideo appellare, quod æquo jure uti non posset. De hoc etiam Plutarch. in Cæsare. Quod igitur dicit, *vocem jurantis*, intelligimus, apud tribunos, apud quos jurare necesse erat ei, qui appellasset, æquo judicio certare non posse; quasi aut judicis iniquitate aut impotentia adversariorum opprimeretur. Appellabantur autem tribuni pleb. apud Romanos, sicut hodie in Rep. Veneta advocatores, quos dicunt communes, quod eorum potestas magistratuum omnium decretis posset intercedere. Cic. lib. 3. de legibus: *Plebes, quos pro se, contra vim auxilii ergo decem creassit, tribuni ejus sunto, quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto.* De hujusmodi tribunorum appellatione, habes etiam in orat. pro P. Quinctio: *Appellantur tribuni: a quibus cum esset certum auxilium petitum.* Itemque: *Prætor decernebat: tribuni appellabantur.*

Et ex senatu ejectum scimus] hoc jam relatum est ex Asconio. Censores hi fuerunt L. Gellius & Cn. Lentulus: de quibus in epitoma Liv. 98. Cn. Lentulus & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quattuor & sexaginta senatu motis.

Optima vero censorum existimatione, in prætura competitorem habuimus] apparet, hæc dicta esse per ironiam. Significat enim, non meliore fuisse existimatione, cum præturam peteret, quam ante, cum senatu motus est. Quid tamen hoc sit, mihi non constat: hoc certe patet, de eo non satis bene populum existimasse; cum dicat Cic. in orat. in toga candida, se prætorem primum esse factum; Antonium, concessione competitorum, & collatione centuriarum, & Ciceronis maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse subjectum. Ubi illud observandum, censorum notam non potuisse impedire, quo minus alicujus ratio haberetur in petendis magistratibus. Quod legimus in orat. pro A. Cluentio: ubi refert Cic. C. Getam, cum a L. Metello & Cn. Domitio censoribus ex senatu ejectus esset, censorem ipsum postea esse factum. Nam censoris judicium nihil fere damnato affert, nisi ruborem: ut est apud M. Tullium, in fragmentis, lib. 4. de rep.

Pag. 215. 216. *Amico Sabidio & Panthera, quod ad tabulam, quos poneret, non habebat*] quam tabulam hic intelligat, dubitant aliqui; utrum auctionariam, an argentarii cujusdam, an suffragatoriam: ego, quia hic neque de bonis auctione venditis, neque de pecunia accepta aut expensa & in tabulas relata agitur, sed de petitione magistratus; de tabula, quæ ad comitia pertineat, puto accipiendum. Neque tamen tabellam accipio illam,

qua

qua in ciſtam conjecta ſuffragium ferebatur, quæ *vindex libertatis* dicitur, in 3. de legibus; ſed in qua numerus ſuffragiorum quæ quiſque candidatus tuliſſet, punctis quibuſdam notaretur, quæ ipſorum candidatorum amicis, qui ad ea colligenda ſingulis centuriis præficiebantur, dabatur ne quid fraudis in ſuffragatione admitteretur. Quod pluribus proſequitur Nicolaus Gruchius, de com. Rom. lib. 1. Ad quod pertinere videtur Varronis locus lib. 3. cap. 5, de re ruſtica. Narrat, ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehenſum, teſſerulas conjicientem in loculum; eum ad conſulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo ſurgit, quod ejus candidati cuſtos dicebatur deprehenſus. *Amico* ergo *Sabidio & Panthera*; quorum opera uſus eſt, cum alios non haberet, quos cuſtodes ad tabulam apponeret. In quo notatur, quam inops ab amicis eſſet Antonius, qui homines de fæce populi, quales putamus Sabidium & Pantheram fuiſſe, ad hoc munus adhibuit; cum moris eſſet honeſtiores propinquos aut graves amicos adhibere. Cic. ipſe, in Piſonis comitiis, *primus prærogativæ cuſtos præpoſitus eſt*; ut in orat. poſt reditum in ſenatu. Et in ea in Piſonem legimus, cum lex de revocando Cicerone ferretur, honoris cauſſa, ſenatores ipſos rogatores, diribitores, cuſtodes fuiſſe tabularum. Atque ii privato nomine videntur præfuiſſe. Nam illi qui *nongenti* vocabantur, publice præpoſiti ſunt ad cuſtodiendas ciſtas ſuffragiorum in comitiis: de quibus Plinius, lib. 33, cap. 2.

Quo tamen in magiſtratu amicam] notavit egeſtatem & amicorum inopiam; nunc libidinem & impudentiam; quod in magiſtratu, in quo decet eſſe continentem, amicam emerit; quod domi palam habuerit, nulla habita pudoris ratione.

De machinis emit] hic locus torſit multos; quod alibi, quid ſit *de machinis emere*, non legatur. Ideoque alii idem valere putant, quod de lapide emere: alii eminentiorem quendam locum, ubi res venales exponerentur. Mihi, in hac ambiguitate, venit in mentem ſuſpicari corruptum eſſe locum; & pro *machinis* legendum *drachmis*: Illud vero *De* numeri notam eſſe, ut CL vel D, quæ ſignificet vel centum quinquaginta vel quingentas drachmas, quibus empta ſit illa mulier, ut ex pretii vilitate perſonæ condicio habeatur. Ut facit Thraſo Terentianus de ancilla Thaidi dono a rivali miſſa; *Hic ſunt tres minæ.* Et vero drachma centeſima pars minæ; ut obſervat Budæus: ideoque pro parvi valoris nummo ponitur; ut in fine lib. 1. de divinat. *quibus divitias pollicentur, ab iis drachmas ipſi petunt.* Et Terent. in Andria, *vix*, inquit, *drachmis obſonatus eſt decem*: ut fortaſſe hic etiam *decem drachmis* legi poſſit. Sed, ut ut ſit, ſatis eſt meam me ſuſpicionem indicaſſe; quam confirmet locus Horat. ſat. 7. lib. 2; ubi de ſervo ait:

- - - - Stultior ipſo
Quingentis empto drachmis deprenderit.

In petitione autem consulatus, caupones omnes hic compilare] pertinent hæc ad Antonium item, ut superiora; non ad Catilinam, ut aliqui arbitrantur; quoniam de Catilina mox agere ibi incipit, *alter vero, dii boni*! Objicit vero, hoc loco, Antonio, cum negligentiam in petendo, quod obire legationem tum voluerit, cum petendum esset; tum ingluviem & rapacitatem, quippe qui in ea legatione cauponum, ad quos diverterat, bona compilarit ac diripuerit, dum sibi, ut populi Rom. legato, quæ vellet, sine suo sumptu juberet administrari. Sed est in hac tota sententia, quod negocium facessat *τὸ hic*; quod neque adverbium dicere possumus, cum opponatur verbo illi *adesse*, & ideo contrarium aliquid significare debeat: neque pronomen, quia neque Antonii nomen referre opus est, quod per se satis intelligitur, neque Catilinæ, de quo non hic sed paulo post agitur. Itaque aut, ut sine causa intrusum, tollendum, aut, si pronomen aliquod interponendum sit, *idem* potius quam *hic* admittendum.

Per turpissimam legationem] munus legationis per se non est turpe. Ipse etiam Cic. petitionis suæ anno, qui fuit idem qui & Antonii, se ad Pisonem excurrere legatum velle dixit; epist. 1. lib. 1. ad Att. legatione nimirum libera. At eadem res diversis de caussis suscepta, modo turpis, modo honesta videri potest. Turpissima igitur Antonii legatio; vel quia non aliam ob caussam, nisi ut caupones compilaret, eam suscepit: legatis enim & magistratibus P. R. procul ab urbe proficiscentibus, quædam publice præbebantur ab iis, qui parochi dicebantur; ut apud Horat. Sat. 5. lib. 1: vel quia turpissime obita sit: orat. pro Fonteio: *Legationibus flagitiose obitis.*

Alter vero, dii boni!] Hæc de Catilina dici libris omnibus, quos vidi, & hominibus etiam, quos esse aliquos scio, invitis, contendo. Nam cum ambos simul proposuerit, & mox dicturus de singulis coeperit, *eorum alterius* &c. atque ea dixerit, quæ omnia in Antonium conveniant, necesse est, ut, cum jam ad alterum transeat, hæc omnimode de Catilina scripta sint; cum præsertim ea dicat, quæ ab ipso Catilina facta plane constat. Et licet nominatur in iis verbis *Catilina*, tamquam comparetur cum illo altero, de quo videtur sermo institutus; tamen non dubito, quin ex hoc loco ejicienda sit vox illa *Catilina*, & pro ea admittenda Antonius. Videtur enim irrepsisse in textum, errore librarii, qui viderat adscriptum in margine *Catilina*, ut indicaret, hic de Catilina agi. Nam & simile mendum notatum est in ep. 32. lib. 2. fam. ubi per Antonii personam disputatum esse dicit de ridiculis, cum *Julius*, non *Antonius*, de ridiculis disputaverit; in 2. de orat.

Alter vero, dii boni!] similis exclamatio in orat. pro P. Sextio; ubi de Gabinio agit. *Alter, o dii boni, quam tater* &c.

Quo splendore?] qua dignitate, quo honoris gradu? Splendor au-

autem complectitur nobilitatem, opes, virtutem.

Primum, nobilitate eadem, qua Catilina] *qua C. Antonius* legendum putat Paullus Mannuccius. Aliter enim Catilina cum Catilina comparabitur: de quo sermonem esse, indicant verba subsequentia. Vel igitur *qua C. Antonius* legendum putat, vel abundare credit *qua Catilina.*

Primum, nobilitate eadem, qua Antonius] hæc ironice dicta sunt. Non enim confert re vera generis nobilitatem; sed, dum agere de ea videtur, minuit procul dubio, eos esse (ut ad extremum dicet) non tam genere insignes, quam vitiis nobiles.

Num majore? non, sed virtute] si quis attente cogitet, non dubito, quin videat, otiosam esse hanc interrogationem, *num majore?* Si ad nobilitatem referas, quam in utroque jam parem dixit. Quid ergo? Videor mihi propemodum conjectura attingere, ut hic aliquid desit. Nam cum his non minus egestatem objiciat, quam pleraque gravissima vitia; atque ideo antea ambos sicarios, ambos libidinosos, ambos egentes appellarit; hic in commemoranda (licet per ironiam) nobilitate & virtute, non erant omittendæ divitiæ; quarum opportune fiet mentio, si legamus *non majore re?* Fuit autem venustum incrementum, ut primum dicat, Catilinam nobilitate parem Antonio; mox quærat, num opibus sit superior, & per subjectionem respondendo neget; demum addat, *virtute* illum superare, nempe flagitiis, audacia & crudelitate, in qua Catilinam Antonio præstitisse apparet. Fuit vero proclive scriptoribus omittere illud *re*, quæ erat syllaba eadem cum præcedentis verbi postrema. Neque non alibi sæpe hoc modo peccatum est. Nam quod attinet ad verba *majore re*, pro majoribus opibus recte dici, nemo nescit, qui novit, quid sit *rem facere*, *rem augere*; & illud in Catone majore; *Vir haud magna cum re.*

Quamobrem qui inanius umbram suam metuit, hunc negliges quidem] collector proverbiorum *umbram suam metuere* dicit, proverbialiter esse, pueriliter trepidare, ubi nihil omnino sit periculi: mox, id quod omnes vident, locum depravatum esse ait, & corrigit, *quamobrem qui manium umbram suam metuit* &c. intelligitque Catilinam ita expavescere, ut qui arbitrantur se suos videre manes. Sed longe mihi melior eorum correctio videtur, qui legunt, *quamobrem C. Antonius umbram suam metuit: hic ne leges quidem, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in cæde civium.* Optime enim, cum dixerit Catilinam majore audacia esse quam Antonium, subdit, quod sit ad utriusque naturam accommodatum; nempe Antonium timidissimum esse, qualem ante descripsit, cum Romæ cum homine Græco judicio certare non ausus sit, hunc audacissimum, qui ne leges quidem timeat. Quam sententiam non nihil adjuvat scriptus liber, quem mihi Aldus Mannuccius commodavit, juvenis in be-

ne merendo de optimis studiis, a patris atque avi vestigiis nequaquam, ut norunt jam omnes, recedens; in quo legitur, *natus, educatus, corroboratus*, recto casu; ut conveniat cum eo, *ne leges quidem metuit*. Accedit & locus Cic. in prima orat. in Catilinam: *non solum ad negligendas leges & quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti.*

Natus in patris egestate] de egestate Catilinæ omnes loquuntur: de patris ejus non facile invenias. Sallust. in Catil. *Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris.*

In sororis stupris] de sororis stupro, non alibi legi. Sororem habuisse, mox videbimus: *sed, qui libidinis caussa filium non dubitabat occidere, ne a sororis quidem concubitu abstinebit.* Hinc Cic. orat. 2. in illum: *quæ cedes per hosce annos sine Catilina facta est? quod nefarium stuprum non per illum?* Et in orat. in toga candida: *Stupris se omnibus & flagitiis contaminavit, cede nefaria cruentavit, diripuit socios; leges, quæstiones, judicia violavit.*

Corroboratus in cæde] hoc probant ea, quæ subsequentur. Sed notandum, tale incrementum factum in vitiis a Catilina, quale solet in vita hominum a natura esse: primum enim nascimur, mox educamur, tum corroboramur. Immo etiam de ipsa arte Cic. in 2. de orat: quæ sunt orta jam in nobis & procreata, educat atque confirmat.

Cujus primus ad remp. aditus, in equitibus Romanis occidendis fuit] nimirum sub Sulla, in cujus partibus Catilina fuit: equites vero Romani contra Sullam; ut ait Asconius in orat. in toga candida. Ideoque in ea Cic. *A quibus enim petis consulatum? ab equestri ordine, quem trucidasti?*

Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum ac Vanniorum ac Tanusiorum capita demebant, Sylla unum Catilinam præfecerat] legimus apud Dionem, lib. 37, Catilinam accusatum fuisse, quod proscriptorum multos occidisset; atque in judicio absolutum.

Quos meminimus] nam hæc viginti fere annis, antequam hæc scriberentur, acciderant.

Titiniorum] Titinii nominantur a Cicerone, in lib. 9. ep. ad Att. a T. Livio, lib. 5.

Tanniorum] in scriptis est *naviorum* & *nanniorum*. P. Mannuccius in commentariis ep. ad Att. libri primi, *nanneiorum* legit.

Tanusiorum] videndum, num *Tantasiorum* legendum sit, quandoquidem Asconius inter eos, qui a Catilina occisi sunt, L. Tantasium ponit.

In quibus ille hominem optimum Q. Cæcilium, sororis suæ virum, equitem Rom.] Inter alios a Catilina occisos, nominat Asconius etiam Q. Cæcilium: ideoque nihil mutandum arbitror, licet in scriptis non uno modo sit scriptum hoc nomen.

Nullarum partium, cum semper natura tum] hæc ad augendam

facti

facti indignationem: *nullarum partium*, qui nec Sullanos nec Marianos secutus esset: sicuti M. Tullius civem bonarum partium appellat C. Cœlium, in orat. pro eo, quod bonis adhæreat. Hominem nullarum partium nunc vulgo *neutralem* dicimus. ep. 31. lib. 10. fam. Tum vero non liceret mihi nullius partis esse. Cic. hujusmodi homines appellat *otiosos*, qui in dissensionibus civilibus soli quiescant. ep. 6. lib. 9. fam. & lib. 11. ad Att. satis autem constat apud Plutarch. in Sulla; & Vell. lib. poster. in proscriptione Sullana, insontes multos, propter privatas vel inimicitias vel opes, fuisse interfectos.

Suis manibus] magni odii signum, quod non per alios: sic illud magni amoris; *ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido Fecerat.* Virg. lib. 4. Paullo post de Cæde Marii; *collum gladio sua dextra secuerit.* Item: *caput sua manu tulerit.* Pergit in describendis crudelibus Catilinæ facinoribus; atque in uno præcipue immoratur, quod ita oratorię describit, ut oculis pæne subjiciat: illud autem est, M. Marii Gratidiani cædes. De qua Plutarch. in Sull. Catilina M. Marium adversæ factionis hominem, confodit, & ad Sullam in foro sedentem caput ejus attulit.

Pag. 217. *Hominem carissimum pop. Rom.*] de hoc M. Tullius, lib. 3. offic. *Nemo umquam multitudini fuit carior. omnibus vicis statua facta sunt: ad eas thus & cerei.* Et in orat. in toga candida: *Inspectante populo, collum secuit hominis maxime popularis.* Quo igitur erat clarior, eo debuit Catilina esse invisior. Ideo in eadem orat. ut ostenderet, non esse, cur ille petere consulatum auderet, dixit, *a plebe petis, cui spectaculum ejusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset?*

Virgis per totam urbem ceciderit] non muto vulgatam lectionem, etsi in scriptis sit *viribus*; ex quo aliqui *vitibus* fecerunt. Neque tamen ignoro, solitos esse interdum vitibus milites cædi: ut Plin. lib. 14: cap. 1; & Juven. Sat. 8: verum hoc non in urbe, sed in castris; neque a quovis cive, sed a centurione gerebatur. Præterea vitibus cædebantur, qui cives erant, minoris ignominiæ caussa; ut in epitoma 57: Scipio, quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, virgis cecidit. Quam rationem non erat habiturus Catilina in Mario, quem omnibus modis lacerare studebat.

Ad bustum egerit] Bustum dicitur locus, in quo mortuus est combustus & sepultus. Fest. Pomp. *Quod igitur bustum hic intelligimus? Catuli.* L. Florus, lib. 3. *M. Marius ducis ipsius frater, apud Catuli sepulcrum, oculis, manibus cruribusque defossis, servatus aliquamdiu, ut per singula membra moreretur.*

Ibi omni cruciatu laceraret] Seneca, lib. 3, cap. 18, de ira: *M. Mario L. Sulla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit; & quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paullatim & per singulos artus laceravit. Quis erat hujus imperii minister? quis nisi Catilina,*

tilina, omne facinus in Mario exercens? sic illum ante bustum Q. Catuli carpebat. Val. Max. lib. 9, cap. de crudelitate: & Orosius, lib. 5, cap. 21: Livius in epit. 88.

Vivo stanti collum gladio sua dextra &c.] hæc dicuntur per hypotyposin, qua ita res verbis expressæ sunt, ut cerni potius videantur quam audiri. Itaque singula verba ponderanda: nam unicuique sua vis inest: neque ab iis abhorrent ea, quæ scripsit Virg. de nece Priami, lib. 2. Æneid.

Qui postea cum histrionibus] nunc de libidine & nequitia. Histrionia ars turpis apud Romanos. ff. ff. de his qui notantur infamia, ait; *Prætor, qui in scenam prodierit, infamis est.* Et M. Cic. lib. 4. de rep. in fragmentis, idem asserit. In orat. etiam pro Roscio comœdo, optimo histrione & viro: *artifex ejusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eo non accedat.* Horum commercio viri molles & lascivi delectati sunt; ut de Sulla Plutarch. *sodalicia cum mimis, mulierculis, citharoedis, scenicis hominibus agitabat.* Et de M. Antonio Cic. in Philippicis. Quod vero hic de Catilina dicit Q. Cic. eadem fere dicit M. in orat. 2. in eundem: *Nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ esse fateatur; nemo in scena levior & nequior, qui se non ejusdem prope sodalem fuisse commemoret.*

Qui nullum in locum tam sanctum] Salluſt. *jampridem adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ, & alia hujusmodi contra jus fasque.* Sed hujus loci expositio ex orat. in toga candida sumenda est, ad ea verba; *Cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.* Ibi Asconius: *Fabia virgo Vestalis caussam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur: eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis.* Ideo sic dicit; *etiamsi culpa nulla subesset.* Ita & suis pepercit, & nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit.

Tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem &c.] talis enim erat & habebatur Catilina, ut & ad quos ille accederet, & qui ad se accederent, iis ex sua consuetudine turpitudinis notam aspergeret. Hinc Sallust. *scio fuisse nonnullos*, inquit, *qui ita existimarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse.* Sed ex aliis rebus, magis quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat.

Qui ex curia Curios] hæc de comitibus Catilinæ, ex omni ordine & genere collectis, qui omnes, quales fuerint, uno aut altero posito, intelligi vult. Eos vero apertissime descripsit Sallust. *Quicumque impudicus, adulter, ganeo, ventre, manu, pene, bona patria dissipaverat, quique æs alienum grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua perjurio aut civili sanguine alebat; postremo, omnes*

nes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat; hi Catilinæ proximi familiaresque erant. Per Curios igitur, Annios & Sapalas, hujusmodi homines accipiendi sunt. Et de Curio quidem, Ascon. in orat. in compet. *Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusque postea est.* Sallust. *In ea conjuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem senatu censores, probri gratia, moverant.* Atque hic est, per quem detecta est conjuratio. Quæsivit autem ornatum ex annominatione; *ex curia Curios*: ut M. Tul. lib. I. de leg. *Ad Vennonium venias.*

Et Annios] Q. Annium significat, quem, simul cum Curio ex senatorio ordine, participem fuisse conjurationis Sallust. narrat.

Ab Atriis Sapalas & Corvilios] Atria hæc sunt loca, in quibus bona obæratorum divendebantur; quæ ob id auctionaria dicta sunt. Cic. prima orat. in Rullum. *Hoc etiam nequissimi homines, consumptis patrimoniis faciunt, ut in atriis auctionariis, potius quam in triviis aut in compitis auctionentur.* Per hos ergo putamus intelligi homines egentes, quorum bona in iis atriis veniissent, aut qui vile aliquod officium in iisdem exercuissent, ut præconium aut quid tale. Cic. orat. pro P. Quinctio: *Tollitur ab atriis Liciniis atque e præconum consessu Nævius.*

Sapalas] in uno scripto est *existrapalas*, omnino nomen ignotum.

Ex equestri ordine Pompilios & Cnæos] hi qui fuerint, ignoramus. In voce *Cneios*, aliqua varietas est in scriptis: sed video placere doctis *Cnæos*, qui etiam observarunt *Cnæos*, gentem a prænomine *Cnæo* deductam.

Compararit] Aldi codex scriptus, *comparavit*; quod probo.

Qui tantum habet audaciæ] dictum est antea de Catilinæ libidine: sed servavit in extremo factum in re Venerea tam audax quam nefandum, quod hyperbolice videtur augere; sed ita ut non longe absit a veritate, si Catonis in illum declamatio legatur; qui ejus domum, *sacrarium libidinum* appellavit. Nam quod in parentum gremio stupratos liberos dicit, intelligimus, ipsis parentibus (pro pudor) consentientibus; vel quod & ipsi ex Catilinæ gregibus essent, vel quod ab ejus vafro ingenio, ut multi boni, decepti, filios domum ejus frequentare non prohiberent. Atque ideo dixisse puto *tantum artis & efficacitatis* habere.

Efficacitas] verbum rarum; sed tantam vim sono ipso habens, quantum re significat. Verba autem materiæ modo cernenda sunt. Quinct. lib. 8.

Prætextatos] impuberes, qui toga prætexta utebantur, usque ad decimum septimum ætatis annum, cum sumebant puram togam. Cic. de amicitia: *summi puerorum amores sæpe una cum prætexta, sumpta toga, deponuntur.*

Constuprarit] satis erat dicere *stuprarit*; sed & sonum & rem illud *con* auget; ut in *consceleratus*, *contrucidare*. Ac video hunc

ſcriptorem verbis ita compoſitis delectatum; ut infra, *concerno*, *commonendo*, *concelebrare*.

De *Africæ* adminiſtratione, & de illius accuſatione hæc habentur apud Aſconium: *Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit, quam cum graviter vexaſſet, legati Afri in ſenatu, jam tum abſente illo, queſti ſunt: multæque graves ſententiæ in ſenatu de eo dictæ ſunt. Deinde cum rediiſſet ex Africa, accuſatus eſt repetundarum a P. Clodio adoleſcente, qui poſtea inimicus Ciceronis fuit: ſed eo judicio abſolutus eſt, infamia judicum; ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus eſt. Nam & rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur eſſe facta.* De hoc in orat. pro M. Cœlio: *Fuit aſſiduus mecum, prætore me; Non noverat Catilinam; Africam tum prætor ille obtinebat; ſecutus eſt annus; cauſſam de pecuniis repetundis Catilina dixit.* Sall. *Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere conſulatum quod intra legitimos dies profiteri nequiverit.* In orat. de Haruſp. reſponſis: *A Catilina Clodius pecuniam accepit, ut turpiſſime prævaricaretur.*

Et ea tu ſæpius legito] ut intelligas, ab hujuſmodi competitore eſſe tibi nihil timendum. Nam licet abſolutus ſit, ex teſtium dictis, qualis ſit, apparet. In orat. in toga candida: *In judiciis, quanta vis eſſet, didicit, cum eſt abſolutus; ſi aut illud judicium aut illa abſolutio nominanda eſt.*

Pag. 217. 218. *Tam egens ex eo judicio diſceſſit*] dum multa ad corrumpendos judices largitur. ſic de Clodio in orat. de haruſpicum reſponſis: *Niſi forte tibi ignotum putas, quod te judices dimiſerunt excuſſum & exhauſtum.* Diſcedere ex judicio, id eſt, dimitti a judicibus: orat. pro P. Quinctio: *Diſcedere ſuperiorem* divin. in Verr. *diſcedere cum ſcelere.* Et pro A. Cæcina: *Superiorem diſcedere.* Modum eſſe loquendi Græcum obſervavit P. Victorius, var. lect. lib. 5, cap. 2.

Quam quidam judices ejus ante illud judicium] videntur ii judices fuiſſe, quales qui Clodium abſolverunt, quos fames magis quam fama commoveret; ut eſt lib. 1, ep. 14, ad Att. De quibus illic etiam legitur: *Maculoſi ſenatores, nudi equites, tribuni non tam ærarii, ut appellantur, quam ærati.*

Deinde tam invidioſus] inviſus, quia corrupto judicio abſolutus ſit.

Ut aliud in eum judicium] Cic. in toga candida: *O miſer qui non ſentias, illo judicio te non abſolutum, verum ad aliquod ſeverius judicium ac majus ſupplicium reſervatum.* Item in Clodium. *Erras, Clodi; non te judices urbi, ſed carceri reſervarunt.* ep. 14, lib. 2. ad Att.

Ut aliud judicium] non quidem repetundarum, a quo jam abſolutus ſit, ſed corrupti judicii; quo damnari videntur potuiſſe & corrupti judices & corruptores eorum & ſequeſtres & interpretes & emiſſarii; ut eſt apud Aſcon. in divin. *Flagitetur autem & ardenter & ab omnibus.*

Hic

Hic se sic habet, ut magis] non timendum est, inquit, ut aliquid commoveat, & consulatum per largitionem adipisci paret. Nam tantum abest, ut contemnat accusationem, si aliquid hujusmodi tentarit; ut timeat, ne accusetur, etiam si nihil egerit.

Hic se sic] in nonnullis editum video, *res se sic habet*: quod nec improbo, nec tamen magnam mutandi caussam puto.

Quanto melior tibi fortuna] hoc exemplum eo adductum est, ut rationem petitionis, ob competitorum vitia, facilem probet.

Nuper] ante XXX. annos appellatur hic C. Cœlius Crassi æqualis, & homo ibidem novus, in I. de orat.

Ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat] erant, inquit, competitores, Cœlii nobilissimi homines; sed ita, ut non nobilitate sola eorum petitio niteretur, verum multo magis virtutibus ac diligentia: & tamen superior extitit Cœlius. Ex quo videre licet, quid sperandum sit Ciceroni, qui competitores habeat nobiles quidem, sed vitiis obrutos.

In iis omnia pluris essent] cetera omnia, præter nobilitatem, pluris æstimanda essent, quam ipsa nobilitas: hæc autem erant ingenia, pudor, beneficia &c.

Beneficia] in populum collata, propter quæ suffragatores propensiores haberent.

Tamen eorum alterum, cum deesset alter, Cœlius etiam cum multo] qui fuerint illi duo, quibuscum Cœlius consulatum petierit, quæri video. Ego ut de utroque respondere non possum, sic de altero nihil dubito, quin fuerit L. Domitius, qui cum eodem consul factus est: quem ideo superatum a Cœlio dixit, quoniam prior fortasse consul renunciatus sit: qui locus omnino erat dignior. Itaque numquam omittit Cic. dicere, se priorem ædilem, primum prætorem, priorem item consulem factum esse. Licet autem suspicari, Cœlium priorem renunciatum; quod & in fastis Capitolinis & apud Cassiodorum priore loco ponitur.

Cum deesset alter] hoc quid sit, ignoratur a multis; neque fortasse est adeo obscurum. Innuit ex duobus Cœlii competitoribus, unum abfuisse, quo tempore sunt lata suffragia. Ideoque non potuit dicere, utrumque a Cœlio superatum, sed unum tantum, cum alter deesset. Sed hoc verbum *deesset* non plane satisfacit; nam potius *abesset* dicendum fuerat. Arbitramur igitur legendum *decesset* per syncopen; id est, mortuus esset: quomodo correxit in hoc ipso verbo olim in ep. 20. lib. 5. fam. Paul. Manuccius: *quod jam depositis rationibus, ex provincia decessemus*. Et ut est apud Terentium, in prologo Heautontim. *Servo currenti in via decesse populum*. Atque hanc correctionem nostram probavit, sine dubitatione, Adamus Fumanus, vir longe judicio & integritate præstans, quem ego honoris caussa nominatum volo.

Quare si facies ea] epilogus hujus primæ partis de subsidiis novitatis.

Quæ potes, quæ debes] ad duo præcedentia verba respondent: *potes*, quia natura & studia largiuntur; *debes*, quia ratio temporis desiderat. Natura & studia simul juncta plurimum valent; ut ep. 31. lib. 10. fam. *Natura mea & studia trahunt me* &c. Tempus vero pro necessitate & præsenti negotio ponitur: sic in procemio lib. 2. off. *quantum superfuerat amicorum & reip. temporibus*: & in orat. pro Archia: *A nullius me umquam tempore aut commodo, aut otium meum abstraxerit* &c: Et infra: *si hoc tuo tempore non satisfecerint.*

Non erit difficile certamen cum iis competitoribus] scripti omittunt particulam *cum.*

Qui nequaquam sunt tam genere insignes, quam vitiis nobiles] quos quam extollit nobilitas, tam deprimunt vitia.

Nobiles vitiis] bene elegit vocabulum medium, nobile; quo significatur quidquid in re vel bona vel mala ita notum sit, ut excellat. Quare orat. 4. in Verr. dicitur, *facinus nobile*: & lib. 2. off. *nobilitata Phalaridis crudelitas.* Itemque, *nobilis meretrix, nobilis gladiator.*

Quis enim reperiri tam improbus] vix verisimile putat, ut aliquis eis suffragetur, quos reip. perniciosos fore intelligat.

Uno suffragio] non poterat quis una tabella utrisque suffragari. Nam in suffragiis ferendis, tot tabellæ quot erant candidati dabantur: sed idem est quod *unis comitiis*, & *uno tempore tabellis in cistam conjectis.* De quo more, Nic. Gruchius de comitiis.

Duas in remp. sicas distringere] per sicas, metonymice homines sicarios, id est, Catilinam & Antonium intelligit; qui quasi duæ sicæ essent futuri contra remp. si consules crearentur. Hic autem loquendi modus est etiam apud M. Cic. in orat. in toga candida: *Duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere*: in orat. 3. in Catil. *Gladios in remp. districtos retundimus.*

Quoniam igitur quæ subsidia] Transitio ad secundum hujus tractatus caput.

Consulatum petis] cum quadam emphasi hoc dictum est. Idem enim valet, ac si rem maximam diceret, quam summo etiam labore vix consequi possit. Id quod a Quincto consulto factum est, ut intelligat Cicero, eo majorem adhibendam diligentiam, quo res difficilior est. *Augeamus suspicionem, augebimus simul & diligentiam*, inquit, in orat. pro Marcel. Difficultatem vero duobus præcipue modis ostendit; & ex rei magnitudine, & ex adversantium studiis. Atque in hac ratione, duo genera hominum spectanda illi proponit; adversarios alios, a quibus caveat; alios amicos, quorum auxilio nitatur. De adversariis primum. Adversantur alii invidia impulsi; ut sunt consulares homines; consularibus familiis nati; novi homines prætorii; qui ægre ferant, Ciceronem tantum dignitatis adipisci: alii etiam ira, vel horum annorum consuetudine alienati, vel irati ob alias actas caussas; vel inimici, quia Pompeium ornet. Ne-

Nemo est, qui te non dignum arbitretur; sed multi qui invideant] simul spem, simul timorem injicit: neque enim potest non sperare, qui scit se dignum putari; neque non timere, qui putat sibi invideri: quamquam & in ipsa invidia est testimonium virtutis, cujus esse invidiam comitem dicunt; cum contra, ignavis nemo soleat invidere: ut est apud Plautum, in Bacchidibus.

Petis enim homo ex equestri loco, summum locum civitatis] tamquam antitheta ponuntur hæc, *equestri loco, summum locum*; ac si dicat; petis plus quam tibi videatur convenire; quod non ex summo summum petas.

Ex equestri loco] cujus pater eques fuerit, ipse in senatum primus lectus sit. sic 1. orat. in Rull. *quem equestri ortum loco consulem videt*: & quidem solus ex omnibus competitoribus; ut ait Ascon. in argum. orat. in competit. & orat. pro Cn. Plancio: *Mihi equitis Romani filio.*

Summum locum] id est, consulatum. Honorum enim populi finis est consulatus: ut in orat. pro Cn. Plancio. Infra iterum, summum locum appellat consulatum.

Atque ita summum, ut forti] hæc est invidiæ caussa. Ait enim Arist. lib. 2. Rhet. solere homines ei invidere, qui si voti compos fuerit, ac bene rem gesserit, ipsi dedecus suscipient.

Ut forti homini, diserto, innocenti] habebit enim, ubi virtutem suam ostendat, ex sententia Biantis: *Magistratus virum declarabit.*

Noli putare eos, qui sunt eo honore usi, non videre] Etenim honorum gradus summis hominibus & infimis sunt pares, gloriæ dispares. Itemque: *Est in virtute multis adscensus, ut is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum præstet*: pro Cn. Plancio.

Pag. 218. 219. *Tu, cum idem*] idem dixit genere neutro; cum ante *eo honore* dixerit: videbatur ergo dicendum, *eundem*: sed Latini sæpe sic solent: Terent. in Hecy. act. 3, sce. 1; *Tot meas injurias, quæ nullo umquam patefecit loco.* Cic. epist. 9. lib. 1. fam. *Tota vero interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus, in quo omnia dicta sunt libertate, animo maximoque.* Et ep. 8. lib. 2: *Nullis in aliis, nisi de reip. sermonibus versatus sum; quæ nec possunt scribi nec scribenda sunt.*

Eos vero, qui consularibus familiis nati] alterum genus invidorum, eorum est, qui putant, sibi magis quam Ciceroni, Consulatum deberi, quod sint ex parentibus nati, qui ante gesserint consulatum. Versatur autem præcipue invidia in iis, quæ homines appetunt, & putant convenire se habere. Arist. lib. 2. Rhet.

Consularibus familiis] in quibus consulatus fuerit. orat. pro Cn. Plancio: *Quæsisti utrum mihi putarem equitis R. filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari.*

Nisi qui admodum te amant] recte hos excipit. Nam qui amat, læ-

lætatur commodis & condolet incommodis ejus, quem amat: ut Arist. lib. 2. Rhet. invidus vero contra prorsus facit.

Etiam novos homines] caussa invidiæ in iis est ipsa honorum contentio. Nam, quoniam homines, cum competitoribus & rivalibus & omnino eadem expetentibus, de honore contendunt, fit, ut iis potissimum invidere necesse sit. Arist.

Novos homines prætorios] quasi dicat, qui tibi pares sunt: nam inter hos etiam viget invidia. Cic. 2. de orat. Invident homines maxime paribus aut inferioribus, cum se relictos sentiunt: illos autem dolent evolasse. & Arist. lib. 2: ubi de Stomach.

Nisi qui tuo beneficio juncti] ut propter beneficia te amare cogantur. Legitur autem & *juncti* & *vincti*, & utrumque recte: nisi rectius sit *victi*.

Jam in populo] uno verbo homines obscuros complectitur, qui & ipsi invideant: mox de iis, qui irati esse possint, agit.

Quam multi consuetudine horum annorum ab honoribus novis alienati] interpretantur nonnulli *ab honoribus novis*, pro *ab hominibus novis*, quibus honores darentur. Ego veram lectionem puto esse, *ab hominibus novis*: nam & *honores* pro *hominibus* durum est; & pro *hominibus* scribere *honoribus*, proclive fuit. Quæ sit autem horum annorum consuetudo, mihi non est compertum: nisi dicat, multos alienatos ab hominibus novis, propter Marium, novum hominem, & alios ejus generis, qui civiles dissensiones excitarunt, & insolenter se gesserunt. Et sane homines in divitiis & potentia novi insolentiores esse solent. Arist. lib. 2. Rhetoricorum.

Venire tibi in mentem, certo scio] hic interpungendum & subsistendum, contra quam in multis codicibus est: quod cum ita sit, in principio hujus sententiæ legendum videtur, *quam multi invidi sint*.

Esse etiam nonnullos tibi iratos] etsi enim monet Cic. lib. 2. off. *ut advertamus, ne, cum alios juvare velimus, alios offendamus*; tamen ibidem ostendit, *cogi nos interdum, vel invitos, aliquem offendere*. De iis iterum dicet, cum, quomodo placandi sint, quos læserit, dum contra eos pro amico diceret, docebit. Quod vero multos læsisset, dicit Dio, lib. 38. *Plurimos M. Cicero læserat; nec tantum apud eos, quibus profuerat, favoris habebat, quantum eorum, quos offenderat, animos a se abalienaverat.*

Jam illud tute circumspicito] tu ipse animadverte, me etiam nihil dicente.

Quod ad Cn. Pompeji] præcipue in suadenda lege Manilia, ut supra.

Te dedisti] Mannuccii liber scriptus, item alter, quem ab homine mihi amicissimo, & præstanti ingenio, & doctrina prædito, Frederico Cerruto accepi, *dedidisti* habet: quod tanto magis placet, quanto plus est *dedere* quam *dare*.

Num

Num quos tibi putes ob eam caussam] ipsemet Cic. in fine orat. pro L. Manil. *Tantum abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse videar, ut multas etiam simultates, partim obscuras, partim apertas, intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles, suscepisse.* De iis videtur intellexisse, ep. 2. lib. 1. ad Att. *Summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, adversarios honori nostro fore.* Etiam Ascon. Pedianus in arg. orat. in competit. dicit, *M. Crassum & C. Caesarem adjuvisse Catilinam & Antonium; ut Ciceronem consulatu dejicerent.*

Num quos tibi putes ob eam caussam esse amicos] lege sine interrogatione, & *amicos* pro *inimicos* explana; sicut in ep. 5. lib. 1. *fidem* pro *perfidia* ponit Cic. & Terent. in Andria, Act. 4, Scen. 6. *quam mihi sit facile atque utile*; pro *difficile* & *inutile*: idque comicum esse dicit Donatus.

Quamobrem cum & summum locum] epilogus utriusque rei, quae petitionem difficilem faciunt; ut mox tradat, quibus rationibus omnis difficultas evincatur. Nam gratis nihil acquiritur Epict. cap. 15. Summam autem se adhibuisse d ligentiam in omni munere candidatorio fungendo, testatur ipse Marcus, ep. 1. at Atticum.

Et petitio magistratuum] hic agere incipit tum de iis, per quos, tum a quibus adepturus est consulatum: de amicis nimirum, qui non suo suffragio solum, sed & pro eo prensandi opera, illum adjuturi sunt: tum de populi voluntate, qui suis suffragiis honorem ipsum demandaturus est: sed hoc posterius. In priori igitur illud servat, ut alios amicos, quos habeat, conservandos ac confirmandos dicat, alios comparandos. Atque in eis quidem, quos jam habet, id curandum, ut se ament carumque habeant: tantoque magis quo sunt conjunctiores.

In duarum rationum] hoc nomen *ratio* in hoc libello varias accipit significationes; quae suo quaeque loco considerandae sunt: sicut in ep. 1. & 2. ad Att. ubi quinquies positum observavimus.

Amicorum studia beneficiis & officiis] perfecta amicitia, cum multis esse non potest, ut ait Arist. lib. 8. de moribus. Cum igitur hic tam multos memoret, quos habere amicos oporteat, non de vera & perfecta amicitia haec dicta fuerint, sed de vulgari aut mediocri; quae tamen ipsa etiam delectat & prodest; ut ait Cic. in Laelio. Cognoscitur autem ex eo quod dicit, parta esse debere haec amicorum studia beneficiis, officiis &c. Nam cum amicitiae tres soleant esse caussae, honestas, jucunditas, utilitas; ut est apud eundem Arist. ea sola vera est amicitia, cujus conciliatrix est virtus: ut etiam Cic. dicit in Lael. at hic videtur tangere reliquas duas caussas, utilitatem nimirum & jucunditatem; propter quas etiam cum malis intercedere solet amicitia; licet hujusmodi amicitia, ex similitudine potius quam proprie amicitiae dicantur. Idem Arist. lib. 8. de moribus. Id quod non ignoravit

ravit Quinctus; cum dixit, amicorum nomen in petitione latius patere, quam in cetera vita. Hujusmodi amicitias Cic. ipse in ep. lib. primi ad Att. *ambitiosas fucosasque* vocat. Quæ sunt in splendore forensi fructum domesticum non habent. Quod vero de beneficiis & facilitate dicit, quibus comparantur studia amicorum, scripsit M. Cic. lib. 2. offic. *Benevolentiam beneficiis capi maxime, & fama, & opinione earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem.*

Parta esse oportet] sic infra. *quamquam partis & fundatis amicitiis fretum ac munitum esse oportet.*

Latius patet] plures complectitur; ad plures se effundit. Sic in 5. de finibus: *Nihil est tam illustre nec quod latius patet, quam conjunctio inter homines hominum.*

Quam in cetera vita] in qua non est amici nomine ullus appellandus, nisi variis modis de eo periculum sit factum: ex quo illud apud Arist. in eodem, de moribus: & M. Cic. in Læl. *Multos modios salis simul edendos esse*, ut amicitiæ munus expletum sit. Vide quiddam simile infra: *In ceteris molestiis, habet hoc tamen petitio commodi, ut possis honeste, quod in cetera vita non queas, quoscumque velis adjungere ad amicitiam.*

Quisquis est enim, qui ostendat aliquid] ex signis etiam levioribus; vult, ut quis amicus dicatur, licet ea ficta esse possint. Quamobrem illum paullo post monebit, ut caveat, ne facile omnibus credat. Atque hujusmodi homines, quos dicit eum colere; aut domum ad illum ventitare, sunt ii, quos deinde salutatores, deductores, assectatores vocat.

Sed tamen qui sunt amici ex caussa honestiore] Paullatim in angustum contrahit amicitiæ gradus. Nam primi aliquid tantum voluntatis ostendunt; secundi vero sunt necessitudine etiam conjuncti: tertio loco ponuntur domestici & vicini. Primis satis est tribuere, ut amicorum numero habeantur: alteris curandum, ut jucundi simus: a tertiis petendum, ut nos ament, & honori nostro maxime faveant.

Amici ex caussa honestiore] amicitia societas est quædam Arist. lib. 9. de moribus. Itaque in omni societate, amicitia aliqua reperitur. Arist. lib. 8. Ut igitur variæ sunt societatis caussæ hominum inter homines, sic variæ sunt amicitiæ. Nam & compotores & collusores & venatores & philosophi inter se amicos se esse dictitant. Alia igitur alia honestior: bene ergo dixit, honestiore caussa amicos esse, qui propter cognationem, quam qui propter salutationem tantum.

Sodalitatis] Sodalitatis nomen hoc loco, non consuetudinem aut convictum quendam voluptatis caussa significat, sed collegium: ut Jurisconsultus, de collegiis illicitis; *Sodales sunt*, inquit, *qui ejusdem collegii sunt.* Sodalitates autem hæ videntur, vel sacrorum vel alicujus negotiationis caussa constitutæ: ut in ea-

eadem lege est. Has in ambitu & comitiis plurimum valuisse, in hoc ipso apparebit; cum quattuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum sibi obligasse Ciceronem dicet. Atque ob id, de iis aliquando lex Licinia lata est, quæ de ambitu erat, ut in orat. pro Cn. Plancio.

Aut alicujus necessitudinis] quævis arcta sanguinis, amicitiæ, familiaritatis conjunctio, necessitudo dicitur. Unde illud fluxit; *quo cum mihi omnes necessitudines sunt*. ep. 12. lib. 13. fam. & in orat. pro P. Sextio: *M. Crassus, quocum mihi erant omnes amicitiæ necessitudines.* Itaque in orat. pro Q. Ligario, ubi legitur, *hæc ego novi, propter communes necessitudines, quæ mihi sunt cum L. Tuberone.* Pro *communes*, recte repositum est *omnes*: ut est etiam in meo lib. scripto.

His carum & jucundum esse] amat Cic. hæc duo nomina conjungere ad perfectam benevolentiam exprimendam; ut ep. 9. lib. primi, ad finem; & ep. 2. & 10. lib. 2; & 10. lib. 3. fam. ad finem.

Maxime potest] in scriptis legimus *prodest*: nec aliter legendum est; ut supra. Prodest quorum in locum pervenire velis.

Deinde ut quisque optimus & maxime domesticus] hic complectitur maxime conjunctos ac caros. Sed quid *optimo* cum *domestico*? Corrigo igitur, & pro *optimo* repono *intimus*: quo verbo ista summa conjunctio significatur; & fere intimus cum nomine domestico copulatur: ep. 1. lib. 3: *est ex meis domesticis atque intimis familiaribus*. ep. 1. lib. 1: ab intimis ac domesticis Pompeji.

Pag. 220. *Quisque fidelissimum esse te cupiat*] *fidelissimum* procul dubio corruptum est. Aliqui emendarunt *fidelissimus esse te cupiat*; nempe iste domesticus: hoc non placet. Aliqui etiam, *amplissimum esse te cupiat*; hoc melius: nisi malimus, *honestissimum esse te cupiat*; ut illud ep. 15. lib. 2. fam. *Cæsarem honestum esse cupio.*

Tum ut tribules] homines ex eadem tribu, a quibus amari laudabile erat; ut summa erat ignominia in petitione, tribum suam non ferre. Cic. in Vatin. *scias, te tribulium tuorum judicio notatum; nec post Romam conditam, præter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidisse.* Et paullo post: *Si te vicini, si affines, si tribules ita oderunt, ut repulsam tuam, triumphum suum duxerint.*

Tum ut vicini, ut clientes] si sic legatur, hæc pendent a verbo *cupiat*: sed si expungatur illud *tum*, quod abest a scriptis, subaudiendum est *sunt*. Atque illud *ut* erit expositio intimorum ac domesticorum: atque hæc planior videtur lectio.

Postremo etiam servitus] sic habent omnes libri, quos vidi: veram tamen correctionem puto, *servi tui.* Nam *servitus* pro *servis* nimis durum.

Nam fere omnis sermo] non fuit omittenda hæc ratio; quia absurdum videri posset, ut in petitione, carum se servis esse curaret.

raret. Est necessarium, inquit: nam servi de dominorum vita ac moribus disseminare sermones solent, ex quibus bona vel mala fama excitatur.

A domesticis emanat auctoribus] quippe quibus maxime creditur, quod omnium optime nos cognitos habeant: ex quo illud emanavit proverb. *domesticus testis*; de eo, qui facile nosse, & cujus testimonio fides haberi possit. Sic enim videtur interpretandum; licet de hoc in varias sententias scriptores discedant.

Deinde instituendi sunt] ad amicos, quos habet, alios atque alios, ex diversis hominum generibus, addendos dicit; eosque variis de causis. Tria igitur hominum genera ponit; quorum alii illustres sunt, licet privati, alii magistratum gerunt; alii gratia excellunt. Illustres dignitatem petitori afferunt; magistratus, ne fraus fiat, provident; gratiosi centurias conficiunt. Hæc est loci hujus sententia: sed ita erant corrupta verba & interpunctiones perturbatæ, ut elici commode non posset, nisi in eo ante alii laborassent.

Ad speciem, homines illustres] ad ornatum quendam exteriorem comparandum. sic loquitur M. Cic. tertia Verr. *Forum comitiumque adornatum, ad speciem, magnifico ornatu.* Cum his autem consentiunt illa, quæ dicuntur ad finem: *Tota petitio, cura, ut pompa plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis, ut habeat summam speciem ac dignitatem.*

Homines illustres] male in omnibus libris legebatur *hominis illustris*, secundo casu. Illustres honore ac nomine, qui magistratum gesserint; id enim valet honos: & ex illustri sint familia: nam nomen pro familia sæpe accipitur.

Suffragandi studia non navant] non enim patitur eorum dignitas, ut pro quibusvis populum rogent, nisi magna caussa urgeat: ut de Q. Metello Pio consule dicitur, qui prætoriis comitiis, petente Q. Calidio, pop. Romano supplicare non dubitavit; ut gratus in illum videretur, cujus lege Q. Metellus pater ab exilio revocatus esset. Cic. pro Plancio, & Val. Max. lib. 5, cap. 2.

Ad justitiam obtinendam] duriuscule dictum videtur *obtinere justitiam*. In veteribus libris, dicunt aliqui esse, *ad jus obtinendum*. Id si verum est, non dubito, quin ita legendum sit; sin secus, idem censeo, quod infra dixi, de restituenda gratia. Est autem *ad justitiam obtinendam*, ad impetrandum ut juste omnia in comitiis & suffragiis ferendis agantur, ne quid fraudis fiat. Id vero magistratus præstare poterant; & præcipue consules, qui centuriatis comitiis præerant; & tribuni etiam pleb. qui intercedendo poterant comitia dirimere. Nicol. Gruchius, lib. 2. de comitiis.

Deinde tribunos plebis] & hic interpungendum est, & legendum *tribuni*, nominandi casu, non accusandi. Nam pendent om-

omnia a primo verbo *instituendi sunt*; magistratus scil. consules, tribuni plebis; tum homines excellenti gratia.

Ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia] hic desinit tertium membrum. Homines excellenti gratia, hi sunt; quos gratiosos in suffragiis vocat: Cic. ep. 6. lib. 2. fam. Conficere autem alicui centurias, est efficere, ut centuriæ alicui in suffragiis faveant: sic ep. 16. lib. 2. fam. *mitte ad lupum; ut is nobis eas centurias conficiat.*

Qui tribuet centuriam] & hic locus male se habet, nec medium adhuc certum nactus est. *Qui tribuet* est in libris vulgatis; in scriptis, *qui abs te tribuniciam aut centuriam*: corrupte: sed sic emendandum; *qui abs te tribum jam aut centuriam.* Item sequentia non uno modo leguntur; sed omnino male: ergo ex scriptis sic emendari possunt; *aut aliquod beneficium aliud habuerunt, aut ut habeant, sperant, eos* &c. hoc nempe sensu; inter ceteros amicos, hos præcipue compara & confirma, qui abs te beneficium aliquod acceperint: & in hoc maxime genere, in quo tu eos tibi cupis gratificari, ut qui in suis petitionibus, olim aut tribum aliquam tributis comitiis, aut centuriam centuriatis, tua opera habuerint.

Aut ut habeant, sperant] in posterum; si jam ante non habuerint. Nam & paullo post: *Et spe reliquorum tuorum officiorum; & recentibus beneficiis* &c. Nam cum aliis de caussis ad suffragandi studium ducuntur homines, tum his duabus præcipue, beneficio & spe: ut ipsemet dicet. Sed jam omnia subscribam, prout legenda esse puto. Deinde instituendi sunt cujuscumque generis amici: ad speciem, homines illustres honore ac nomine; qui etiamsi suffragandi studia non navant, *tamen afferunt petitori aliquid dignitatis*: *ad justitiam obtinendum, magistratus; ex quibus, maxime consules, deinde tribuni plebis*: *ad conficiendum centurias; homines excellenti gratia. Qui abs te tribum jam aut centuriam aut aliquod beneficium aliud habuerint, aut ut habeant, sperant, eos prorsus magnopere compara & confirma.*

Nam per hos annos homines ambitiosi] ratio quædam hæc est; in qua inest argumentum a minori: si ambitiosi homines vehementer laborarunt, ut a suis tribulibus impetrarent quod peterent, quos verisimile est ultro favere debuisse; quanto magis laborandum est nobis, ut idem ab alienis hominibus illustribus & gratiosis obtineamus. *Per hos annos*, inquit, *quibus ambitus maxime ferveret, cum antea idem fieri non soleret.* Hocque significatur in 2. Philip. ubi est, *cum consulatus petebatur, non rogabatur.*

Vehementer omni studio] sic videtur dictum sine copula, ut illud, *vehementer, etiam atque etiam.*

Omni studio atque opere] aliquibus videtur parum latine dictum; *omni opere laborare*, & *opera* mallent: est omnino usitatius hoc; sed neque illud damnandum, nisi forte male locutum Teren-

tium putamus, cum dixit, *Thais maximo te orabat opere*, Eunuc. Act. 5, sc. 3; & Cic. ep. 7. lib. 13. fam. *quantoque opere*: aut aliud esse *omni opere* sejunctum, quam illa conjuncta, *summopere*, *magnopere*. Si quis tamen emendare cupiat *opera*, aut quod huic par est, *ope*, per me id faciat: licet Cic. ep. 14. lib. 14. ad Att. *omni ope atque opera enitar.*

Hos tu homines quibuscumque] concludit hanc partem, adjuncta brevi cohortatiuncula. In his autem verbis, si conjungamus *hos homines* cum verbo *laborato*, erit modus loquendi non probandus. Aut igitur, *hi tu homines*, legendum est; aut aliquid deest, veluti *nactus*, aut quid simile; ut sit, *hos tu homines nactus*: aut est genus locutionis, quod absolutum dicitur, quo usus est Terent. Cic. Virg. Vide Donatum, in sc. 1. act. 3. Hecy. *Ibi*: *Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labor, omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.*

Ut ex animo & illa summa voluntate] non ficte, non segniter agant, & illa cum emphasi, quæ in hujusmodi negotio desideratur.

Summa voluntate] ep. 9. lib. 1: *summa voluntate cesserit, & egregia animi alacritate absfuerit.*

Quod si satis grati homines essent] confirmat spem fratris, quod eum munitum videt iis amicorum præsidiis, quibus opus est: tum monet, quid & quomodo ab unoquoque exigat.

Hæc omnia] scripti, *illa omnia.*

Si satis grati homines] hæc in universum de omnibus hominibus dicuntur. Si vigeret in hominibus grati animi virtus.

Hæc jam parata esse debebant] nam, quod ad te attinet, tu ea fecisti, cur ea tibi comparare posses.

Parata esse concerno] placuit quibusdam mutare *concerno* in *confido*: ego a vulgata lectione non recedo, quæ est in scriptis. At *concerno* non facile invenias. Penes Quinctum sit hujus verbi defensio: nostrum non est mutare, quæ scriptoris sunt, sed exponere. Quasi non alia multa hujusmodi verba apud probatos scriptores habeantur; ne repetam illa, quæ jam sunt dicta ad verbum *constuprarit.*

Nam hoc biennio quattuor sodalitates] ratio, quod jam sibi illa paraverit.

Hoc biennio] Ascon. orationem pro Cornelio dictam refert, L. Cotta & L. Torquato cos. annum postquam superiores; id est, post orationes pro Q. Gallio & M. Fundanio habitas. Qui duo anni præcedunt annum petitionis Ciceronis.

Ad ambitionem gratiosissimorum] qui in ambiendo plurimum gratia valent. Ambitio hic non improbata ambitio est, sed simplex quoddam honorum studium, quod esse in hominibus politicis solet. Cic. de se epist. 15. lib. 1. ad Att. *Me ambitio quædam ad honorum studium duxit.* Item ep. 27. lib. 2. fam. *Ambitio nostra &*

vita

vitæ dissimilitudo non est passa voluntates nostras conglutinari.

Pag. 221. *M. Fundanii, Q. Galli*] de his orationibus, vide fragmenta Ciceronis, a Carolo Sigonio Romanæ antiquitatis instaurátore collecta. De ea pro Cornelio, apud eundem Sigonium & Asconium Pedianum. Anno postquam prætor fuerat Cicero, Cornelium defendit.

Cn. Cornelii] non Cn. sed C. prænomen fuit Cornelii: & C. est in duobus scriptis. De oratione pro L. Corvino, mentionem nullam vidi. Corvinus cognomen gentis Valeriæ: Corvus autem primum cognominatus est Valerius ille, qui, corvo favente, feliciter adversus Gallum pugnavit: de quo Livius lib. 7. Itaque putarunt docti quidam, ejus etiam posteros cognominandos esse corvos; sed sine caussa. Nam præterquam quod innumera sunt cognomina apud Romanos ita inflexa, ut Rufinus, Marcellinus, Longinus, Pætinus, Crispinus, a Rufo, Marcello, Longo, Pæto, Crispo; Fasti ipsi consulares & Poetæ etiam satis docent, Corvinos, non Corvos, dictos esse illos, qui a Valerio Corvo originem duxerunt. Horat. od. 11. lib. 3. Juvenal. Sat. 1.

Horum in caussis ad te deferendis] proprie locutus est. Defert enim caussam litigator ad patronum: recipit patronus, qui caussam defendendam suscipit. Deferri etiam dicitur ad prætorem, qui judicaturus est, ut ep. 58. lib. 13. fam.

Receperint & confirmarint] ut *recipere* plus est quam *promittere*: prout apparet, ep. 8. lib. 5. fam. ubi est, *tibi promitto ac recipio*: & ep. 10. lib. 13; sic videbitur plus *confirmare* quam *recipere*. Tamen Cic. ep. 12. lib. 6, & 28. lib. 13, diverso ordine posuit *confirmavit* atque *recepit*.

Scio: nam interfui] optima ratio ad faciendam fidem: ut illa ep. 18. lib. 10; *Ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus interfuerunt.*

Quare hoc tibi faciendum est] commonitio.

Quod debent, exigas] exigas, quia debent. Infra: *debent, quia tu defendisti, illi promiserunt.* ep. 1. ad Att. *Illi ita vulgo negant, ut mihi se debere dicant.*

Sæpe commonendo, rogando] vide diligentis hominis officium.

Confirmando] in eo, quod promiserunt.

Curando, ut intelligant] hæc est sententia, quam supra iterum vidimus, & paullo post post etiam habetur.

Habituros restituendæ gratiæ] video in nonnullis impressis libris, pro *restituendæ* positum *referendæ*: quod si ex antiquis codicibus sumptum est, admittendum censeo; sin certo alicujus judicio invectum, restituendum in suum locum *restituendæ*; non quin usitatius illud sit, sed quia standum est magis scriptoris judicio quam nostro, qui fortasse, variandi caussa, hanc formam dicendi innovavit; cum illa satis nota essent, *referre, reddere, rependere.*

Profecto homines, & spe reliquorum officiorum tuorum] nam Publius Mimographus inquit, *beneficia plura recipit, qui scit reddere.*

Etiam recentibus] *etiam* in omnibus legitur: sed illud *&*, quod est in membro præcedenti, exigit alterum *&*: quod quia unius tantum virgulæ superadjectione mutari in *etiam* potuit, suspicor potius *&* quam *etiam* legendum.

Recentibus beneficiis] monet hic locus, ut observemus, aliud esse *officium*, aliud *beneficium*: *officium* ejus videtur, qui antea obligatus, referendæ gratiæ caussa aliquid agit; *beneficium* ejus, qui benefaciendo alterum sibi devincit. Hæc differentia videtur observata in ep. 7. lib. 1. fam. *nostra defensio dignitatis tuæ, propter magnitudinem beneficii tui, fortasse plerisque officii majorem auctoritatem habere videatur, quam sententiæ.* Itidem ep. 23. lib. 10: *Opto, ut mihi liceat jam præsenti pietate meorum officiorum, tua beneficia tibi facere jucundiora.* Et separatim de utroque, ep. 5. lib. 5: *ego si abs te summa officia desiderem*: & 7. lib. 13: *homines honestissimos summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris.* Eadem etiam differentia supra agnoscitur; ubi de amicorum studiis agere incipit.

Ad studium servandum excitabuntur] non audeo, quod quidam faciunt, temere receptam lectionem mutare. *servare studium* non videtur hoc loco improprie dictum; imo maxime convenire: quia de illis loquitur, qui ante receperant, se illi esse fauturos. Est igitur tamquam *servare fidem*, & *servare promissum*. Quare nescio, cur in mentem alicui veniat legere *navandum studium.*

Excitabuntur] ut infra: *ad summum studium benevolos excitamus.*

Et omnino, quoniam eo genere amicitiarum] nihil non æquum præcipio, nihil non antea provisum. Accessisti ad petendum, fretus amicorum studiis, quibus in judicio adfuisti: utere ergo eorum opera, quam ad hoc præcipue tempus reservasti.

Eo genere amicitiarum] sine amicorum ope, nemo auderet petere: sed amicos non omnes eadem via sibi pariunt: Ciceronis amicitiæ caussarum defensionibus partæ erant: nam supra dixit, *quidquid es, ex hoc es.*

Initiata est] sic in uno scripto: in duobus est *nunciata*, corrupte. Alii emendarunt *munita.* Propius ad scripturam veterem accedit *initiata.* Quod verbum, licet sæpius de sacris dicatur, quid prohibet tamen ad cujusvis rei initium transferre. Muretus legit *innixa*: & hæc fortasse germana est lectio: nam & M. Tul. lib. & ep. 1, ad Att. *In quo uno ambitio nostra maxime nititur.*

Quod caussarum defensionibus] Philip. 7. *Omne, curriculum industriæ meæ in foro, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. Hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus.*

De

Descriptum & dispositum] distributum; ut unusquisque sciat, quid sibi faciendum sit. De qua distributione, infra suo loco pluribus agetur. *Descriptum* pro *distributum*; ut infra; & Horat. in Poet. *descriptas servare vices*: Cic. ep. 10. lib. 16. fam. *Italiæ regiones descriptæ sunt.*

Et, quemadmodum memini, quod] locus corruptus, & a M. Antonio Mureto sic emendatus, variarum lect. lib. 7. cap. 12: *Nemini ulla in re umquam molestus fuisti.* Libri etiam scripti habent *nemini.*

Ad hoc tempus reservasse] etsi officia meminisse debet is, in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit; ut in Lælio Cic. *Nec enim, ut idem in eodem inquit, benefici liberalesque sumus, ut exigamus gratiam; quod beneficium non feneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus*: tamen quia beneficium dare, docere est reddere; ut P. in Mimis; & sine iis mutuis officiis hominum societas servari non posset, ideo non iniquum est, cum egeas ab eo petere, de quo bene meritus sis, & ad illum excitandum, etiam fateri, te ab eo aliquid tale aliquando expectasse; eoque magis, si, ut mox subdet, qui nobis obligati erunt, ita rogabuntur, quasi iis vicissim nos obligari adhuc posse videamur.

Sed quoniam tribus rebus homines] dividit rationem parandæ benevolentiæ, de qua supra confusius egerat: & triplicem eam facit, aut in fructu præteritorum, aut in spe futurorum, aut in animorum similitudine. Illud interim sciendum, non esse eandem benevolentiam & amicitiam, licet amicitiæ principium sit benevolentia; nec eosdem benevolos & amicos: de quo vide Aristot. lib. 8. & 9. de moribus.

Vel voluntate] interpretatur, quid sit animi adjunctione adduci ad suffragandi studium, nempe voluntate, quod non utilitate ulla moveatur, sed libera quadam animi propensione: ideoque hoc genus studiorum voluntarium deinceps vocatur.

Quemadmodum cuique horum generi sit inserviendum] quomodo cum singulis agendum, ut eorum nobis studium comparemus. *Inserviendum* dicit, quod genus quoddam sit servitutis, tam variis voluntatibus, tam diversas ob caussas se accommodare. Cic. pro Murena: *Huic inservias, huic te ostentes oportet*: & pro Cn. Plancio: *Servire populo*: & in 1. off. *gloriæ cupiditatem, quæ eadem est, quæ & ambitio, eripere dixit libertatem.*

Minimis beneficiis] de prima ratione, eum bene sperare jubet, hoc argum. Si alii levioribus beneficiis sibi persuadent, obligasse sibi homines, ut suffragari debeant, quanto magis tu, a quo gravissima sunt beneficia profecta? Vult tamen eum ita rogare, quasi non gratiam repetat, sed ut si ipse obligandus esset.

Minimis beneficiis] dandis.

Ad studium suffragationis] promerendum.

Nedum ii, quibus saluti fuisti] Argum. ordo petebat, ut diceret, nedum tu sperare possis. Sed ad certiorem ejus spem ostendendam, invertit ac dixit; nedum homines, qui arte beneficium acceperunt, intelligant, quasi rem nimis apertam & claram, se ita tibi debere, ut non possint sine summa infamia tibi deesse.

Quibus saluti fuisti] quod est omnium beneficium maximum. Id vero caussarum defensionibus consecutus erat.

Et intelligant] etsi consentiunt scripti cum impressis, qui habent *& intelligant*; tollenda tamen videtur illa copula *&*: verbum autem cum præcedentibus conjungendum: de quo alii judicent.

Si hoc tuo tempore non satisfecerint] scripti amplius habent, *tibi non satisfecerint*: quod placet.

Se probatos nemini] quia ingrati habebuntur. Dixeris porro maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. Pub. Mimogra.

Quod cum ita sit] ut non possint hujusmodi homines honeste tibi deesse, tamen, ad evitandam arrogantiam, rogandi sunt; ne in mercedis, potius quam beneficii loco, quod petis numerare videaris: ut dicit Cic. ep. 6. lib. 2. fam.

Pag. 222. *In eam opinionem adducendi*] id est, illis persuadendum.

Ut qui nobis adhuc obligati] beneficiis nostris.

Iis vicissim nos obligari] ut non solum relatam nobis gratiam, sed quasi beneficio accepto, nos iis obligatos etiam putemus: ut fiat quod ait Geta Terent. *Adeo res rediit, si quis quid reddit, magna habenda est gratia.*

Qui autem spe tenentur] secundum hominum genus, qui aliquid a nobis sperant.

Multo est diligentius atque officiosius] quam ii, qui acceperunt beneficium. Recte sane. Dum enim aliquid cupiunt homines & expectant, nihil non promittunt, nihil non se facturos ejus caussa ostendunt, a quo expectant: ubi vero, quod optant, acceperunt, fit illud, quod aiunt; simul & missertum est, & interiit gratia. Ideo Cic. lib. 2. de orat. *Plus proficit, si proponitur spes utilitatis futuræ, quam præteriti beneficii commemoratio.*

Iis fac, ut propositum ac paratum auxilium] ut, quo certius sperabunt, eo diligentius laborent. Duo autem in hoc proponit, ut ostendatur auxilium paratum, & ut spectator credatur & existimator ejus, quod præstitum fuerit.

Esse videatur] hic est numerus, quo quia frequenter usus est in clausulis M. Cic. notatus est ab obtrectatoribus. Iteratur infra, ut fratrem Ciceronis agnoscas.

Spectatorem suorum officiorum] sic incenduntur milites in pugna, qui sese spectari a duce putant. Sallust. in Catil. *Quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properare.* Et Livius, lib. 20: *Testis spectatorque virtutis atque igna-*

via

via cujusque adest Scipio. Et Cæsar, lib. 1. bell. Gall. *Uti eos testes suæ quisque virtutis haberet.* Et lib. 1. bell. civil. *Sub oculis Domini suam probare virtutem studebant.*

Ut videre te plane atque animadvertere] tum ut sciant, se non præstitisse operam homini inscio, tum ut non audeant fucum facere: ita paullo post; *ut ipsi intelligant, te videre quid a quoque expectes.* Item; *Iis significato, te animadvertere.*

Tertium illud genus est studiorum voluntarium] eorum qui nihil acceperunt, nihil expectant, sed sola voluntate adducti nobis student. Hi quattuor rationibus confirmandi sunt; gratiarum actione, sermonum communicatione, paris animi significatione, spe familiaritatis.

Agendis gratiis] de eo, quod sua sponte ante egerint.

Accommodandis sermonibus] ut de iis rebus loquamur, quibus quisque capi videbitur. Ennius, amicum illum describens, omnium horarum hominem, apud Aul. Gel. lib. 12, cap. 14, ait, *Secunda loquens in tempore, commodus* &c.

Studiosus esse videbitur] qui studeat nobis, præstantia aliqua ductus, quæ in nobis, puta eloquentiæ, antiquitatis, aut alicujus rei similis; de ea libenter cum eo agamus, studio ejus morem geramus.

Significanda erga illos pari voluntate] sic enim confirmatur amicitia, efficiturque quod est in amicitia mutuum, cum par voluntas accipitur & redditur; ut est ep. 2. lib. 5. fam. Quamquam hic non tam reddi, quam significari oportere ait, quod hoc ad præsens tempus satis esse videatur.

Adducenda amicitia in spem] potest esse inter aliquos amicitia; non autem familiaritas: jucundior tamen fit familiaritate amicitia. Cic. pro rege Dejot. *Quocum mihi amicitiam resp. conciliavit, hospitium voluntas utriusque conjunxit, familiaritatem consuetudo attulit.* Hic non dissimulabo esse in scriptis *in speciem*: quod non puto esse omnino rejiciendum. Nam in hac tota ratione, non tam res ipsa spectatur, quam species & demonstratio quædam. Ideo ante, *ad speciem homines illustres.*

Atque in his omnibus generibus] conclusio cum præcepto, quomodo cum tam variis amicorum generibus agendum sit.

Judicato & perpendito] ordo videtur exigere, ut prius perpendamus, deinde judicemus: sed defendi sic potest, ut judicemus quid quisque possit, tum perpendamus & consideremus, quantum illud sit, multumne an parum petitioni nostræ conducat. Nisi forte dicamus, ea esse tamquam synonyma; ut in 3. de orat. *non arte* aliqua perpenditur; sed quodam quasi naturali sensu judicatur.

Quemadmodum cuique inservias] neque enim omnibus pari studio inserviendum est: sed quod jubet Cic. in primo offic. *ut in suscipienda actione animadvertatur, quanta illa res sit, quam afficere* ve-

Nedum ii, quibus saluti fuisti] Argum. ordo petebat, ut diceret, nedum tu sperare possis. Sed ad certiorem ejus spem ostendendam, invertit ac dixit; nedum homines, qui arte beneficium acceperunt, intelligant, quasi rem nimis apertam & claram, se ita tibi debere, ut non possint sine summa infamia tibi deesse.

Quibus saluti fuisti] quod est omnium beneficium maximum. Id vero caussarum defensionibus consecutus erat.

Et intelligant] etsi consentiunt scripti cum impressis, qui habent *& intelligant*; tollenda tamen videtur illa copula *&*: verbum autem cum præcedentibus conjungendum: de quo alii judicent.

Si hoc tuo tempore non satisfecerint] scripti amplius habent, *tibi non satisfecerint*: quod placet.

Se probatos nemini] quia ingrati habebuntur. Dixeris porro maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. Pub. Mimogra.

Quod cum ita sit] ut non possint hujusmodi homines honeste tibi deesse, tamen, ad evitandam arrogantiam, rogandi sunt; ne in mercedis, potius quam beneficii loco, quod petis numerare videaris: ut dicit Cic. ep. 6. lib. 2. fam.

Pag. 222. *In eam opinionem adducendi*] id est, illis persuadendum.

Ut qui nobis adhuc obligati] beneficiis nostris.

Iis vicissim nos obligari] ut non solum relatam nobis gratiam, sed quasi beneficio accepto, nos iis obligatos etiam putemus: ut fiat quod ait Geta Terent. *Adeo res rediit, si quis quid reddit, magna habenda est gratia.*

Qui autem spe tenentur] secundum hominum genus, qui aliquid a nobis sperant.

Multo est diligentius atque officiosius] quam ii, qui acceperunt beneficium. Recte sane. Dum enim aliquid cupiunt homines & expectant, nihil non promittunt, nihil non se facturos ejus caussa ostendunt, a quo expectant: ubi vero, quod optant, acceperunt, fit illud, quod aiunt; simul & misertum est, & interiit gratia. Ideo Cic. lib. 2. de orat. *Plus proficit, si proponitur spes utilitatis futuræ, quam præteriti beneficii commemoratio.*

Iis fac, ut propositum ac paratum auxilium] ut, quo certius sperabunt, eo diligentius laborent. Duo autem in hoc proponit, ut ostendatur auxilium paratum, & ut spectator credatur & existimator ejus, quod præstitum fuerit.

Esse videatur] hic est numerus, quo quia frequenter usus est in clausulis M. Cic. notatus est ab obtrectatoribus. Iteratur infra, ut fratrem Ciceronis agnoscas.

Spectatorem suorum officiorum] sic incenduntur milites in pugna, qui sese spectari a duce putant. Salluſt. in Catil. *Quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat.* Et Livius, lib. 26: *Testis spectatorque virtutis atque igna-*

via

via cujusque adest Scipio. Et Cæsar, lib. 1. bell. Gell. *Uti eos testes sua quisque virtutis haberet.* Et lib. 1. bell. civil. *Sub oculis Domini suam probare virtutem studebant.*

Ut videre te plane atque animadvertere] tum ut sciant, se non præstitisse operam homini inscio, tum ut non audeant fucum facere: ita paullo post; *ut ipsi intelligant, te videre quid a quoque expectes.* Item; *Iis significato, te animadvertere.*

Tertium illud genus est studiorum voluntarium] eorum qui nihil acceperunt, nihil expectant, sed sola voluntate adducti nobis student. Hi quattuor rationibus confirmandi sunt; gratiarum actione, sermonum communicatione, paris animi significatione, spe familiaritatis.

Agendis gratiis] de eo, quod sua sponte ante egerint.

Accommodandis sermonibus] ut de iis rebus loquamur, quibus quisque capi videbitur. Ennius, amicum illum describens, omnium horarum hominem, apud Aul. Gel. lib. 12, cap. 14, ait, *Secunda loquens in tempore, commodus* &c.

Studiosus esse videbitur] qui studeat nobis, præstantia aliqua ductus, quæ in nobis, puta eloquentiæ, antiquitatis, aut alicujus rei similis; de ea libenter cum eo agamus, studio ejus morem geramus.

Significanda erga illos pari voluntate] sic enim confirmatur amicitia, efficiturque quod est in amicitia mutuum, cum par voluntas accipitur & redditur; ut est ep. 2. lib. 5. fam. Quamquam hic non tam reddi, quam significari oportere ait, quod hoc ad præsens tempus satis esse videatur.

Adducenda amicitia in spem] potest esse inter aliquos amicitia; non autem familiaritas: jucundior tamen fit familiaritate amicitia. Cic. pro rege Dejot. *Quocum mihi amicitiam resp. conciliavit, hospitium voluntas utriusque conjunxit, familiaritatem consuetudo attulit.* Hic non dissimulabo esse in scriptis *in speciem*: quod non puto esse omnino rejiciendum. Nam in hac tota ratione, non tam res ipsa spectatur, quam species & demonstratio quædam. Ideo ante, *ad speciem homines illustres.*

Atque in his omnibus generibus] conclusio cum præcepto, quomodo cum tam variis amicorum generibus agendum sit.

Judicato & perpendito] ordo videtur exigere, ut prius perpendamus, deinde judicemus: sed defendi sic potest, ut judicemus quid quisque possit, tum perpendamus & consideremus, quantum illud sit, multumne an parum petitioni nostræ conducat. Nisi forte dicamus, ea esse tamquam synonyma; ut in 3. de orat. *non arte* aliqua perpenditur; sed quodam quasi naturali sensu judicatur.

Quemadmodum cuique inservias] neque enim omnibus pari studio inserviendum est: sed quod jubet Cic. in primo offic. *ut in suscipienda actione animadvertatur, quanta illa res sit, quam afficere*

velimus, neve minor neve major cura & opera suscipiatur, quam caussa postulet. Sic petitionis nostræ adjutoribus, pro cujusque merito, ita tribuere atque inservire æquum est.

Postules & expectes] postulare & expectare possis; expectare quod ab eis sponte fiat, postulare quod ipse exigas. M. Cic. ep. 5. lib. 2: *A te hoc civitas, vel omnes potius gentes, non expectant solum, sed etiam postulant.*

Sunt enim quidam] ratio, cur judicandum sit, quantum quisque possit; cum distinctione duorum generum hominum.

In suis civitatibus & municipiis] civitas nomen generale, ad omnes hominum cœtus jure sociatos; ut M. Cic. lib. 6. de rep. *municipium vero species civitatis, proprio quodam jure affecta, de quo dicetur.* Sic loquitur etiam in orat. pro Murena: *Graviter homines honesti, atque in suis civitatibus & municipiis gratiosi tulerunt.*

Sunt diligentes & copiosi] qui diligentia & copiis valent. Copiæ & divitias significant; ut in Læl. *opibus & copiis præditus*; & quantumcumque valemus auctoritate & gratia; ep. 2. lib. 4. ad Att. *hinc copiosus.*

Antea non studuerunt huic gratiæ] prensandi, petendi; in quo præcipue laboratur de retinenda & acquirenda hominum gratia.

Ex tempore elaborare] repente ad id aggredi, quod antea non fecerint.

Cui debent aut volunt] liber scriptus, *debent ac volunt*: ut illud ep. 75. lib. 13; *Cujus caussa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo.* Neque tamen τὸ *aut* reprobandum; quod possit quis non debere, & tamen velle.

Cui debent aut volunt] velle, cum casu dandi, pro favere, bene cupere: ut Cic. pro Cn. Plancio; *filio meo omnia malo quam mihi.* Sic verbum *cupio*: Terent. in Andria, act. 5, sc. 4; *vel quod ipsi cupio Glycerio.*

Iis hominum generibus] quorum alii gratiosi, alii diligentes sunt &c.

Ut ipsi intelligant] ita cum illis agas, ut possint intelligere.

Te videre quid a quoque] dilucida & expedita distributio: *videre* futura, ideo *expectes*; *sentire* præsentia, ideo *accipias*; *meminisse* præterita, ideo *acceperis*. Si intelligent, te videre, quid expectes, non licebit illis esse negligentibus; si sentire, quod accipias, non se operam perdere cognoscent; si meminisse, quod acceperis, lætabuntur officio, quod tibi homini memori præstiterint.

Sunt autem alii] diversum a superioribus genus.

Aut nihil possunt] auctoritate & gratia, apud tribules. Opponitur ad illud, *in suis civitatibus & municipiis gratiosi.*

Aut etiam odio sunt] qui obesse potius possint, quam prodesse: si quis, odio illorum, petitori, cui ipsi faveant, adversetur.

Nec habent tantum animi aut facultatis] ad illud *ex tempore laborare*

borare

borare facile possunt. Itaque homines nullius pretii esse prorsus ostendit, qui nec possint nec velint quidem aut audeant pro amico eniti & periclitari.

Hos internoscas] Bene *internoscas*; quasi malos a bonis: id enim valet, in lib. de amicitia, ad finem: *secerni blandus amicus a vero & internosci potest, adhibita diligentia.*

Et videto &c.] Variavit modum. Nam cum *internoscas*, modo conjunctivo, dixisset, mox *videto*, imperando, dixit. Etsi autem uterque modus idem significat, vim tamen majorem habet imperativus quam conjunctivus. *Videto* igitur, cum dicit, legem quandam præscribit, ac valde attentum facit fratrem ad eam observandam.

Ne spe in aliquo majore] majore quam ponenda esset.

Parum præsidii] quæsivit ornatum ex contrariis: *Multum spei, parum præsidii.* Fiet enim quod proverbio dicitur, *scipioni arundineo inniti; eritque præsidium ficulnum*; ut vulgo fertur.

Et quamquam partis] meminerimus agi in hoc loco de ea parte petitionis, quæ posita est in amicorum studiis, quæ parta jam esse oportere dixit. Iccirco transiturus ad eas amicitias quæ in ipsa petitione comparari possunt, breviter repetit, quod de partis jam dictum est.

Partis & fundatis] prius partis, deinde fundatis, id est, firmatis & stabilitis; quæ amicitiæ omnium optimæ sunt.

Oporteret] libri scripti habent *oportet*, modo indicativo; quod placet.

In ipsa petitione] cum utendum est studiis amicorum, tum tamen novi amici acquiruntur.

Nam in ceteris molestiis, habet hoc commodi] venusta oratio ex contrariis; ut ep. 9. lib. 1. fam. *In molestia gaudeo.* & 21. lib. 15: *in ea voluptate hunc accepi dolorem.*

Pag. 223. *Quod in cetera vita*] in ceteris vitæ partibus, aut ceteris obeundis muneribus; ut supra: *Latius patet, quam in cetera vita.*

Quoscunque velis] dum prensando ab iis petis, iis te vicissim offers.

Adjungere ad amicitiam] sic loquitur paullo post: homines adjungere atque invitare ad amicitiam.

Ut te utantur] ut te amicum habeant; ut tibi familiares esse velint.

Alio tempore] tanta vis est & loci & temporis. Cic. 1. off.

Absurde] nam inepta & impudens est sui venditatio, & suspecta etiam esse sæpe solet. Quare & Pythagoras dixit, *ne cuivis dexteram injeceris*; & Isocrates ad Dæmonicum, *tarde fias amicus.*

Nullus petitor] nullius pretii: sic ep. 3. lib. *nullus imperator fuit.* Liber Aldi non habet *esse.*

Ego tibi hoc] suadet a facilitate; & satis fidenter; *ego tibi confirmo.*

Nisi si aliqua] recte hi excipiuntur, quos verisimile est, necessariis suis potius quam aliis fauturos: itaque stultum est de his sperare.

Nisi si] Terentianum est: ut in Andria; *nisi si*; id est, quod suspicor.

Si contenderis] diligenter egeris; vehementer petieris.

Ut suo beneficio] suo suffragio tibi præstito.

Se ut ames, sibi ut debeas] quis enim non cupiat a summo viro amari, eundemque sibi devinctum?

Modo intelligat] scripti habent *modo ut.*

Te magni æstimare] amicitiam illorum scilicet. Bene autem addit has cautiones, ut sciat quomodo agendum. Nam quis velit beneficium suum profundere ac perdere?

Ex animo agere] a superiori, *te* repetendum, *ex animo agere.* Non simulare: quod tali tempore fere fit.

Bene se ponere] apud hominem gratum collocare beneficium. sic infra; *Apud quos optime poni arbitraretur.* Cic. ep. 55. lib. 13: *Quam bene positurus sis studium tuum.* Idem valet, *præclare ponere.*

Non fere ex eo brevem & suffragatoriam] qualis solet esse inter eos, qui suffragiorum caussa tantum amici facti sunt. Hujusmodi amicitiæ temporariæ appellantur, apud Senecam, ep. 9. lib. 1.

Nemo erit] non solum dicit, impetraturum Ciceronem facile, quod petet; sed homines ipsos eam occasionem libentissime amplexuros, ut cum Cicerone amicitiam constituant.

In quo modo aliquid virtutis sit] nam cum eadem in te sit, facile contrahet amicitiam virtus: ut Cic. in Læl. *si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet & adjungat.*

Amicitiæ tecum constituendæ] id est, conciliandæ. Sic locutus aliquando est M. Tul. lib. 2. de finibus: *si utilitas amicitiam constituet.* Hic noster iterum: Quoniam de amicitiis constituendis.

Præsertim cum id tibi] unus scriptus liber habet, *cum hic tibi casus*: quod non æque placet.

Uti tecum petant] videtur illud *uti* disjungendum, & legendum *ut ii*; ut sit ad quod respondeat τὸ *quorum*: id quod etiam vidit M. Ant. Muretus.

Quorum amicitia aut contemnenda aut fugienda] duo dicit contra duos competitores: alterum in Antonium, alterum in Catilinam. Sic M. Cic. in orat. in toga candida: Quem enim aut amicum habere potest is, qui tot cives trucidavit; aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se judicio æquo certare posse. *Contemnenda* igitur ad alterius sordes; *fugienda* ad alterius scelera refertur.

Quod ego te hortor] facere scilicet. Nisi velimus sic dictum, ut

ut illud, *quod te oro*, in prima orat. in Catil. *certe est, quod te jam dudum hortor.*

Non modo non assequi, sed ne incipere] id est, tentare: quod minus est. *Incipere* autem proprie dicimus *magna*. Donat. in Terent.

Nam quid incipiat Antonius] excurrit ad probandum, quod proposuit, facilius esse Ciceroni, quam competitoribus, amicos adjungere. Et, cum de duobus proposuerit, de uno tantum probat; ut, quod in altero sit probatum, facilius in altero credatur. Nam si nihil poterit ille cujus amicitia contemnenda, multo minus ille, cujus etiam fugienda.

Per se suo nomine appellare] amicitiæ initium, cognitio; cognitionis signum, appellatio proprii nominis. *Per se* autem dicit; quia multi in petendo utebantur nomenclatoribus: licet lex esset, quæ candidatos uti nomenclatoribus vetaret; ut dicit Plutarch. in Catone minore: quam Cato unus aliquando servavit; ut idem inquit: sed non esse semper servatam docet Cic. in orat. pro L. Murena: *Quid? quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis ac decipis. Nam si nomine appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est, eos notiores esse servo tuo, quam tibi.* De hoc intelligit Horat. ep. 6: *mercemur servum, qui dictet nomina.* Valet autem ad benevolentiam conciliandam, suo nomine cives appellare: in quo commendatur Themistocles, Cyrus, alii. Vide Val. Max. Ideo infra de populari ratione dicit; *primum, id quod facis, ut homines noris, significa.*

Quem studiosum tui] enallage personæ. Cum de Antonio loquatur, ad Ciceronem sermonem accommodat: quod eleganter factum est.

Mihi quidem nihil] homines enim, cum alicui inserviunt, ne operam videantur perdere, se cognosci ab iis cupiunt, quibus inserviunt; sicuti & qui ulciscuntur, sciri volunt ab iis, quibus molestiam exhibuerunt, qui sint. Arist. lib. 2. Rhet.

Tui] secunda persona pro tertia: ut Terent. And. sc. 1. *Nam si illum objurges.*

Eximiam quandam] si qui sunt, quibus homines etiam ignoti & nullis beneficiis affecti operam navent, honoribus eorum studeant, ii sunt, in quibus est singularis aliqua dignitas, & de quibus est eximia quædam opinio: ut cum Scipio & Marcus absentes, consules creati sunt; ut cum alii etiam inviti. Hæc igitur cum in Antonio non sint, & cum ille homines non norit, ad suam amicitiam invitare neminem poterit.

Nullis suffragantibus meritis] cujus merita nulla extent, quibus adducti homines illi suffragentur.

Pag. 224. *Namque ut homo iners*] cum talis igitur sit Antonius, turpe esset, te ab eo vinci, prout gloriosum est ab inimico præstanti superari. Hæc conjunctio *namque* non videtur con-

convenire. Alii, *ut quidem*, legunt: mihi placeret *itaque.*
Iners] sine arte: cum contra Cicero eloquentiam haberet.
Sine officio] minime officiosus: qualem facile agnoscas in epistola M. Tullii ad illum, quæ est 5. lib. 5. fam.
Cum infamia] propter eas caussas, quas jam exposuit.
Nullis amicis septus] qui expleant, quod illi deest. Parum igitur timendum ab eo, qui & ipse infamis sit & nullos amicos habeat: ut ep. 1. ad Att. *Qui sic inopes ab amicis & ab existimatione sunt.*
Septum & munitum amicis] translationes & pulchræ & frequentes.
Hominum plurimorum] libri scripti & aliqui ex impressis legunt *hominem*; quod probo: ut mutuo sibi respondeant *homo septus*, *hominem munitum*: sicuti & illa, *nullis amicis*, & *plurimorum studio*: item illa, *cum infamia*, *& omnium bona existimatione.*
Præcurrat] superet in petitione. Translatio a cursoribus, sicuti, *tuorum honorum cursus cui suspectus umquam fuit?* ep. 2. lib. 3. fam. & ep. 1. ad Att. *Vides in quo cursu sumus.*
Sine culpa negligentia] non illum plus te valuisse, sed te illo negligentiorem fuisse dicerent.
Quamobrem omnes centurias] adjungendos esse amicos in universum ostendit, & quomodo fieret, docuit. Nunc de singulis ordinibus distincte: & primum de iis, qui in urbe, tunc de iis, qui extra. In urbe igitur complectendi senatores, equites ceterique gratiosi, tum principes collegiorum & pagorum.
Omnes centurias] quia consulatus, ut & reliqui magistratus majores, comitiis centuriatis, id est, majoribus, creabantur; ideo centuriarum fit mentio. Nam cum populus Romanus universus, a Servio Tullio rege, in sex classes distributus esset; ut est apud Livium, lib. 1; classes autem in centum & nonaginta tres centurias, censu & ætate distinctas, singuli cives ita suffragia ferebant, ut, quem cujusque centuriæ cives plures consulem fecissent, is ab ea centuria factus diceretur. Singularum autem centuriarum suffragia, pro uno suffragio habebantur: & licet nomen centuriæ a centum ductum sit, tamen cum singulæ classes ex censu cujusque certum haberent numerum centuriarum, licet longe plures aut pauciores numero essent cives in unaquaque classe, quam ferret justus numerus centuriarum, non tamen eorum suffragia plura ducebantur, quam numerus centuriarum, quæ in ipsa classe essent: itaque, ut dixi, una centuria unum erat suffragium; sicuti & tributis comitiis, uni tribui unum suffragium erat concessum. Dionysius Halicarnasseus, Antiquit. Rom. lib. 4.
Confirmatas habeas] ad tui studium. *Confirmatas* autem dicit, quasi quæ per illum jam essent paratæ, amicorum studiis essent confirmandæ. Supra: *Eos prorsus magnopere compara & confirma.*
Primum id quod ante oculos] tangit tres ordines præcipuos civium

vium Romanorum; Senatorium, Equestrem, Plebejum. Primum Senatores ponit; quia ordo ille amplissimus ac summus in urbe erat: ideoque dicit, *ante oculos est*: tum equites: demum ceteros homines ex plebe.

Ceterorum hominum] etsi omnes libri sic habent, tamen suspicor legendum, *ceterorum ordinum*. Nam illa repetitio, *ceterorum hominum*, *navos homines*, insulsa est. Neque novum videatur, cum dixerimus, tres fuisse ordines Romæ, positis duobus, in tertio dicere, *ceterorum ordinum*. Siquidem in ipsa plebe, non unus erat hominum ordo, id est, gradus seu condicio, sed plures. In antiquis monumentis appellatur ordo scribarum, ordo præconum & viatorum, itemque alii. Denique sic locutus est Cicero pro Rabirio perduel. reo: *quid de equitibus Romanis dicemus, qui tum una cum senatu salutem reip. defenderunt? quid de tribunis ærariis ceterorumque ordinum hominibus?* Et pro lege Manilia: *Publicani suas rationes* & copias in eam provinciam contulerunt; deinde ceteris ex ordinibus, homines navi & industrii. Hæc cum jam pridem scripsissem, vidi sic etiam a Lambino emendatum.

Navos homines & gratiosos] non quosvis, sed navos, id est, industrios; & gratiosos, qui gratia valeant. *Navos*, alias *gnavos*. Vide Festum.

Complectere] mirus est in variando. *Complectere*. Ad amicitiam adjunge: sume: habe.

Multi homines urbani] alias, homines urbani sunt culti, elegantes, politici. Hic homines de plebe urbana; quales mercatores, artifices, libertini, & similes; qui in tribubus urbanis suffragium ferebant, quæ erant minus honestæ quam rusticæ. Plin. lib. 18, cap. 3. De his Livius, lib. 4; Q. Fabius omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit. In has etiam aliquando libertini redacti sunt: ut epitoma 20. Livii.

Multi libertini] etsi non optimum jus in civitate habebant: ut qui in quattuor tribubus urbanis censerentur, quod frustra in rusticas migrare sæpe tentassent; tamen si qui essent gratiosi & industrii, ii poterant prodesse.

In foro namque versantur] ut scribæ, mercatores, institores, argentarii, magistratuum apparitores. De quibus vide Car. Sigon. lib. 2. de jure civium Romanorum.

Namque] omnes impressi ita habent: scriptus, *navique*; quod non dubitandum est, quin rectum sit.

Quos per te] sine alterius opera.

Per communes amicos] ut per Atticum jam alios conciliare sibi studuit; ad quem sunt illa, lib. primo, epistola prima: *Illam manum tu mihi cura, ut præstes.* Et ep. 2. *Ad eorum voluntatem mihi conciliandum, maximo te mihi usui fore video.*

Per communes amicos] sic loquitur Cicero, ep. 2, lib. 5. fam.

Cura, ut tui cupidi sint] supra: *si adduxeris, ut ii qui volunt, cupiant.*

Appetito] studiose petito; idque per te. Infra etiam, *cognoscas, appetas, confirmes.*

Allegato] missis communibus amicis. Supra: *Rogandi sunt diligenter, & ad eos allegandum.*

Summo beneficio te afficere ostendito] eos scilicet; quod non positum, tamen est intelligendum. Est vero amphibologia, quæ per passivum tollitur: id est, te ab iis affici: ut docet Quinctil. lib. 7, cap. 10. Itaque etiam hoc loco *afficit* legit Lambinus. Hæc sententia infra; *cura ut intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari.*

Deinde habe oratores urbis totius] hæc lectio primo adspectu plausibilis videtur; quia oratorum maxima esset gratia in urbe: verum quia agit hoc loco Quinctus de variis civium ordinibus, atque infimorum quidem; oratorum autem nomen non ordinem certum significat, sed peritiam quandam dicendi, quæ in summis infimisque hominibus æque esse potest; ideo & verbum illud *oratores* mihi semper fuit suspectum, & non possum non probare correctionem illorum, qui, *habeto rationem urbis totius*, legunt. Nam cum antea Quinctus locutus sit per tempus futurum, *appetito*, *allegato*, *ostendito*, etiam verisimile est dixisse *habeto*. Facillimum autem fuit librario, ex *habeto rationem*, facere, *habe oratores*. Præterea ratio etiam id persuadet; ut, cum, de plebe agens, primum eos, qui in foro versantur, posuerit, paullatim se ad alias urbis partes extendat: prout demum etiam extra urbem egreditur: sed illud addendum, ut legamus etiam *collegiorum*, secundo casu, & jungamus cum eo *omnium*; deinde subdamus *pagorum*, *vicinitatum*, per asyntheton.

Collegiorum omnium] de collegiis dictum supra.

Pagorum] pagi erant castella quædam in locis editis, quo se agrestes homines, ubi incursiones subitæ hostium fierent, recipiebant, a Ser. Tullio in agro Romano constituti: ut Dionys. Halicar. lib. 4. *Eorum incolæ, pagani dicti, in plebe urbana numerabantur, quia in urbanis tribubus censerentur.* De iis M. Tullius in orat. pro domo sua: *Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani, quoniam plebi quoque urbanæ majores nostri conventicula & quasi concilia quædam esse voluerunt.*

Vicinitatum] locorum vicinorum. M. Cic. orat. pro Sex. Roscio. & pro A. Cluentio: *Non solum municipii, sed etiam regionis illius & vicinitatis facile princeps.*

Ex iis principes] si ad ordines superiores referas, viros primarios intellige: si ad collegia & pagos, accipiendum est de pagorum & collegiorum magistris qui sic dicti sunt, quia magis ceteris possent. Fest. Pomp.

Ex

Ex iis principes] facta enim principum plerique studiose imitantur. M. Cic. 1. offic. & lib. 3. de legibus. *Permulti imitatores principum existunt.* Hinc, *mobile mutatur semper cum principe vulgus.* Claudianus de 4. consulatu Honor.

Postea totam Italiam] egreditur jam ex urbe & agro Romano, & universas Italiæ partes, quæ jus suffragii habent, prout & in civitate fecit, complectitur; jubetque, ut eas in animo comprehensas habeat; tum ut perquirat & confirmet homines, qui sibi faveant: facileque id illum posse, si apta ad id oratione utatur.

Postea totam Italiam] jus civitatis R. toti aliquando Italiæ, id est, municipiis, coloniis, præfecturis, fœderatis civitatibus, foris, conciliabulis, variis temporibus variisque legibus, datum est: ut probat pluribus Car. Sigon. in lib. de antiq. jure Italiæ.

In animo ac memoria] in animo distributam, in memoria comprehensam: licet comprehendere animo & memoria apud M. Ciceronem sæpe sit.

Ne quod municipium] quod uno verbo dixit, nunc per partes distribuit. Nomina civitatum Italiæ ex jure ducta sunt, municipia, coloniæ, præfecturæ, fœderata opida, fora, conciliabula. Sig. lib. 2. de jure Ital. sed tangit tria tantum prima, quia illa majora sunt. Sic Cic. pro P. Sextio: *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, quæ non honorificentissime decrevisset de salute mea.* Et Philip. 2: *Omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.* Municipia erant opida jure civium Romanorum donata: Coloniæ erant opida, quo P. R. cives suos ad incolendum deduxerat: in quo differant hæc inter se, A. Gel. lib. 16. Præfecturæ autem erant opida in Italia, in quæ Romani quotannis præfectos mittebant, qui jus dicerent; a quo onere libera erant municipia & coloniæ, quæ suis magistratibus utebantur. Vide eundem Sig.

Locum ne quem] hoc ad reliquas partes; ut sunt conciliabula, fora.

Firmamenti satis] ad suffragationem. *Habere parum firmamenti*: orat. pro A. Cluent.

Perquiras] sicuti loca habere nota debet, ita homines ipsorum locorum; non omnes quidem, sed eos, qui prensandi officio pro eo fungi possint.

Perquiras & investiges] verba significantia. Prius *perquiras*, tum *investiges*. Quærendo enim investigatur, id est, invenitur. Terent. in Heauton. act. 4, sc. 1. *Nihil tam difficile est, quin quærendo investigari possit.*

Cognoscas] Bono ordine infra; *hi cognoscendi primum sunt.*

Appetas] supra.

Civitatibus] placet, quod est in scriptis, *vicinitatibus.* Nam & supra *vicinitatum* mentionem fecit.

Qua

Quasi candidati] notum est, candidatos dictos, qui magistratum petebant, a toga candida, quam eo tempore gestabant. Hic ergo dicit, *quasi candidati*, ut qui pro te petunt.

Volent te amicum] supra; *neminem esse, a quo non facile impetres.* ut item; *nemo erit, qui hoc tempus sibi oblatum amicitia tecum constituenda.*

Si suam a te amicitiam] nam, ut dicit Seneca, *invitis nemo libenter dat*; lib. 3, cap. 13. de ben.

Pag. 225. *Id ut intelligant*] te expetere amicitiam. Supra; *modo intelligant, te magni æstimare.*

Oratione, qua ad rationem] qua utendum petitionis tempore. Significat autem orationem blandam; quam necessariam esse petitori, dicit infra.

Homines municipales] in negotio alioqui laborioso, nititur ostendere esse facilitatem, si diligentiam adhibeat; atque ideo bene esse sperandum. Agit igitur de municipalibus per se, & per comparationem competitorum; eosque primum cognoscendos dicit, tum spem utilitatis illis ostendendam.

Municipales rusticani] sic Verr. 3. *Homines rusticani ex municipiis.* Rusticani autem, quasi dicat, simplices: ut contra, urbani, astuti, ab ἀστῦ, quod urbem significat.

Nomine tantum noti] quæ levis est amicitia. Quare Horat. de amico illo importuno, Sat. 9, lib. 1, *notus mihi nomine tantum.*

Nomine tantum noti] aliqui addunt *si* & *sint*: sine quibus etiam integra est sententia.

In amicitia] alii legunt *in amicis.* Nescio cur mutandum sit, cum & illud latine dictum: ut *esse in clientela, in fide*: & ita habetur in libris scriptis.

Si vero etiam præsidii se aliquid sibi constituere putant] si, dum tibi inservierint, præsidium in te aliquod constituere putabunt, quod te sibi obligaverint; sententia patet: video tamen ab aliis mutatum; *præsidii in se aliquid tibi constitutum esse putent*; diverso prorsus sensu: utrum bene necne, judicent alii. Ego puto; hos homines spectaturos potius, ut sibi constituant in Cicerone præsidium, quam ut in se Ciceroni constitutum putent. Infra: Multi spe præsidii tui teneantur. Postremo his duobus membris, *nomine tantum noti*: *etsi vero etiam præsidii* &c. respondent duo, quæ sequuntur: *Tu nosti*, & *ut consequatur spes utilitatis.*

Promerendi] ut suo merito sibi debeas: ut dixit supra.

Hos ceteri, & maxime] jam per comparationem rem faciliorem ostendit: quod fecit etiam antea.

Ne norunt quidem] si non norunt, non sperandum est, ut eos sui studiosos habeant; prout paullo ante probavit.

Tu & nosti & facile cognosces] plus est cognoscere quam noscere. Terent. in Eunuch. act. 5, sc. 4: *Meretricum ut mores posset noscere, mature, ut cum cognorit.* Ibi Donatus: *Cognoscere plena perspicacia est.*

Sine

Sine queis] pro quibus : id est, plena & perfecta cognitione. *Queis* pro quibus etiam ep. 9. lib. 10. ad Att. Mirandum autem est cur, cum in omnibus scriptis, non his solum de petitione, sed Virgilianis, & epistolarum ad Att. libris, quos ipse viderim, & in antiquis etiam lapidibus, *quis* pro quibus, i simplici scriptum sit, neque ulla apud Grammaticos, qui de hoc nomine scribunt, diphtongi sit mentio; nostris tamen temporibus cum diphtongo scribatur.

Neque id tamen] nosse tantum de facie aut nomine.

Tametsi magnum] est enim initium amicitiæ; ut dictum est.

Sed ut consequatur] videtur deesse verbum *oportet*: nisi sine verbo ita exponamus; *magnum est, sed ita, ut consequatur*. Alii legunt, *si non consequatur*.

Spes utilitatis] amicitia non spe mercedis, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetenda est. M. Cic. de amicitia: *Sed nomen amicorum in petitione latius patet, quam in cetera vita.*

Consequatur spes utilitatis] Cicero in Lælio; *multa & magna utilitates consecuta sunt.*

Nomenclator solum] qui nomen noverit : sed & amicus, qui amet, & cum opus sit, inserviat amico. De nomenclatione mox plura dicentur: nunc de nomenclatore hoc tantum; Mirari me, cur quidam antiquitatis amatores *nomenculator* malint, quam *nomenclator*, cum sic habeant libri scripti; cum Carisius ex Verrio referat, sine *u* dici debere, quasi nominis calator; cum apud Græcos, unde hoc nomen sumptum est, sic habeatur ὀνομακλήτωρ; ac demum in monumentis antiquæ urbis legatur, *T. Pomponius repentinus nomenclator*.

Propter suam ambitionem, qui apud tribules suos] hoc provocabulum *qui*, ab aliis motum loco est, & positum ibi, *qui propter suam ambitionem*: sed certe sine caussa. Nam quid prohibet, quin & hoc loco quadret, *qui apud tribules suos?* cum præsertim Quinctus ipse delectetur his trajectionibus : ut supra; *parentum prope in gremiis*, & item illa, *adolescentulorum ad amicitiam ætas*.

Propter ambitionem] supra; *hominum ad ambitionem gratiosissimorum*.

Gratia possint] lego *possunt*: nam in altero membro est, *qui valent*. Gratia & auctoritate posse, ep. 9, lib. 6. fam.

Et ceteros] qui minus quidem, sed tamen aliquid valent.

Propter municipii rationem] id est, ob aliquod munus in municipio curatum.

Cupidos tui] vide varietatem : *studiosos habebis, cupidos constitueris*. ep. 12. lib. 6. fam. *Tui studiosissimum, mei cupidum*.

In spe optima] dicimus, *esse bona spe*; ep. 28. lib. 12. &, *esse in magna spe*; ep. 19. lib. 13.

Equitum centuria] Ser. Tullius, cum P. R. in classes & centurias divisit, ex iis alias equitum, alias peditum esse voluit. Fue-

runt autem equitum centuriæ decem & octo: & primæ ad suffragium ferendum vocabantur. Livius, lib. 1. Hactenus igitur de peditibus, nunc de equitibus. De iis, eodem fere ordine, quo & antea de aliis. Primum ostendit, facile esse, ut habeantur: Caussæ porro duæ; quia juvenes, quia sequentur ordinis equestris auctoritatem: tamen agendum cum iis diligenter; tum quomodo, quamque varius sit futurus fructus, docet.

Primum cognoscendi] sine notitia amicitia esse non potest; ut dictum est: ideo hoc præcedat oportet: semper igitur fere id inculcat.

Multo enim facilius] ratio necessaria; quia breviter admodum dixerat, *cognoscendi, deinde adipiscendi*; ut si nullo negotio id fieri posset. Multo enim facilius, inquit, adolescentulorum ætas ad amicitiam adjungitur, quam ceterorum hominum, cum quibus, & per communes amicos agendum est, & spes utilitatis ostendenda. Atque hoc dictum est ex doctrina Arist. lib. 8. de moribus; ubi ait, juvenes celeriter & amicos fieri & amare desinere.

Deinde habebis] suo loco omnia sunt posita: cum cognoveris &, id quod facile est, adeptus fueris, tum tecum habebis. hæc cum ita sint connexa, ut ostendi, & ita legantur in libris impressis & scriptis, Lambinus tamen inverso ordine hæc duo membra edidit, ut priore loco ponat, *deinde habebis tecum*: tum subjiciat, *multo enim facilius*.

Habebis tecum optimum quemque & studiosissimum humanitatis] qui te adjuvent in petitione. In iis autem duo requirit potissimum, bonitatem & humanitatem; quibus commendari adolescentes solent. M. Cicero pro Cœlio: *Sed ego Atratino humanissimo atque optimo adolescenti ignosco.*

Pag. 226. *Tum autem quod equester ordo*] correctio hujus loci extat apud Corradum in Quæstura, hoc modo: *Tum autem quod equester ordo tuus est, sequentur illi hujus auctoritatem ordinis.* Neque aliter prorsus legendum est. Nam in vulgata lectione, videbantur collocati equites in ordine diverso ab equestri; & equester ordo secuturus esse partem sui, id est, equites; cum potius secus esse debeat.

Equester ordo tuus est.] Ut in principio: *Habes omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem.*

Tuus est] hic loquendi modus, qui ad popularem maxime accedit, frequens est apud Latinos. Terent. Andr. sc. ult. *Tuus est nunc Chremes.* Plane, ep. 24. lib. 12. fam. *Me proprie tuum esse, tibi persuadeas.* Et M. Cic. ep. 8. lib. 15; necesse est, ut sim *totus vester.*

Sequentur illi hujus ordinis] illi equites sequentur auctoritatem hujus ordinis equestris; ut pars totum sequi solet.

Si abs te adhibebitur diligentia] si curabis, ut non solum totum

tum ordinem in universum amicum habeas, sed præcipue has centurias.

Voluntate] illa animi propensione, quæ est universo ordini communis.

Sed etiam singulorum amicitiis] ut singulari alicuius amici opera & gratia magis ac magis confirmentur.

Jam studia adolescentulorum] hi sunt diligentiæ fructus.

In suffragando] ipso comitiorum tempore: ut in caussa Clodiana; *cum dies venisset rogationis*, inquit M. Cicero, lib. 1. ad Att. *concursabant* barbatuli juvenes, & populum, ut antiquaret, rogabant.

In obeundo, in nunciando] si tuo nomine adire aliquem velis, eique aliquid nunciari. *Obire* pro *adire*, sæpe apud veteres. Vide Festum Pomp. infra: *cum obeunt plures competitores.*

In assectando] de officio assectationis, mox videbimus. *Magna* vero, quod studia hæc dicit, ad suffragandum refer; *honesta* ad assectandum, quia magnam afferunt dignitatem.

Et quoniam assectationis] quoniam in petitione utendum est amicis, non solum in suffragio ferendo, verum in plurimis aliis officiis, ut paullo ante tetigit, ideo facta mentione assectationis, arripit occasionem agendi pluribus de iis ipsis. Dividit igitur in tres species; *salutatorum*, qui domum veniunt; deductorum, qui comitantur ad forum; *assectatorum*, qui usque sectantur. Atque in salutatoribus quidem officium illorum levius esse dicit: sed ostendendum tamen, id esse gratissimum, quod id utile futurum sit.

Et quoniam mentio] modus connectendi. Sic de claris oratoribus; *Et quoniam Stoicorum est facta mentio.*

Cujusque generis] nobilium, ignobilium.

Ordinis] patriciorum & plebeiorum.

Ætatis] adolescentium, seniorum. Supra. *instituendi sunt cujusque generis amici.*

Utare] libri duo scripti habent, *utare frequentia*: quæ vox non est in impressis; & fortasse desideratur: licet verbum *utare* referri etiam possit ad assectationem.

In ipso campo] Martio; ubi magistratus creabantur. Dictum, per ellipsim, ut ep. 30. lib. 7. fam.

Virium] si enim multi te assectabuntur, indicium erit, te multos habiturum fautores. Quare valde etiam ad rem pertinere dicit, ut semper sit cum multitudine. Non dissimilis est illa sententia in orat. pro Murena; *ex vultu candidatorum conjecturam faciunt, quantum quisque animi & facultatis habere videatur.*

Hujus autem rei] divisio.

Una salutatorum] quibus primæ duæ diei horæ tributæ erant. Martialis, lib. 4, *prima salutantes, atque altera detinet hora.* De hoc M. Cic. ep. 20. lib. 9. *Mane salutamus domi bonos viros.*

runt autem equitum centuriæ decem & octo: & … m.
fragium ferendum vocabantur. Livius, lib. 1. … um offi-
de peditibus, nunc de equitibus. De iis, e… caverant,
quo & antea de aliis. Primum ostendit, fa…
tur: Caussæ porro duæ; quia juvenes, … imi ad Att.
equestris auctoritatem: tamen agendum…
quomodo, quamque varius sit futurus … men videatur

Primum cognoscendi] sine notitia a… n maximis.
dictum est: ideo hoc præcedat o… p. 28. lib. 2. fam.
inculcat. … *ssa.*

Multo enim facilius] ratio nec … *e plane, atque animad-*
dixerat, *cognoscendi, deinde adi*… : *sic enim libentius agunt.*
ri posset. Multo enim facil… bis utitur; *significare, osten-*
ad amicitiam adjungitur, c… uam *ostendere*; ut etiam in se-
bus, & per communes a… ificamus. Ut Ovid. lib. 5, eleg. 2,
ostendenda. Atque hoc … *significanda mihi. Ostendere* autem
moribus; ubi ait, juv… & contra tendere, sed etiam verbis.
finere.

Deinde habebis] fr… cis; ut ep. 1, lib. 4. fam. *Ostendi, me esse*
&, id quod facile… nt. in Adelphis, sc. 2, act. 1. *Te plura pecca-*
cum ita sint cor… *et*, probabo.
pressis & script…] aperte. Posuit ergo in medio, quod utriusque
bra edidit, u…
jiciat, *mult*…] hoc igitur ex hac diligentia consequitur.

Habebis … *eunt*; supra.
qui te ad… *animadvertat*] sciant, se ea non profundere.
mum, …] totos uni in perpetuum.
cente…] verba ex militia, supra.
mo … *atim*] paullatim: adverbium, quo sæpe Lucretius uti-
F… lib. 5; *Inde minutatim processit ferreus ensis.* & Virg. lib. 3.
ex…

… *communibus proprii*] jam enim dixit, *deserunt ceteros.* Com-
…s & proprii antitheta sunt. Cic. de Senect. *Non proprium se-*
…tis vitium, sed commune valetudinis. & ep. ult. lib. 4: *Non de-*
…propriam postulare, aut communem recusare.

Ex fucosis] id est, simulatis, non veris. Sic, *fucosæ amicitiæ*, ep. 16. libri primi ad Att.

Jam illud] alterum, quod in salutatoribus observandum, illud est, ne nos quidquam sensisse de alicujus voluntate, ostendamus, etiam si sciamus, eum decipere nos velle: immo etiam caussam nullam esse suspicandi de illo, affirmemus. Præterea in deductoribus ostendendum, carum esse eorum officium; & cum iis descendendum aliquando ad forum.

Fucum facere] Proverbium: id est, artificiosis verbis deludere, aliud pro alio venditare: ut, qui oris colorem, a naturali diversum, pigmentis mentiuntur. Huic contrarium est illud, *sine fuco & fallaciis*, ep. 1. lib. 1. ad Att.

Ut

-*udisse*] ab aliis.

-r te.

-: si hoc tamen illud satis exprimit: nam Te-
-nxit, sc. 1. And. *Dissimulatum amorem & ce-*
-m eum facere, quod proverbio dicitur,

-qui sui animi sunt sibi conscii. Te-
-*scio quid peccati portat hæc purgatio.*
-esponsio; nec dubitasse, nec du-

-te est: *nec debere dubitare*, quod ab illo
-o. Potest autem quis non dubitare, etiam

-. *Qui se non putat satisfacere*] excusationem suam
-e. *Satisfacere.* verbis se excusare: Ep. 12, lib. 8. fam.
-*sfaceret quidem.* & ep. 13. lib. 7; *Nec satisfactionem meam*

Amicus esse nullo modo potest] ut qui timet, ne iniquo in illum animo simus. Huc refer quæ de amico scribit Seneca, ep. 3. lib. 1: *Fidelem si putaveris, facies. Multi fallere docuerunt, dum timent falli: & illi jus peccandi suspiciendo fecerunt.*

Scire autem] ita dissimulandum est, ut tamen demus operam, ut perspectum cujusque animum habeamus. Supra: *Perpendito, quid quisque possit, ut scias, & quid a quoque expectes.* & paullo post: *Ne spe in aliquo majore posita, præsidii parum comparetur.*

Jam deductorum officium] alterum hominum genus, qui *deductores* dicti sunt; quod senatores domo deducerent reducerentque: quod præcipuum erat munus clientum erga patronos, & juvenum etiam erga natu majores, quo die senatus habebatur: ut Val. Max. lib. 2. Erat mos etiam deducere candidatos in campum. Ut M. Cic. ep. 1, lib. 2, ad Att.

Quo majus est] *quo* habent scripti; *quod* impressi; non bene.

Quam salutatorum] quod illi post salutationem discedunt: deductores comitantur & reducunt.

Quoad ejus fieri poterit] quantum licuerit. Sic loquitur Cic. ep. 2. lib. 3; & 8. lib. 5. fam. & alii. *Ejus* autem per παρέλκον additum est; ut observat Budæus in commentario linguæ Græcæ.

Descendito] ad forum; ut supra.

Magnam affert opinionem] apud populum.

Dignitatem] quod attinet ad tuam personam.

Quotidiana in deducendo frequentia] ut multi; & quotidie te domo deducant.

Tertia est] de assectatoribus. Hi, quoniam plurimum possunt, ideo pluribus de iis agitur: horum alii voluntarii, alii debent: hi si possint, nobiscum sint; si non possint, alios constituant.

runt autem equitum centuriæ decem & octo: & primæ ad suffragium ferendum vocabantur. Livius, lib. 1. Hactenus igitur de peditibus, nunc de equitibus. De iis, eodem fere ordine, quo & antea de aliis. Primum ostendit, facile esse, ut habeantur: Caussæ porro duæ; quia juvenes, quia sequentur ordinis equestris auctoritatem: tamen agendum cum iis diligenter; tum quomodo, quamque varius sit futurus fructus, docet.

Primum cognoscendi] sine notitia amicitia esse non potest; ut dictum est: ideo hoc præcedat oportet: semper igitur fere id inculcat.

Multo enim facilius] ratio necessaria; quia breviter admodum dixerat, *cognoscendi, deinde adipiscendi*; ut si nullo negotio id fieri posset. Multo enim facilius, inquit, adolescentulorum ætas ad amicitiam adjungitur, quam ceterorum hominum, cum quibus, & per communes amicos agendum est, & spes utilitatis ostendenda. Atque hoc dictum est ex doctrina Arist. lib. 8. de moribus; ubi ait, juvenes celeriter & amicos fieri & amare desinere.

Deinde habebis] suo loco omnia sunt posita: cum cognoveris &, id quod facile est, adeptus fueris, tum tecum habebis. hæc cum ita sint connexa, ut ostendi, & ita legantur in libris impressis & scriptis, Lambinus tamen inverso ordine hæc duo membra edidit, ut priore loco ponat, *deinde habebis tecum*: tum subjiciat, *multo enim facilius*.

Habebis tecum optimum quemque & studiosissimum humanitatis] qui te adjuvent in petitione. In iis autem duo requirit potissimum, bonitatem & humanitatem; quibus commendari adolescentes solent. M. Cicero pro Cœlio: *Sed ego Atratino humanissimo atque optimo adolescenti ignosco.*

Pag. 226. *Tum autem quod equester ordo*] correctio hujus loci extat apud Corradum in Quæstura, hoc modo: *Tum autem quod equester ordo tuus est, sequentur illi hujus auctoritatem ordinis.* Neque aliter prorsus legendum est. Nam in vulgata lectione, videbantur collocati equites in ordine diverso ab equestri; & equester ordo secuturus esse partem sui, id est, equites; cum potius secus esse debeat.

Equester ordo tuus est.] Ut in principio: *Habes omnes publicanos, totum fere equestrem ordinem.*

Tuus est] hic loquendi modus, qui ad popularem maxime accedit, frequens est apud Latinos. Terent. Andr. sc. ult. *Tuus est nunc Chremes.* Plane, ep. 24. lib. 12. fam. *Me proprie tuum esse, tibi persuadeas.* Et M. Cic. ep. 8. lib. 15; necesse est, ut sim *totus vester.*

Sequentur illi hujus ordinis] illi equites sequentur auctoritatem hujus ordinis equestris; ut pars totum sequi solet.

Si abs te adhibebitur diligentia] si curabis, ut non solum totum

tum ordinem in universum amicum habeas, sed præcipue has centurias.

Voluntate] illa animi propensione, quæ est universo ordini communis.

Sed etiam singulorum amicitiis] ut singulari alicuius amici opera & gratia magis ac magis confirmentur.

Jam studia adolescentulorum] hi sunt diligentiæ fructus.

In suffragando] ipso comitiorum tempore: ut in caussa Clodiana; *cum dies venisset rogationis*, inquit M. Cicero, lib. 1. ad Att. *concursabant* barbatuli juvenes, & populum, ut antiquaret, rogabant.

In obeundo, in nunciando] si tuo nomine adire aliquem velis; eique aliquid nunciari. *Obire* pro *adire*, sæpe apud veteres. Vide Festum Pomp. infra: *cum obeunt plures competitores.*

In assectando] de officio assectationis, mox videbimus. *Magna* vero, quod studia hæc dicit, ad suffragandum refer; *honesta* ad assectandum, quia magnam afferunt dignitatem.

Et quoniam assectationis] quoniam in petitione utendum est amicis, non solum in suffragio ferendo, verum in plurimis aliis officiis, ut paullo ante tetigit, ideo facta mentione assectationis, arripit occasionem agendi pluribus de iis ipsis. Dividit igitur in tres species; *salutatorum*, qui domum veniunt; deductorum, qui comitantur ad forum; *assectatorum*, qui usque sectantur. Atque in salutatoribus quidem officium illorum levius esse dicit: sed ostendendum tamen, id esse gratissimum, quod id utile futurum sit.

Et quoniam mentio] modus connectendi. Sic de claris oratoribus; *Et quoniam Stoicorum est facta mentio.*

Cujusque generis] nobilium, ignobilium.

Ordinis] patriciorum & plebeiorum.

Ætatis] adolescentium, seniorum. Supra. *instituendi sunt cujusque generis amici.*

Utare] libri duo scripti habent, *utare frequentia*: quæ vox non est in impressis; & fortasse desideratur: licet verbum *utare* referri etiam possit ad assectationem.

In ipso campo] Martio; ubi magistratus creabantur. Dictum, per ellipsim, ut ep. 30. lib. 7. fam.

Virium] si enim multi te assectabuntur, indicium erit, te multos habiturum fautores. Quare valde etiam ad rem pertinere dicit, ut semper sit cum multitudine. Non dissimilis est illa sententia in orat. pro Murena; *ex vultu candidatorum conjecturam faciunt, quantum quisque animi & facultatis habere videatur.*

Hujus autem rei] divisio.

Una salutatorum] quibus primæ duæ diei horæ tributæ erant. Martialis, lib. 4, *prima salutantes, atque altera detinet hora.* De hoc M. Cic. ep. 20. lib. 9. *Mane salutamus domi bonos viros,*

Virg. 2. Georgic. *Mane salutantum totis vomit ædibus undam.*

Qui magis vulgares] minoris pretii: & ideo deductorum officium majus, quam salutatorum dicet: nam hi, ubi salutaverant, discedebant.

Ad hanc consuetudinem] salutandi. Cic. ep. 16. lib. primi ad Att. *Cum bene completa est domus tempore matutino.*

Hoc ipsum minimum officium] licet minimum, tamen videatur gratissimum: nam sperant, multo gratiores fore in maximis.

Qui domum tuam venient] ut te salutent; ut ep. 28. lib. 2. fam. *Veni consulis Antonii sæpe domum, salutandi caussa.*

Significato, te animadverte] supra: *te videre plane, atque animadvertere, quantum ab unoquoque proficiscatur*: *sic enim libentius agunt.*

Et eorum amicis ostendito] tribus verbis utitur; *significare, ostendere, dicere*: *significare* minus est quam *ostendere*; ut etiam in sequentibus: nam nutu etiam significamus. Ut Ovid. lib. 5, eleg. 2, de tristibus; *Per gestum res est significanda mihi. Ostendere* autem non solum oculis objicere & contra tendere, sed etiam verbis. M. Cic. plurimis in locis; ut ep. 1, lib. 4. fam. *Ostendi, me esse dicturum.* Et Terent. in Adelphis, sc. 2, act. 1. *Te plura peccare ostendam*; id est, probabo.

Sæpe ipsis dicito] aperte. Posuit ergo in medio, quod utriusque commune est.

Sic homines] hoc igitur ex hac diligentia consequitur.

Obeunt] adeunt; supra.

Hæc officia animadvertat] sciant, se ea non profundere.

Dedunt se] totos uni in perpetuum.

Deserunt] verba ex militia, supra.

Minutatim] paullatim: adverbium, quo sæpe Lucretius utitur, lib. 5; *Inde minutatim processit ferreus ensis.* & Virg. lib. 3. Georg.

Ex communibus proprii] jam enim dixit, *deserunt ceteros.* Communes & proprii antitheta sunt. Cic. de Senect. *Non proprium senectutis vitium, sed commune valetudinis.* & ep. ult. lib. 4: *Non debes propriam postulare, aut communem recusare.*

Ex fucosis] id est, simulatis, non veris. Sic, *fucosa amicitia*, ep. 16. libri primi ad Att.

Jam illud] alterum, quod in salutatoribus observandum, illud est, ne nos quidquam sensisse de alicujus voluntate, ostendamus, etiam si sciamus, eum decipere nos velle: immo etiam caussam nullam esse suspicandi de illo, affirmemus. Præterea in deductoribus ostendendum, carum esse eorum officium; & cum iis descendendum aliquando ad forum.

Fucum facere] Proverbium: id est, artificiosis verbis deludere, aliud pro alio venditare: ut, qui oris colorem, a naturali diversum, pigmentis mentiuntur. Huic contrarium est illud, *sine fuco & fallaciis*, ep. 1. lib. 1. ad Att.

Ut te id audisse] ab aliis.

Aut scire] per te.

Dissimules] celes: si hoc tamen illud satis exprimit: nam Terent. utrumque conjunxit, sc. 1. And. *Dissimulatum amorem & celatum indicat.* Vult autem eum facere, quod proverbio dicitur, *Cretiza cum Cretensi.*

Si quis tibi se] ut solent, qui sui animi sunt sibi conscii. Terent. Heauton. act. 4, sc. 1: *Nescio quid peccati portat hæc purgatio.*

Affirmes, te de illius] duplex responsio; nec dubitasse, nec dubitandi caussam esse.

Nec dubitasse] quod in te est: *nec debere dubitare*, quod ab illo nulla præbeatur occasio. Potest autem quis non dubitare, etiam si caussa oblata sit.

Pag. 226. 227. *Qui se non putat satisfacere*] excusationem suam veram probare. *Satisfacere.* verbis se excusare: Ep. 12, lib. 8. fam. *Ne cui satisfaceret quidem.* & ep. 13. lib. 7; *Nec satisfactionem meam accipis.*

Amicus esse nullo modo potest] ut qui timet, ne iniquo in illum animo simus. Huc refer quæ de amico scribit Seneca, ep. 3. lib. 1: *Fidelem si putaveris, facies. Multi fallere docuerunt, dum timent falli: & illi jus peccandi suspiciendo fecerunt.*

Scire autem] ita dissimulandum est, ut tamen demus operam, ut perspectum cujusque animum habeamus. Supra: *Perpendito, quid quisque possit, ut scias, & quid a quoque expectes.* & paullo post: *Ne spe in aliquo majore posita, præsidii parum comparetur.*

Jam deductorum officium] alterum hominum genus, qui *deductores* dicti sunt; quod senatores domo deducerent reducerentque: quod præcipuum erat munus clientum erga patronos, & juvenum etiam erga natu majores, quo die senatus habebatur: ut Val. Max. lib. 2. Erat mos etiam deducere candidatos in campum. Ut M. Cic. ep. 1, lib. 2, ad Att.

Quo majus est] *quo* habent scripti; *quod* impressi; non bene.

Quam salutatorum] quod illi post salutationem discedunt: deductores comitantur & reducunt.

Quoad ejus fieri poterit] quantum licuerit. Sic loquitur Cic. ep. 2. lib. 3; & 8. lib. 5. fam. & alii. *Ejus* autem per παρέλκον additum est; ut observat Budæus in commentario linguæ Græcæ.

Descendito] ad forum; ut supra.

Magnam affert opinionem] apud populum.

Dignitatem] quod attinet ad tuam personam.

Quotidiana in deducendo frequentia] ut multi; & quotidie te domo deducant.

Tertia est] de assectatoribus. Hi, quoniam plurimum possunt, ideo pluribus de iis agitur: horum alii voluntarii, alii debent: hi si possint, nobiscum sint; si non possint, alios constituant.

Exigendum vero id hac ratione, quod nullo alio tempore gratiam referre melius possint.

Tertia est] pars scilicet a superioribus.

Assidua] qui adest, assiduus dicitur. Varr. & assiduitas pro jugi officio comitandi. M. Cic. pro Dejotaro: *Prabere assiduitatem alicui.*

Quos voluntarios] nullo beneficio tuo.

Te summo beneficio] supra: *Te summo benefitio affici ostendito.*

Qui autem tibi:] tuo beneficio.

Ab iis plane] aperte: ut paullo post; plane ab iis postulato.

Exigo] quia debitum: supra.

Qui per atatem ac negotium] duo sunt enim impedimenta; si senes sint, & si occupati, ut assectari nequeant. Non sunt ab amicis petenda quæ præstare nequeunt.

Necessarios suos constituant] qui referant eorum personam M. Cic. *Dare vicarium, & succedere vicarium muneri alterius*, dixit.

Valde ego] redit ad initium. ex ipsa copia conjectura fieri poterit: ut supra.

Et ad rem] necessarium putat, ut multos secum habeat: honestum vero, ut ex iis præcipue quos defendit.

Affert laudem & dignitatem] supra etiam, *opinionem & dignitatem*: laudem apud populum, dignitatem tibi.

Qui a te defensi] apparebit enim, qualis vir sis. Dicit autem prius, *qui defensi sunt*; deinde, *qui servati*; quod non omnes, qui defenduntur, iidem servantur.

Ut quoniam] honesta caussa.

Nulla impensa] erat enim lex Cincia de donis & muneribus, adversus eos, qui pretio caussas oravissent. De qua meminit Cornelius Tacitus, lib. 13. & 15. M. etiam Cic. in 2. offic. dicit, *in moribus patriis fuisse, ut oratores caussas gratuito defenderent.*

Rem honestam] M. Antonius Muretus legit *honestatem*: idque probari video. Erit autem *honestas* honor seu æstimatio; ut pro Rabirio Posthumo, *si honestate spoliatum audierit.* Ac tangit tria illa præcipue, quæ solent hominibus esse carissima, & de quibus in judiciis sæpe disceptant: *dignitatem*, *salutem*, *opes*; quorum alia in aliis judiciis, interdum omnia uno in judicio in discrimen veniunt: ut pro Rabirio perduel. reo; *In hac defensione capitis, fama, fortunarum omnium.* Ad quæ tria respexisse arbitror Curium, in ep. 29. lib. 7. fam. cum dixit; *quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur.* Ponit vero primo loco honestatem, ut quæ præferri ceteris rebus soleat. Nam inventi multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent; iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent: ut lib. 1. off. *Conjungit demum salutem ac fortunas, quod fere iisdem in judiciis, & de salute & de fortunis hominum agi soleret.* Ep. 8. lib. 6; *Ejus salutem & fortunas tueri.* Et

pro

pro P. Sextio: *De capite civis & de bonis proscriptio ferretur.*

Nec aliud ullum] supra. *Ut intelligant, nullum tempus aliud se umquam habituros restituendæ gratiæ.*

Hoc te officio] si grati esse velint. M. Cic. pro Murena. Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. Quod licet non magnum sit, ipsa opportunitate fit magnum: ut est in Græcorum sententiis: ὡς μέγα τὸ μικρὸν ἐστιν ἐν καιρῷ δοθέν.

In unaquaque præceptione, alia traduntur, quæ facere, alia quæ cavere oporteat: Hactenus de amicis & amicorum studiis parandis; nunc, quid in his cavendum sit, docet. Multos esse amicos fictos, qui illi invideant. Videat igitur, ne temere credat.

In amicorum studiis] quæ est prior ex duabus partibus, in quas divisit rationem petendi.

Fraudis atque insidiarum] sententia apud scriptores frequens. Virgil. lib. 4. Æneid. *Nusquam tuta fides.* Et Terent. in Adelphis, ac. 3, sc. 2; *Quid credas jam, aut cui credas?* & in And. *Nullane in re esse homini cuiquam fidem?*

Plena sunt omnia] sic M. Cic. ep. 22. lib. 9; *Stultorum plena sunt omnia*: & in orat. *Invidis referta sunt omnia.*

Non est hujus temporis] occurrit, cur non det præcepta, quibus dignoscat amicum a simulatore. Non est, inquit, hujus temporis tractare.

Quibus rebus benevolus & simulator] hoc tractat. justo volumine Plutarch. Et Maximus Tyrius sermone quarto.

Summa tua virtus] nihil amabilius virtute. Cicero de amicitia: *Sed improbi quidam, cum virtutem oderint, tamen simulant se amare; timentes publicum odium aut pœnam.*

Pag. 228. *Et invidere*] hanc esse sui sæculi labem, dixit M. Cic. orat. pro Cornelio Balbo: *Virtuti invidere.* Sed ego sæculorum omnium hoc malum esse arbitror. Themistocles quidem etiamnum adolescens cognoscebat, se nihil splendide gessisse, quod sibi adhuc nemo invideret: ut Plutarch. de invidia & odio: & Livius, lib. 48, cæcam esse invidiam, dixit, nec quidquam aliud scire, quam detrectare virtutes.

Quamobrem Ἐπιχάρμειον] Epicharmus fuit poeta comicus ex Sicilia, ut Suidas: quem imitatus est Plautus. Horat. epistola prima lib. 2. Hujus apud M. Ciceronem aliquæ extant sententiæ; & hæc in primis, lib. 1. ep. ad Att. Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν: id est; *Vigila, & memento non credere: artus hi quippe sunt mentis.* Sed elegantius eam extulit Quinctus. Habetur etiam apud Lucianum in dialogo de sectis; & apud Suidam, in verbo Νῆφε. Euripides, in Helena, Prudenti incredulitate nihil esse mortalibus utilius, dixit. Multo vero ante,

in Ecclesiastico, lectum est, *eum, qui cito credit, levem esse corde.* Sed totam hanc rem Isocratis præcepto concludamus; qui ad Democritum ita scribit, Προσήκειν ἡγοῦ τοῖς πονηροῖς ἀπιστεῖν, ὥσπερ τοῖς χρηστοῖς πιστεύειν: id est; *Æque convenire existima, & malis non credere, & bonis credere.* Docet etiam Græcus ille versiculus. Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί: Neque omnia credenda esse; neque omnibus, neque semper.

Et cum tuorum amicorum] nemo umquam ita ab omni parte omnibus probatur, quin habeat aliquos æmulos & obtrectatores, qui ei adversentur. Ergo, ut parare amicos, sic adversarios lenire necesse est. De hoc igitur nunc. Horum tria sunt genera; quos læserit, qui sine caussa non amant, qui competitoribus sint amici: primis sese purgare, alteros delenire, ultimis benevolo nos esse animo erga competitores, probare opus est.

Et cum tuorum amicorum] de quo hactenus egit.

Tum etiam obtrectatorum] qui nos maledictis lædunt, in invidiam adducendo.

Adversariorum] qui adversus nos aperte agunt. Supra dixit, esse studia, quæ illi adversentur.

Hæc tria sunt] nam aut cum caussa aut sine caussa adversantur: cum caussa, aut sua aut aliorum; sine caussa unum est genus.

Quos læsisti cum contra eos] etiam aliis modis læsisse poterat; sed ut caussarum defensionibus nitebatur ejus petitio, sic obtrectatores ex hoc potissimum nascebantur. Nam & mordacitate dicendi & testimonio multos oppresserat: ut Plutarch. in vita.

Necessitudines commemorato] quæ tibi cum eo fuerint, pro quo dixeris.

In spem adducito] ratio optima. Nam cum eo pacto nos graves & in amicitia constantes probamus; tum tales nos fore cum illis, si opus fuerit, ostendimus. Pulchre enim de parandis amicis Isocrates: *Talem spera erga te fore amicum, qualis erga alios fuerit.*

Pari studio] hoc docet & M. Cic. lib. 2. offic. *Utendum est excusatione*, inquit, *adversus eos, quos invitus* ostendas, quacunque possis, quare id quod feceris necesse fuerit, nec aliter facere potueris; ceterisque operis & officiis erit, quod violatum est, compensandum.

Studio atque officio] studium animi est; officium opera probatur. Conjunguntur, ep. 6. & 7, lib. 1; & 24. lib. 12. fam: & ep. 1. lib. 1, ad Att.

Si se in amicitiam] si tibi amici sint facti. M. Cic. ep. 17. lib. 7: *Cum te in amicitiam meam ac fidem contulisses.*

Spondeto] hoc verbum aut vacat, nam satis est *in spem adducito*; aut separatim pronunciandum est *ut in spem adducat*, tum & *spondeat* etiam.

Qui sine caussa non amant] prava aliqua animi inductione, nulla

la nostra culpa. ep. 17. lib. 2: *Bibuli voluntas a me sine caussa abhorreret*.

Aut beneficii aut spe] supra: *Beneficium aut* habeant, aut, ut habeant, sperent.

Delenies] mulcebis, flectes: sic pro Milone: *Plebem* tribus patrimoniis deleniret.

Dans operam, ut] non dixit, *delenies ac deduces*, sed, *dans operam, ut deducas*; quasi rem arduam ostenderet.

De illa pravitate deducas] demoveas, abstrahas. sic, *deducere de sententia*, ep. 5. lib. 2. ad Att. Ab eo deduci non potest: ep. 1. lib. 1. fam.

Quorum voluntas] vide varietatem; *quos*, *qui*, *quorum*.

Voluntas alienior] adversa, inimica. Usurpatum est comparativum pro positivo: quod novum non esse, vel Plutarch. observavit sympoſiacon lib. 5, quæstione 4. Sic M. Cic. ep. 17. lib. 2: *Sin a me est alienior*.

His quoque inservi] non desperandum est; sed patientia vincendum.

Inservi] alii *inservito* legunt; ut respondeat ad illud *ostendito*. Sed libri scripti habent *inservi*; & fortasse rectius: nam illud *inservito* insuave est auribus; & hæc temporum variatio, supra etiam habetur: *Cura, ut tui cupidi sint, elaborato* &c.

Oratione qua superioribus] significando tua erga illos studia futura.

Et si probare poteris] te amicum esse amicorum illorum, valde proderit. Nam minus acerbe contra te agent. *Si probare*, inquit, *poteris*, ne videaris aperte mentiri: nam vix verisimile videtur.

Quoniam] petitionem magistratuum in duas partes divisam esse, jam dixit: quorum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate posita esset. De amicis hactenus. Nunc ad alteram, qua populi voluntas conciliatur, transit. Proponit ergo sex, quæ ad id faciunt; & de singulis in tota hac parte agit. Prima versatur in cognoscendis civibus & suo nomine appellandis; quod gratissimum populo dicit; secunda in quadam simulatione, qua se standum hominibus ostendat, etiamsi non sit: quod alio tempore vitiosum esse fatetur, in petitione etiam necessarium.

De amicitiis] Aldi liber scriptus habet *Amicis*, supra dixit iterum, *constituere amicitiam*: itaque hoc probatur.

Dicendum] usitatus epilogus, cum præparatione ad futura: quam transitionem vocat auctor ad Herennium lib. 4. Hæc, cum ostendit breviter quid dictum sit, proponit item breviter, quod consequitur.

In populari ratione] quæ ad populum in universum pertinet, non ad singulos amicos.

Ea desiderat] singula si ponderentur, & necessaria & bono ordine posita videbuntur.

in Ecclesiastico, lectum est, *eum, qui cito credit,* s cor-
Sed totam hanc rem Isocratis præcepto conclu *ut peti-*
Democritum ita scribit, Προσήκειν ἡγοῦ τοῖς πον Sed nul-
τοῖς χρηστοῖς πιστεύειν: id est; *Æque conven* omnes li-
non credere, & bonis credere. Docet etiam *etiam viden-*
Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί: Nequ m hoc de spe
neque omnibus, neque semper. illa autem de

Et cum tuorum amicorum] nemo loco dicemus.
omnibus probatur, quin habeat
res, qui ei adversentur. Ergo laudet, & compro-
rios lenire necesse est. De ho 5, eleg. 2. Trist. *Qui*
nera; quos læserit, qui sin *onendo Laudat, & hortatu*
ribus sint amici: primis se
benevolo nos esse anim suo appellando. De hoc supra.

Et cum tuorum ami nosti & facile cognosces.

Tum etiam obtrecta io enim nominum ad concitandam iram
diam adducendo. æ signum videtur; ut Arist. lib. 2. Rhet.

Adversariorum in] valet ad conciliandam benevolentiam, si
esse studia, qu nomine appellet. Sic Donatus in Adelphos Te-

Hæc tria si *6, Moris est inferiores proprio nomine appellare, si*
tur: cum c Sosipater Carisius ex P. Rutilio Rufo, Pompejum

Quos l refert, ut populum Romanum nosset, eumque ar-
sed ut salutaret. Isocrates etiam Demonicum suum monet, ut
ctator salutandoque comis atque affabilis esse velit. ut M.
dice lib. 2. offic. *Difficile dictu est*, inquit, quantopere conciliet
animos comitas affabilitasque sermonis.

Deinde id, quod natura] hoc ad blanditiam pertinet, in qua simulandum est, & assentandum hominibus.

Natura non habet] ep. 5. lib. 12. ad Att. se minime esse blandum, dicit.

Pag. 228. 229. *Ut natura facere videare*] in hujus libri principio dixit, in paucorum mensium negotio, simulationem posse naturam vincere. Hæc autem summa ars est, artem tegere. De hoc lib. 3. Rhet. *Curandum, ut a natura dicere videamur*: hoc enim valet ad fidem: sin ficte, contra. Hinc Ovid. de arte; *Si latet ars, prodest: affert deprensa pudorem.*

Non comitas tibi necesse est ea] hic locus depravatus est in libris, tam calamo exaratis quam impressis; & licet tentatus sit a nonnullis, non satis correctus est. Comitas primum non est verbum, sed nomen; & virtutem illam significat affabilitati conjunctam; de qua paullo ante. Itaque in libris scriptis habetur unico *m* & unico *t* scriptum. Deinde illud *necesse est* hic locum non habet; sive rationem latini sermonis spectes, (quis enim sic loquitur, *non necesse est comitas?*) sive etiam sententiam scriptoris: non enim necessariam illi esse comitatem, quæ necessaria prorsus erat; sed, cum eam habeat, opus tamen esse etiam blanditia,

di-

Quare videtur legendum, *non comitas tibi deest ea, qua ...vi homine digna sit.* Quod ideo dicit, quia quædam ...adulationi proxima, quæ non est homine bono di... in Lælio: *In obsequio comitas adsit, assentatio amo...* ...autem esse, quod dicit Quinctus de fratre, *non* ... confirmat Plutarchus, qui, in comparatione ...osthene, scribit, eum ad jocos & facetias ap... ...ultumque illius risum & hilaritatem quan... ...ec ego sic correxi & exposui, ut dixi: ...gatam lectionem defendentes exponant: ...*ecesse est*, pro, non necessaria, quia ea abun... . ego sententiam neque damno neque probo.

..., *qua etiamsi vitiosa*] fatetur, esse vitiosam; sicut in .ep. M. Cic. *In cive excelso atque homine nobili, blanditiam, ...ntationem, ambitionem nimiam, esse levitatis.* & in lib. de Amic. *Benevolentiam civium blanditiis & assentationibus colligere, turpe esse* dicit.

In petitione] ut fautores compares.

Tibi enim cum deteriorem] spectandus est finis, quo quis ad agendum movetur.

Tibi enim] illud *tibi* corruptum videtur. Lambinus edidit *etenim*: mihi placet *tunc enim*.

Cum amicorum, non tam] vituperanda igitur; sed non tantum.

Etiam necessaria] ut colligat benevolentiam.

Cujus & frons & vultus] proprium hoc assentationis. Cic. lib. de amicitia: *Qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur.*

Et sermo] ex quo illud, *loqui ad voluntatem.*

Jam assiduitatis] de hac pauciora tradit, quia per se satis patet: tamen magnum ejus fructum esse dicit, si assiduus sit Romæ & in foro, & sæpe eosdem appellat: proposito etiam metu justæ reprehensionis, si sibi defuerit. De benignitate pluribus agit, & triplicem illam facit; in re familiari, in conviviis, & opera: & de singulis separatim.

Nullum est præceptum] quid agendum sit. Nam, ut assidui simus, verbum ipsum indicat: de quo supra, ex Varrone. Hinc M. Cic. tertia Verr. ut probet, emptam a Verre præturam, non assiduitate paratam; dicit, eum Romæ, post quæsturam, vix triduum constitisse. Contra vero, pro Plancio: *Valuit Plancius assiduitate, valuit observandis amicis, valuit liberalitate; fuit in oculis, petivit*, & ante dixerat, numquam eum ex urbe abfuisse.

Prodest quidem] nam assiduitate, quod libet assequi datur: ut est in Græcorum sententiis.

Non solum esse Romæ] habitare in oculis. Dicit, pro Plancio: Sensi, populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere.

At-

in Ecclesiastico, lectum est, *eum, qui cito credit, levem esse corde.* Sed totam hanc rem Isocratis præcepto concludamus; qui ad Democritum ita scribit, Προσήκειν ἡγοῦ τοῖς πονηροῖς ἀπιστεῖν, ὥσπερ τοῖς χρηστοῖς πιστεύειν: id est; *Æque convenire existima, & malis non credere, & bonis credere.* Docet etiam Græcus ille versiculus. Μὴ πάντα πείθου πᾶσι πιστεύειν ἀεί: Neque omnia credenda esse, neque omnibus, neque semper.

Et cum tuorum amicorum] nemo umquam ita ab omni parte omnibus probatur, quin habeat aliquos æmulos & obtrectatores, qui ei adversentur. Ergo, ut parare amicos, sic adversarios lenire necesse est. De hoc igitur nunc. Horum tria sunt genera; quos læserit, qui sine caussa non amant, qui competitoribus sint amici: primis sese purgare, alteros delenire, ultimis benevolo nos esse animo erga competitores, probare opus est.

Et cum tuorum amicorum] de quo hactenus egit.

Tum etiam obtrectatorum] qui nos maledictis lædunt, in invidiam adducendo.

Adversariorum] qui adversus nos aperte agunt. Supra dixit, esse studia, quæ illi adversentur.

Hæc tria sunt] nam aut cum caussa aut sine caussa adversantur: cum caussa, aut sua aut aliorum; sine caussa unum est genus.

Quos læsisti cum contra eos] etiam aliis modis læsisse poterat; sed ut caussarum defensionibus nitebatur ejus petitio, sic obtrectatores ex hoc potissimum nascebantur. Nam & mordacitate dicendi & testimonio multos oppresserat: ut Plutarch. in vita.

Necessitudines commemorato] quæ tibi cum eo fuerint, pro quo dixeris.

In spem adducito] ratio optima. Nam cum eo pacto nos graves & in amicitia constantes probamus; tum tales nos fore cum illis, si opus fuerit, ostendimus. Pulchre enim de parandis amicis Isocrates: *Talem spera erga te fore amicum, qualis erga alios fuerit.*

Pari studio] hoc docet & M. Cic. lib. 2. offic. *Utendum est excusatione*, inquit, *adversus eos, quos invitus* ostendas, quacunque possis, quare id quod feceris necesse fuerit, nec aliter facere potueris; ceterisque operis & officiis erit, quod violatum est, compensandum.

Studio atque officio] studium animi est; officium opera probatur. Conjunguntur, ep. 6. & 7, lib. 1; & 24. lib. 12. fam: & ep. 1. lib. 1, ad Att.

Si se in amicitiam] si tibi amici sint facti. M. Cic. ep. 17. lib. 7: *Cum te in amicitiam meam ac fidem contulisses.*

Spondeto] hoc verbum aut vacat, nam satis est *in spem adducito*; aut separatim pronunciandum est *ut in spem adducat*, tum & *spondeat* etiam.

Qui sine caussa non amant] prava aliqua animi inductione, nul-

la

la nostra culpa. ep. 17. lib. 2: *Bibuli voluntas a me sine caussa abhorreret.*

Aut beneficii aut spe] supra: *Beneficium aut* habeant, aut, ut habeant, sperent.

Delenies] mulcebis, flectes: sic pro Milone: *Plebem* tribus patrimoniis deleniret.

Dans operam, ut] non dixit, *delenies ac deduces*, sed, *dans operam, ut deducas*; quasi rem arduam ostenderet.

De illa pravitate deducas] demoveas, abstrahas. sic, *deducere de sententia*, ep. 5. lib. 2. ad Att. Ab eo deduci non potest: ep. 1. lib. 1. fam.

Quorum voluntas] vide varietatem; *quos, qui, quorum.*

Voluntas alienior] adversa, inimica. Usurpatum est comparativum pro positivo: quod novum non esse, vel Plutarch. observavit sympofiacon lib. 5, quæstione 4. Sic M. Cic. ep. 17. lib. 2: *Sin a me est alienior.*

His quoque inservi] non desperandum est; sed patientia vincendum.

Inservi] alii *inservito* legunt; ut respondeat ad illud *ostendito*. Sed libri scripti habent *inservi*; & fortasse rectius: nam illud *inservito* insuave est auribus; & hæc temporum variatio, supra etiam habetur: *Cura, ut tui cupidi sint, elaborato* &c.

Oratione qua superioribus] significando tua erga illos studia futura.

Et si probare poteris] te amicum esse amicorum illorum, valde proderit. Nam minus acerbe contra te agent. *Si probare*, inquit, *poteris*, ne videaris aperte mentiri: nam vix verisimile videtur.

Quoniam] petitionem magistratuum in duas partes divisam esse, jam dixit: quorum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate posita esset. De amicis hactenus. Nunc ad alteram, qua populi voluntas conciliatur, transit. Proponit ergo sex, quæ ad id faciunt; & de singulis in tota hac parte agit. Prima versatur in cognoscendis civibus & suo nomine appellandis; quod gratissimum populo dicit; secunda in quadam simulatione, qua se standum hominibus ostendat, etiamsi non sit: quod alio tempore vitiosum esse fatetur, in petitione etiam necessarium.

De amicitiis] Aldi liber scriptus habet *Amicis*, supra dixit iterum, *constituere amicitiam*: itaque hoc probatur.

Dicendum] usitatus epilogus, cum præparatione ad futura: quam transitionem vocat auctor ad Herennium lib. 4. Hæc, cum ostendit breviter quid dictum sit, proponit item breviter, quod consequitur.

In populari ratione] quæ ad populum in universum pertinet, non ad singulos amicos.

Ea desiderat] singula si ponderentur, & necessaria & bono ordine posita videbuntur.

Spem in rep.] liber scriptus legit, *spem in remp.* Lambinus correxerat *speciem in rep.* quia verba illa infra posita, *cura, ut petitio tota pompa plena sit*, ad hoc videantur respondere. Sed nullam video mutationis necessitatem, cum consentiant omnes libri, cumque huic membro respondeant illa; *Atque etiam videndum, ut spes reip. bona de te sit.* Præterea præceptum hoc de spe reip. de Cicerone necessarium omnino videtur: illa autem de specie & pompa, ad epilogum spectant; ut suo loco dicemus.

Primum] hoc ad nomenclationem attinet.

Id quod facis] Ita monet, ut eum potius laudet, & comprobet quod facit, quam moneat. Ovid. lib. 5, eleg. 2. Trist. *Qui monet, ut facias, id, quod facis, ille monendo Laudat, & hortatu comprobat acta suo.*

Ut noris, significa] eos nomine suo appellando. De hoc supra.

Et auge] supra: *Hos tu & nosti & facile cognosces.*

Ut quotidie melius] oblivio enim nominum ad concitandam iram valet: nam negligentiæ signum videtur; ut Arist. lib. 2. Rhet.

Nihil tam populare] valet ad conciliandam benevolentiam, si major minorem nomine appellet. Sic Donatus in Adelphos Terentii, ac. 5, sc. 6, *Moris est inferiores proprio nomine appellare, si blandiri velis.* Sosipater Carisius ex P. Rutilio Rufo, Pompejum elaborasse, refert, ut populum Romanum nosset, eumque artificiose salutaret. Isocrates etiam Demonicum suum monet, ut appellando salutandoque comis atque affabilis esse velit. ut M. Cic. lib. 2. offic. *Difficile dictu est*, inquit, quantopere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis.

Deinde id, quod natura] hoc ad blanditiam pertinet, in qua simulandum est, & assentandum hominibus.

Natura non habet] ep. 5. lib. 12. ad Att. se minime esse blandum, dicit.

Pag. 228. 229. *Ut natura facere videare*] in hujus libri principio dixit, in paucorum mensium negotio, simulationem posse naturam vincere. Hæc autem summa ars est, artem tegere. De hoc lib. 3. Rhet. *Curandum, ut a natura dicere videamur*: hoc enim valet ad fidem: sin ficte, contra. Hinc Ovid. de arte; *si latet ars, prodest: affert deprensa pudorem.*

Non comitas tibi necesse est ea] hic locus depravatus est in libris, tam calamo exaratis quam impressis; & licet tentatus sit a nonnullis, non satis correctus est. Comitas primum non est verbum, sed nomen; & virtutem illam significat affabilitati conjunctam; de qua paullo ante. Itaque in libris scriptis habetur unico *m* & unico *t* scriptum. Deinde illud *necesse est* hic locum non habet; sive rationem latini sermonis spectes, (quis enim sic loquitur, *non necesse est comitas?*) sive etiam sententiam scriptoris: non enim necessariam illi esse comitatem, quæ necessaria prorsus erat; sed, cum eam habeat, opus tamen esse etiam blanditia,

di-

dicit. Quare videtur legendum, *non comitas tibi deest ea, quæ bono ac suavi homine digna sit.* Quod ideo dicit, quia quædam est comitas adulationi proxima, quæ non est homine bono digna. Cicero in Lælio: *In obsequio comitas adsit, assentatio amoveatur.* Verum autem esse, quod dicit Quinctus de fratre, *non deesse illi comitatem*, confirmat Plutarchus, qui, in comparatione Ciceronis cum Demosthene, scribit, eum ad jocos & facetias aptum natura fuisse, vultumque illius risum & hilaritatem quandam præ se tulisse. Hæc ego sic correxi & exposui, ut dixi: sunt tamen, qui vulgatam lectionem defendentes exponant: *Non comitas tibi necesse est*, pro, non necessaria, quia ea abundas. Quorum ego sententiam neque damno neque probo.

Blanditia, quæ etiamsi vitiosa] fatetur, esse vitiosam; sicut in 4. de rep. M. Cic. *In cive excelso atque homine nobili, blanditiam, ostentationem, ambitionem nimiam, esse levitatis.* & in lib. de Amic. *Benevolentiam civium blanditiis & assentationibus colligere, turpe esse* dicit.

In petitione] ut fautores compares.

Tibi enim cum deteriorem] spectandus est finis, quo quis ad agendum movetur.

Tibi enim] illud *tibi* corruptum videtur. Lambinus edidit *etenim*: mihi placet *tunc enim.*

Cum amicorum, non tam] vituperanda igitur; sed non tantum.

Etiam necessaria] ut colligat benevolentiam.

Cujus & frons & vultus] proprium hoc assentationis. Cic. lib. de amicitia: *Qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur.*

Et sermo] ex quo illud, *loqui ad voluntatem.*

Jam assiduitatis] de hac pauciora tradit, quia per se satis patet: tamen magnum ejus fructum esse dicit, si assiduus sit Romæ & in foro, & sæpe eosdem appellat: proposito etiam metu justæ reprehensionis, si sibi defuerit. De benignitate pluribus agit, & triplicem illam facit; in re familiari, in conviviis, & opera: & de singulis separatim.

Nullum est præceptum] quid agendum sit. Nam, ut assidui simus, verbum ipsum indicat: de quo supra, ex Varrone. Hinc M. Cic. tertia Verr. ut probet, emptam a Verre præturam, non assiduitate paratam; dicit, eum Romæ, post quæsturam, vix triduum constitisse. Contra vero, pro Plancio: *Valuit Plancius assiduitate, valuit observandis amicis, valuit liberalitate; fuit in oculis, petivit*, & ante dixerat, numquam eum ex urbe abfuisse.

Prodest quidem] nam assiduitate, quod libet assequi datur: ut est in Græcorum sententiis.

Non solum esse Romæ] habitare in oculis. Dicit, pro Plancio: Sensi, populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere.

At-

Atque in foro] quippe in forum conveniebant candidati, ut supplicarent. Val. lib. 4, cap. 5, de L. Crasso.

Saepe eosdem appellare] nihil veritus, ne molestus sis. Inde verbum *prensare* frequentativum.

Non committere] quasi tu tibi deesse videaris.

Quod ejus sit] verba accusantis negligentiam candidati. *Quod ejus sit*: id est, suffragium illius consequi possis, modo tu diligenter roges.

Si abs te non sit rogatum] libri scripti non habent negationem *non*, & prorsus est expungenda.

Et valde ac diligenter rogatum] hæc duplicatio necessaria est: non enim satis est *quod*, sed *quomodo*. Nam facit eos populus, a quibus maxime est ambitus: ut orat. pro Cn. Plancio.

Benignitas autem late patet] id est, liberalitas ad multos extenditur, & multis modis exerceri potest. Cic. lib. 2. off. *Benignitas, qua constat ex opera, latius patet.*

Et est in re familiari] illud *&* in principio primi membri non placet; cum præsertim non videam in secundo membro alterum *&*, cum quo connectatur. Libri scripti habent. *Etiam*: puto legendum *ea*. Cic. 2. off. *Duplex liberalitatis ratio. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia.* Et Terent. Phorm. act. 5, sc. 3: *Pariter nunc opera me adjuves, ac dudum re opitulata es.*

Quæ quamquam ad multitudinem] largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit; qua, quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. Cic. offic. lib. 1.

Tamen ab amicis] idem Cic. *Largiendum est nonnumquam, nec omnino hoc liberalitatis genus repudiandum; sed diligenter atque moderate.* Quamquam autem largitio, quæ corrumpendi populi gratia fiebat, legibus prohibebatur, erat tamen aliqua concessa largitio. Quare Romæ habebant singulæ tribus legitimos divisores, cum aliquid in populum distribuendum erat. Cic. in 2. Verr. Divisores omnium tribuum nominat. Qui primus Romæ populo aut judici pecuniam largitus sit, ignoratur. Plutarch. in Coriolano.

Est in conviviis] licuisse candidatis, petitionis suæ caussa, convivia populo facere, ex hoc loco apparet. Sed mox referente Cicerone consule, SC. factum est, in quo erat, contra legem Calpurniam, quæ de ambitu erat, factum videri, si prandia vulgo essent data: ut in orat. pro Muren.

Quæ facere abs te] locus corruptus. Libri scripti, *quæ facere oportet*: Lambinus, *quæ facito, & abs te*: sed malim, *quæ fac & abs te & ab amicis.*

Et amicis tuis] tuo nomine; ut in eadem orat. pro Muren.

Concelebrentur] frequententur. Lucret. lib. 1: *Quæ mare nav. quæ terras frug. Concelebras.* Et M. Cic. pro Mur. *si domus celebratur.*

Pas-

Passim] vulgo; apud universos: in eadem orat.

Tributim] tribulibus tuis: in eadem orat.

Est etiam] de tertia parte benignitatis, quæ opera fit; quam jubet cum omnibus liberalissime communicare: ea conditione, ut quod facturus sit, libenter faciat; quod facere nequeat, jucunde neget.

Cura, ut aditus ad te diurni atque nocturni pateant] hoc est; quod se fecisse dicit M. Tull. in orat. pro Plancio: Neminem a congressu meo neque janitor meus neque somnus absterruit. & in ep. 2. lib. 6. ad Att. *Aditus ad me minime provinciales, nihil per cubicularium; ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus: Grata hac & magna, mihique nondum laboriosa, ex illa vetere militia.*

Pag. 230. *Sed etiam multa & fronte*] ut per fores introspicimus & cognoscimus, quid in ædibus fiat, sic per vultum & frontem animum cernimus. Ideo suavi metaphora dixit, frontem animi esse januam. M. Cic. lib. 3. de orat. & in orat. *Imago animi vultus, indices oculi.*

Voluntatem abditam esse ac retrusam] ut nulla appareat agendi voluntas, etiam si secus loquantur. Solent autem nonnulli fronte ac vultu simulationem facilime sustinere: alii, cum aliud sentiant & loquantur, non tamen tantum valent ingenio, ut non appareat, quid cupiant. Quod de Pompeio scripsit Cœlius, ep. 1. lib. 8. fam.

Abditam ac retrusam] conjungit hæc duo Cic. & in Verr. & lib. 1. de orat.

Parvi refert, patere ostium] ut facile admittantur. Nam, ut dicit Seneca, libro sexto de beneficiis, *in pectore amicus, non in atrio quaritur.* Isocrates ad Demonicum Μηδὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος· ὅπερ πάσχουσιν οἱ πολλοὶ, ποιοῦντες μὲν, ἀηδῶς δὲ τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες: id est: *Neque beneficium ingrate conferens; quod accidit multis, qui faciunt quidem, sed injucunde amicis inserviunt.*

Homines enim] Seneca ep. 81: *Non quantum sit, sed a quali voluntate profectum, perpenditur.* & lib. 1. de benef. *Non quid fiat aut quid detur, refert, sed qua mente: quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo.* Ideo apud eundem: *Gratia ridentes pinguntur, quia promerentium vultus hilares esse debent.* & lib. 2: *Beneficium aspere datum panis lapidosus vocatur.*

Præsertim qua a candidato] qui, quod eget aliorum opera, omnia agere debet, ut sibi omnium devinciat voluntates.

Large ac honorifice promitti] ut honos etiam habitus videatur iis, quibus promissum est. Scripti libri habent *atque honorifice*; quod quamquam leve videtur, tamen sciendum, observatum esse apud M. Ciceronem, raro, ne dicam numquam, post conjunctionem

nem *ac*, sequi verbum a vocali, sed fere a consonante incipiens.

Quare hoc quidem facile praeceptum est] quod observare facile possit.

Studiose ac libenter esse facturum] Cic. ep. 1. lib. 13. *Prius velim, tibi persuadeas, ut hoc mea caussa libenter facias, quam ut facias.*

Illud difficilius] quia contra naturam tuam.

Ad tempus] petitionis tuæ, cui inserviendum est: & faciendum etiam id, quod a natura non habes; ut supra jam dixit.

Accommodatum] aptum, conveniens: sic ep. 67. lib. 13. Ad meæ vitæ rationem accommodatum.

Ut id jucunde neges] ea prudentia & jucunditate, ut negando etiam gratus videare. Huc respicit Publii sententia: *Pars beneficii est, quod petitur, bene si neges.* Hoc loco, membrum deesse suspicati aliqui sunt, & legerunt ex ingenio; *aut jucunde promittas aut ingenue neges*: quia sequitur; *quorum alterum est boni viri, alterum boni petitoris*; ut suo cuique membro *alterum* respondeat. Ego nullius conjecturam damno; sed tamen consensum scriptorum librorum non temere rejiciendum puto; cum præsertim illa duo, *alterum* & *alterum*, habeat, quo referantur, nullo novo addito membro; nempe ad duo præcepta, paullo ante posita: Alterum est boni viri, quod acturus sis, id significes, te studiose ac libenter esse facturum; alterum boni petitoris, id est, candidati, quod facere non possis, ut jucunde neges.

Nam cum] ratio, cur jucunde negandum, ut conserves amicum, & quomodo id sit faciendum, docet.

Quomodo si quis roget] exempli gratia. Quod autem hic in exemplum proponit, pulchre usu venit Ciceroni; ut apparet in ep. 1. ad Att. *Sed parum profuit servasse fratris præcepta, si quidem res fuit cum Cælio homine acerbissimo & natura difficillima, qui illi graviter iratus est, quod ejus caussam non recepit.*

Demonstres, quam moleste feras] non posse id facere, quod ille petat.

Aliis te id rebus exsarcturum] etsi libri scripti habent *exacturum*, placet tamen *exsarcturum*, id est, compensaturum: ut illud ep. 65. lib. 13: *Sed idem sarciam.* Hoc ita faciendum esse, docuit ipse etiam M. Cicero, lib. 2. off. ut jam a nobis relatum est.

Audivi hoc dicere] comprobat a testimonio.

Gratiorem fuisse orationem ejus, qui negasset] quoniam jucunde negasset.

Quam illius, qui recepisset] quia invitus recepisse videretur.

Sic homines] clausula. In omnibus enim rebus voluntatem spectare oportet: ut lib. 2. de invent.

Capiuntur] delectantur: ut ep. 15. lib. 9: *Mirifice capior facetiis.*

Verum hoc probabile] aliud præceptum, ut promittat etiam, quod facere non possit, ne sibi, si neget, quemquam inimicum faciat.

Pro-

Probabile] tibi probari facile potest, ut belle neges.

Illud alterum] ut mentiaris.

Subdurum] id est, difficile; quod concoquere non possit.

Homini plane perito] non video, quid obstet, cur homini perito non persuadeatur, ut aliquando commodi sui caussa mentiatur; cum id sæpe etiam sponte sua periti homines faciant. Quare suspicor de mendo; eoque magis, quod referunt nonnulli, esse libros, qui habeant *platonico*, quod nequaquam satisfacit. Si esset locus conjecturæ, *plane aperto* legere auderem. Apertus enim & simplex dicitur is, cui contrarius est, obscurus; astutus: fallax: ut M. Cic. lib. 3. off. *Huic autem hominum generi difficillime persuaderi potest, ut mentiantur.*

Pag. 231. *Tempori consulam tuo*] notum illud, *tempori servire, sapientis esse.* Et Cic. ipse, ep. 1. ad Att. *Æquum esse eum & officio meo consulere & tempori.*

Quibus enim te] hoc dicit: non temere est omnibus & quavis de caussa negandum: nam alii æquo animo ferent, alii inimici fient. Ferent fortasse æquo animo, qui te impeditum officio necessitudinis sentient: abalienabuntur, qui te aliorum amicorum negotia, & caussas, etiam si graviores & ante susceptas, suis præponere videbunt.

Æquique] non irati. Terent. And. Act. 2, sc. 5.

Propter aliquod officium necessitudinis] ut contra amicum caussam recipiamus; ut supra dixit.

Aut gravioribus caussis] exemplum habes in ep. 24. lib. 7. fam. *Phamea caussam susceperam, is ad me venit, dixitque, judicem sibi operam dare constituisse, eo ipso die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat. Respondi, nullo modo me facere posse, cum vellem; alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ille autem discessit a me, ut mihi videbatur, iratior.*

Sibi te mentiri malint] nolunt quidem te sibi mentiri; sed minus moleste ferunt, si mox præstare non possis, quod promiseris, quam si statim neges.

C. Cotta] auctoritate Cottæ oratoris probat, satius esse polliceri ac mentiri, quam statim negare; facta comparatione commodi atque incommodi, quod ex eo consequi potest. Qui negat, omnes certe statim abalienat: qui promittit, aliquos tantum, & non semper, ac tum demum cum præstare oportet promissa, neque licet: quod nec semper utantur opera nostra omnes, qui petierint; & qui se usuros sperant, benevoli nobis sint, usque ad utendi tempus, & ignoscant facilius, si videant, nos velle sibi operam dare, nec posse.

C. Cotta] hic est C. Aurelius Cotta, orator acutus & subtilis, de quo mentio est & in libris de oratore & de claris oratoribus, & aliis in locis sæpe, apud M. Ciceronem, qui sine ullo munere, adeptum se esse omnia, quæ haberentur amplissima, dicebat; ut lib. 2. off.

Ar-

Artifex in ambitione] peritus in iis, quæ ad ambitionem pertinent. Sic alias; *artifex comparandæ voluptatis*: & artifices ad corrumpendum judicium.

Quod non contra suum officium] aliqui legunt *quoad*: sed est interpretatio particulæ *quod*, quæ interdum pro *quoad* vel *quatenus* ponitur. Terent. Heauton. Ac. 3, sc. 1: *Quod potero, adjutabo senem.* Similis mutatio facta est in ep. 7. lib. 2. ad Att. Ubi impressi libri *quoad potes* habent, scripti *quod*.

Quod non contra officium rogaretur] tunc enim negabat. In quo bonum virum agnoscis, qui ita ambitiosus erat, ut contra officium nihil ageret.

Apud quos optime poni] qui possent gratiam referre. Et in hoc agnoscis astutum. *Bene se ponere*, supra.

Accideret caussa] hoc verbum *caussa* videtur aliquibus redundare: sed habetur in scriptis; & tale est, ut illud, *accidere tempus*; ep. 10. lib. 3. fam.

Is qui pollicitus] *cui* habent scripti: & placet. Nam refertur ad illud, Cotta dicebat de se, sæpe accidere, cur is, cui pollicitus esset operam suam, vacuus foret, ab illo nempe negotio & molestia, pro qua ad patronum confugerat, plus quam putaret, se fore: ideoque non uteretur patroni opera. Hæc quidem sic exponi possunt. Corradus tamen, in quæstura, refert, in nonnullis libris sic legi, *quod sæpe accideret caussa, cur is, cui pollicitus esset, non uteretur: sæpe, ut ipse magis esset vacuus quam putasset.* Qua lectione nihil planius. Et *vacuus* tum refertur ad oratorem. *Putasset* etiam est in Aldi libro, non *putaret*.

Neque posse domum ejus compleri] domum oratoris, multitudine clientium & amicorum: ut illud lib. 2, ep. 16. ad Att. *Cum bene completa domus est tempore matutino* &c.

Tantummodo reciperet] negotiorum & caussarum.

Obire posse] exequi, transigere. Sic, *obire munus*, *negotia.*

Quæ non putaris] fieri posse, cum promittebas.

In manibus esse] propinqua, in promptu, quæ facile fieri possent. Forma dicendi satis usitata apud scriptores Latinos.

Aliqua de caussa non] quia multa inter os & offam; ut proverb. fertur.

Deinde esse extremum] si nihil accideret ex iis, quæ dixisset, reliquum esse, ut irasceretur is, cui mendacium dictum esset.

Cui mendacium dixeris] hic vides veram non esse differentiam, quam inter *mentiri*, & *mendacium dicere*, statuisse Nigidium referant A. Gellius & Non. Marcellus: ut *mentiri* sit ejus, qui fallere conatur; *mendacium dicere* ejus, qui ipse, quantum in se est, non fallit, sed imprudens fallitur. Nam hoc loco, *mendacium dicere* est ejus, qui prudens ac sciens mentitur.

Id, si promittas] distingue post *id*; & expone *id*, ut irascantur scilicet.

In

Incertum est] quia non semper fit, ut irascantur; sed ignoscant, cum videant, te non facere posse, quod promiseris.

Et in diem] in futurum tempus, vel in longam dilationem; ut exponit Donatus apud Terent. in Eunuc. act. 5, sc. 7. Quam significationem non novit fortasse Laur. Valla, ubi de *in diem* & *in* dies egit, lib. 3. elegant. numquam enim omisisset.

Et in paucioribus] quia non omnes irascuntur.

Sin autem id neges, statim &c. Hic locus corrupte legitur in pluribus libris. Corradus in quæstura correctum edidit; tum & Lambinus. Sic autem legendum: *Sin autem id neges, & certe abalienes, & statim, & plures: plures enim multo sunt, qui rogant* &c. Ubi singula singulis optime respondent. *Certe* ad illud *incertum est*; *statim* ad illud *in diem*; *plures* ad illud *in paucioribus*.

Plures enim multo] ratio ex rerum humanarum mutabilitate & hominum inconstantia, quibus sæpe eadem placent moxque displicent.

Quare satius] conclusio per collectionem jam dictorum, cum eleganti continuatione, *aliquos aliquando*; *in foro*, *omnes*, *continuo*, *domi*.

Magis irascantur iis, qui negent] quia videntur nolle inservire.

Quam iis, quem] vel cæco apparet legendum *ei*. *Quam si quem videant* reposuerat Mannuccius, conjectura fretus.

Cupiat, si ullo modo possit] itaque accipitur pro re voluntas: cum cupiat tantum facere; neque possit. Sensus autem, qui videtur imperfectus, supplendus est extrinsecus assumptis, *sed nullo modo possit*.

Ac ne videar] corrigit se, quod, cum de populari ratione agat, ea dicat, quibus amici comparentur. Docet igitur hæc ad utrumque pertinere.

A distributione mea] antea facta, cum petitionem magistratuum, in amicorum studia, in popularem voluntatem distribuit; egitque de amicitiis prius; tum ad popularem rationem accessit.

Aberrasse] translate: sicut alias, *aberrare proposito*, prima Tusculana.

Hoc sequor] non temere hoc facio: hoc specto, hoc cogito, M. Cic. ep. 7. lib. 4. ad Att. *Quid essent in decernendo secuti*. & ep. 8. lib. 3. fam. *Non idem uterque secutus sit*. Translatum & hoc, quod respondet ad verbum *aberrare*.

Hæc omnia] Benignitatem dicit & cetera; de quibus hactenus.

Pag. 232. *Etsi enim inest*] occurrit objectioni, videri quidem hoc loco multa dici, quæ ad amicos comparandos faciant; sed ea caussa tantum dici, quod eis etiam aura popularis captetur. Atque hic placet interponi conjunctionem *enim*: cujus vestigia in scripto sunt; & aliqui jam admiserunt.

Ex illo genere] superiore: ubi de amicorum studiis agitur; quæ beneficiis, officiis, vetustate, facilitate, jucunditate naturæ comparanda

X

paranda sunt: quæ eadem fere sunt cum his, *benigne respondere, studiose inservire negotiis amicorum.*

Multitudinem capere] allicere ad benevolentiam.

Ut de nocte domus compleatur] hominum frequentia. Infra: *Domus ut multa nocte compleatur.*

Spe tui præsidii] de hac spe etiam supra.

Ut amiciores abs te discedant] capti tua benignitate. Et est sententia facta ad imitationem illius Terentianæ, in Eunucho; *numquam accedo, quin abs te abeam doctior*; licet diversa in re: & in Terentiana nescio quid argutiæ lateat.

Ut quam plurimorum aures] dum de te idem apud alios loquantur. Complere autem aures sermone, elegans locutio. Sic 3. orat. in Rullum: *Completi sunt animi auresque vestræ, Quirites.* Et de somno Scipionis: *Quis est, qui complet aures meas, tantus & tam dulcis sonus.*

Sequitur] redit ad ea, quæ proposita fuerant, ad popularem rationem pertinentia: ac de rumore agit, cui inserviendum esse dicit. Valere autem ad bonam famam ea omnia, quæ hactenus dicta sunt, ad ipsam petitionem in universum facientia; quorum brevem anacephaleosim facit. Tum perficiendum, ut his ipsis rebus populus etiam delectetur.

Sequitur enim] aut delendum est *enim*, aut pro *enim*, *nunc* legendum. *Sequitur* autem idem valet, quod *restat*; aut quod dicit M. Cicero, *consequens est.*

Cui maxime serviendum] curandum, ut homines de nobis bene existiment & loquantur. Tale est, ut illud pro P. Sextio: *Posteritati ac gloriæ servire.*

Ad celebrandum rumorem] ad divulgandum; ut ipse Marcus, ep. 1. ad Q. Fratrem: *Constanti fama atque omnium sermone celebratum est.*

Dicendi laus] prima illa quatuor ad nominis novitatem levandam pertinent.

Eorum, qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipiis multitudo] hæc duo continent omnia illa, quæ in amicorum studiis posita sunt; quorum alii in urbe, alii extra urbem erant. Ex omnibus autem amicis, eos præcipue nominat, qui ab eo defensi sunt; quoniam, ut dictum est, eo amicitiarum genere ejus petitio maxime nitebatur.

Bene homines nosse] jam hæc, quæ sequuntur, ad ea pertinent, quibus ratio popularis continetur: quæ omnia pluribus sunt tractata.

Bene loqui existimare] in verbo *existimare* mendum est. Corradus sejungebat *bene loqui*, tum legebat *æstimare*, pro spectare: sed non placet. Lambinus, in initio horum membrorum, interposita conjunctione *ut*, *bene ut homines nosse*, mutatisque nonnullis casibus, prout sibi commodum fuerat, demum *existimere* cor-

correxerat. Quam nimiam esse licentiam, non dubito, quin omnes sint existimaturi. Ego unius litteræ mutatione existimari lego; ut dicat, valere ad celebrandum rumorem, si existimetur bene loqui: & referat illud, quod dixit antea, *oratione homines capi. Domus ut multa nocte compleatur.* Mira varietas; primum per *nomina*, *laus*, *studia*, &c. tum per verba infinita, *nosse*, *appellare*, *petere*: demum per conjunctiva, *ut compleatur*, *adsit*, *satisfiat*.

Satisfiat oratione omnibus] ex Cottæ præcepto & Ovidii etiam, lib. 1. de arte: *Promittas facito: quid enim promittere lædit? Pollicitis dives quilibet esse potest.*

Re operaque mutuis] quia facta verbis difficiliora M. Cicero ad Q. fratrem, ep. 6, lib. 1.

Proficiatur id quod] omnino legendum *perficiatur*. *Id quod fieri potest.* Phrasis usitata. Valet, prout fieri potest; sicut ep. 25. lib. 10. fam. *Si interest, id quod homines arbitrantur.* & 14. lib. 7; *Id quod erat æquius.*

Non ut ab iis omnibus] neque enim ab omnibus iis oritur fama: sed ex aliis oritur, orta vero ab aliis alitur & celebratur: oritur a laude dicendi, a voluntate nobilium & similibus; alitur comitate & liberalitate; celebratur assiduitate & frequentia hominum. Ergo curandum, ut in iis, quibus fama frequentatur, populus versetur.

Jam urbanam] ne pars ulla populi in epilogo prætermissa videatur, plebis etiam urbanæ mentionem facit, ejusque studia & excitanda esse, & quomodo id fiat, docet. Ad extremum curandum, ut in petitione illius summa dignitas, in competitoribus infamia aliqua appareat.

Qui conciones tenent] qui in concionibus semper adsunt. Hos *concionarium populum* vocat, ep. 4. lib. 2. ad Q. Fratrem; & *concionalem hirudinem ærarii*, ep. 14. lib. 1. ad Att.

In Pompejo ornando] quod fecit in orat. pro lege Manilia: ut dicit ipsemet Marcus, in oratore.

Manilii caussa recipienda] Manilius ille est, qui legem de bello adversus Mithridatem Pompeio mandando tulerat; ob eamque rem, & erat plebi gratus, & senatui invisus. Accusatus itaque est, & a Cicerone ejus defensio suscepta: de quo vide Plutarchum, in vita Ciceronis, & Dionem, lib. 36, & in prima Corneliana. Apud Nonium, in verbo *profitetur*, mentio est orationis pro Manlio: ubi legendum puto *pro Manilio*, & de hac caussa intelligi.

Cornelio defendendo] qui accusatus fuerat de majestate, propter ea, quæ gesserat in tribunatu. De quibus, Dio, lib. 36; & Asconius, in argumento orationum pro ipso Cornelio.

Excitanda nobis sunt] hic solœcismum agnoscit Corradus; *multitudinem & studia excitanda sunt*: quare *multitudo urbana* legendum

dum censet. Quid, si sermo sit figuratus? ut illud Virgilii: *Urbem, quam statuo, vestra est*: & illud Plauti: *Naucratem, quem convenire volui, in navi non erat*: & Terentii: *Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit?* & quod profertur ex ep. 3. lib. 6. ad Att. ut est etiam in meo scripto: *Scaptius, qui fuit in Cappadocia, puto esse satisfactum.* sic & hoc loco: *Multitudinem & studia qua adeptus es.* Quamvis mollior esset oratio, inverso ordine: *Qua adeptus es in Pompeio ornando, multitudinem urbanam & studia, excitanda sunt.*

Qua adhuc nemo habuit] ergo tanto magis pro iis laborandum.

Splendorem omnium voluntatesque haberet] quasi hos ceteri sequerentur; quod mirandum non est: *Sunt enim*, ut inquit M. Tullius pro Murena, *Comitia populi ac multitudinis.*

Pompeji summam erga te esse voluntatem] cum enim esset Pompejus populo gratissimus, populus ei fauturus fuisset, in quem Pompeji voluntatem propendere cognovisset.

Pag. 233. *Et vehementer ad illius rationes*] nam, cum eo tempore Pompejus bellum cum Mithridate gereret, fieri posse videbat, ut ejus res gestæ, lausque & honor earum in M. Cic. consulatum inciderent: id quod factum est. Nam confecto bello Mithridatico, repente consule Cicerone, decem dierum supplicatio Pompejo directa est. M. Cic. de provinciis consularibus.

Postremo tota petitio] hæc ad illam partem pertinent, ubi de assectatione egit, ubi eum quotidiana cujuscunque generis frequentia uti jussit, quod ea magnam opinionem, magnam laudem petitori afferret.

Popularis sit] splendorem & plausum popularem habeat, & populo grata videatur.

Ut etiam, si quid possit, ne competitoribus] ne illud quidem in epilogo prætermittendum duxit, quod de competitorum vitiis dictum fuerat; quibus illum plurimum adjuvari posse existimabat.

Etiam si quid possit ne] locus corruptus, quod ab aliis aliter corrigitur. Ego sic putabam: *ut etiam, si qua possit, in competitoribus tuis existat infamia*: mutato *quid* in *qua*, & ex *ne* facto *in*: nam negativa nulla hic requiritur.

Aut sceleris] ut in Catilina.

Aut libidinis] ut in Antonio.

Aut largitionis] ut in reliquis.

Accommodata ad eorum mores] nam, ut inquit Tullius, orat. pro Sext. Roscio: *Ut non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur.* Alia igitur aliis infamia, pro eorum moribus, accommodatior.

Atque etiam in hac petitione] nunc tandem de sexto illo membro agit, quod ultimo loco positum fuerat: ut bona de illo *spes* sit in rep. quod alii in *speciem* non satis apte mutaverant. Atque

que in hoc itidem, ut in aliis, monet, quæ cavenda, quæ facienda sint.

Spes reip. bona de te sit] ut bene de te speret.

Honesta opinio] ut nihil non honestum & rectum te facturum, homines existiment. Sic lib. 1. Rhet. *Si de his quam honesta sit existimatio ostendetur.* Hoc autem tantam vim habet, ut si sileat ambitus, id est, nulla sit inter competitores contentio, quæri tantum soleat, quid optimi viri de candidatis sentiant; ut scribit M. Tullius, lib. 3. de legibus.

Nec tamen in petendo resp. capessenda est] tempore petitionis ne quemquam forte offendas, qui tibi postea adversetur. Hoc se fecisse scribit alias, cum periculum a Clodio impenderet; ep. 22. lib. 2. ad Att. *Rempub. nulla ex parte attingimus.* & 23: *Nos publicis consiliis nullis intersumus.* & ep. 8. lib. 2. ad Q. Fratrem: *Ego me libenter a curia, & ab omni parte reip. subtraho.* Et cum accusaturus esset Verrem, & ædilitatem peteret; *Agere*, inquit, *quæ ad judicium pertinebant libere, comitiorum metu deterrebar.* 2. Verr.

Neque in concione] ad populum. Immo multi a rep. prorsus recesserunt; alii invidiam, alii laborem vitantes; Pythagoricum illud observantes, *a fabis abstineto*: quos damnat M. Cicero, primo Off.

Ex eo, quod ita vixeris] ex ante acta vita, in qua te bonarum partium esse ostendisti: quod in initio statim sui consulatus, se facturum pollicitus est, cum pacem, tranquillitatem, otium se afferre pronunciavit: orat. 2. contra Rullum.

Te studiosum otii ac rerum tranquillarum] hoc est enim, quod maxime exoptant viri locupletes, ut suis rebus in otio fruantur. Contra vero, quibus opes nullæ sunt, odio suarum rerum, mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur. Quoniam egestas facile habetur sine damno. Sall. in Catil.

Multitudo ex eo] tertius ordo civium, quibus præcipue probantur ii, qui de plebis commodis cogitarent. Sed, quoniam hujusmodi homines fere apud bonos male audiebant, quod ut plurimum seditiosi essent, & legum perniciosarum auctores, ideo oratione dumtaxat popularem fuisse illum dixit, cum de repub, cum optimatibus senserit, ut dictum est.

Te a suis commodis alienum non futurum] λιτότης. Minus dicit, quam significat; ut illud, *a nostris studiis non abhorret.* ep. 22. lib. 13. pro Sex. Roscio Am. *Ut ne a litteris quidem alienus esses.* Atque in eo varietati inservivit. Prius enim dixit, *defensorem auctoritatis fore*, tum *studiosum otii*, *mox non alienum a suis commodis.* Sciendum autem, ob eam spem præcipue, quæ de Ciceronis virtute erat in rep. eum ad consulatum & a patribus & a plebe sublatum, cum de Catilina ejusque consiliis graves rumores dissipati essent: ut apud Plutarch. legitur.

Hac mihi veniebant in mentem] brevis epilogus partium præcipuarum totius operis: ex quibus, pertractatis duabus, tertiam aggreditur, de loco, in quo petit. Enumeratis itaque incolentium vitiis, summa opus esse prudentia dicit, ut ita caveantur, ne noceant; unum autem eum habere præsidium, quo hominum alios alliciat, alios a lædendo repellat, dicendi artificium, quod eum diligenter retinere vult.

De duabus illis commotionibus matutinis] *commotionibus* habent libri nostri, & scripti & impressi. Corradus in aliis legi dicit *commonitionibus*; quæ lectio melior videtur: sed omnium fortasse optima erit *commentationibus*, id est, cogitationibus & meditationibus. Consentit enim cum illis verbis; *civitas quæ sit cogita, & ad forum tibi descendenti meditatum sit.* Vult enim ipsum Ciceronem hæc commentari atque animo agitare.

Quo tibi] quatenus. Quod attinet ad illud, *quod dixeramus.*

Civitas ex nationum conventu constituta] aliter in aliis civitatibus agendum; ubi habitatores indigenæ potius sint quam advenæ, & uniusmodi fere moribus utantur: at Romæ aliter, quæ ex diversorum hominum conventu constat. Nam & ab initio condita ab iis, qui cum Romulo fuerunt cives Albani, & eorum locorum pastores; tum vero paullatim aucta, confluente in asylum multitudine perditorum hominum: demum incrementa accepit ingentia, acceptis in civitatem Sabinis, Tusculanis, Æquis, Hernicis, Volscis & ceteris, qui eo migrare voluerunt. Nam, ut dicit in orat. pro Cornelio Balbo, *numquam est intermissa a Romanis largitio & communicatio civitatis.*

Multa in omni genere vitia versantur] prout necesse est, ubi ex diversis locis homines in unum conveniunt. De turba porro Romana pulchre Seneca, lib. de consol. ad Alb. cap. 6, *Maxima pars illius turba patria caret. Ex municipiis & coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios abducit ambitio, alios necessitas officii publici, alios imposita legatio, alios luxuria, opulentum & opportunum vitiis locum quærens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula, quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendæ virtutis nacta materiam: quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in urbem, & virtutibus & vitiis magna pretia ponentem.* Hæc Seneca. Prudenter itaque fecisse putantur Spartani, qui & civibus suis, ne peregrinarentur, interdixerunt, ne mores peregrinos addiscerent; & peregrinos ipsos urbe arcuerunt, ne mali aliquid cives edocerent: ut Plutarchus in Laconicis institutis.

Multæ insidiæ] hæc occulte lædunt.

Multorum arrogantia] hæc vero palam.

Magni consilii atque artis] differunt hæc. Nam consilio utitur, qui honestis rationibus; arte vero, qui etiam dolo agit. M. Cic.

ep. 16, lib. 9: *Non satis est consilio pugnare; artificium quoddam excogitandum est.* & divinat. in Verr. *Numquam* ille me opprimet consilio, numquam ullo artificio pervertet.

Cujusque modi vitiis] cujusque modi, cujusvis generis: Sic 6. in Verr. *Tot homines cujusque modi*, apud Salluft. Et *cujusque modi* & *cujuscumque modi* idem est.

Pag. 234. *Vitare offensionem*] ne quemquam offendas. *Effugere offensionem* dicit, ep. 4. lib. 4. fam.

Vitare fabulam] ne fias vulgi fabula. Horat. Od. 11: *Per urbem fabula quanta fui.* Ovid. lib. 4, elog. 10. de tristibus: *Nomine sub nostro fabula nulla fuit.*

Esse unum hominem accommodatum ad tantam] qui hoc præstare potest, Polypi mentem obtinere proverbio dicitur: qualis fuit Ulysses, qui ob id πολύτροπος vocatur. Demosthenes dixit, rem omnium difficillimam esse, multis placere. *Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.* Ovid. lib. 1. de arte.

Perge tenere istam viam] M. Tullius in orat. pro Cn. Plancio: *Ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima ætate suscepisti, cohortentur.* In 2. de legibus: *Istam rationem, quam cœpisti, tene.*

Excelle dicendo] hæc est via, quam tenere illum jubet. Et bene conjungit extrema cum primis: dixit enim in initio, *quoniam ab hac laude proficisceris*, & quidquid es, ex hoc es, paratus ad dicendum venito.

Tenentur homines] aut delectantur: ut illud, *iisdem studiis tenentur*, ep. 33. lib. 7. fam. Aut *tenentur* pro *retinentur*: ut hoc ad illos referatur, qui sunt amici; *alliciuntur* ad eos, qui nondum sunt amici; *repelluntur* ad inimicos.

Et, quoniam in hoc] Romanæ civitatis vitia generatim complexus est; nunc de illo uno, quo maxime erat corrupta, id est, largitione, loquitur; proposita ratione, qua ei sit occurrendum; nempe injecto terrore accusationis adversus eos, qui ea usi fuerint.

In hoc vel maxime vitiosa] itaque illud vulgo jactabatur. *Romæ venalia esse omnia*, apud Salluft. & Juvenal. Sat. 3; *Omnia Romæ cum pretio.*

Virtutis ac dignitatis oblivisci] homines, in quibus virtus sit, ideoque dignos, præterire & despicere solet; honores autem illis dare, a quibus plurimum acceperit: ut cum Vatinium prætorem fecit, Catone neglecto. Hæc autem fuit præcipua Romanæ reip. pernicies: ex quo dictum est, illum primum Romanum populum perdidisse, qui primus ei epulum largitionemque dedisset. Plutarch. in Coriolano.

Fac ut te bene noris] respicit ad celebre dictum, *nosce teipsum*: quod non ad arrogantiam minuendam solum dictum est, verum etiam ut bona nostra norimus: ut dicit M. Tullius ad Q. Fratrem, lib. 3. ep. & Græcus versiculus, Τὸ γνῶθι σαυτὸν πανταχοῦ

τι χρήσιμον, in omnes partes hoc valere docet.

Id est, ut intelligas] interpretatio, qua utitur sæpe M. Cicero, verbo aut sententia ambigua prius posita: ut ep. 19. lib. 5; & ep. 1. & lib. 9. fam. Hoc igitur dicit, cognosco, te valere eloquentia, & qui facile possis in judicium trahere ac damnare competitores tuos, si largitione usi fuerint. Quare injice illis hunc timorem.

Metum maximum] Mannuccii liber scriptus *maxime* habet; hoc sensu, posse cum aliis etiam, sed competitoribus maxime metum afferre.

Fac itaque ut se abs te custodiri] sic enim cavebunt, ne committant, ut accusari possint.

Cum diligentiam tuam] in observando.

Tum auctoritatem vimque dicendi] in accusando.

Tum profecto equestris ordinis erga te studium] in judicando. nam tres eo tempore ordines judicabant; senatores, equites, tribuni ærarii. Ascon.

Erga te studium] de quo supra, in principio.

Atque hac ita te volo] de modo, quo agendum sit: nam summa prudentia opus est.

Ut videare occasionem non meditari] placet quod in nonnullis legitur, *non ut videare accusationem meditari.* Nam sic loquitur in orat. pro Murena. *Simulatque candidatus accusationem meditari visus est, honorem videtur desperasse.* Quibus verbis locus hic pulchre & emendatur & declaratur, subdita caussa, cur meditari accusationem eo tempore non debeat. De qua iterum, in eadem oratione: *Non placet mihi inquisitio candidati, prænuncia repulsa.* Pro *meditari accusationem*, *cogitare* etiam dicit in eadem.

Hoc ipsum quod agis consequare] ut eos tantum a largitione absterreas.

Et plane] extremum præceptum, idque maxime generale. *Plane* autem non *aperte* significat; sed *prorsus*, *quantum potest*: ut in libro de claris oratoribus, *Perfecte planeque eruditus.*

Contende omnibus nervis ac facultatibus] omnibus viribus enitere. Translatio, qua supra etiam usus est, cum dixit, *homines qui sine nervis sint.*

Ac facultatibus] hoc verbo proprio declaravit translatum in ep. fam. lib. 10; *Cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur?*

Video esse nulla comitia] plurimum quidem valet in comitiis largitio, sed video tamen aliquas semper esse centurias, quæ se integras servent, & suis amicis, sine ulla spe largitionis, sponte suffragentur.

Comitia inquinata largitione] corrupta Largitio enim in malam partem capitur ut liberalitas in bonam; lib. 2. de oratore.

Gratis] sine mercede. Unde comitia & suffragia gratuita, quæ sine ulla mercede habentur. *Re-*

Renuncient] faciant, declarent *renunciare* verbum est comitiorum; proprium ejus, qui comitia habet, & qui, antequam populum dimittat; quinam creati sint, pronunciat. M. Tul. pro Murena: *Comitiis centuriatis consulem renunciavi.* & pro domo sua: *A L. Pisone consule prætorem renunciari.* Præco etiam *renunciare* dicebatur, cum toties creatum aliquem proclamabat, quoties singularum centuriarum suffragia erant numerata. M. Tull. ult. Verr. *Tu cum esses prætor renunciatus, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorum juniorumque centuriis illo honore affici pronunciavit.* Dicebatur demum populus renunciare aliquem, cui suis suffragiis magistratum mandasset: ut hoc loco, & 2. Philip. de comitiis Dolabellæ. *Prima classis vocatur, renunciatur.*

Suos maxime necessarios] in scriptis, *suos sibi maxime necessarios*, habetur, quod non est in excusis: de quo monendum lectorem duxi. Siquidem non ineleganter dictum videri possit.

Quare si advigilamus] conclusio hujus partis, cum congerie earum rerum, quibus occurri possit largitioni, si tantum studii adhibeat, quantum res postulat; hinc amicos excitando, & suum cuique munus distribuendo; inde competitoribus minitando, & omnes, qui in largitionibus operam præstant, deterrendo.

Pro rei dignitate] Solon: *Quod præclarum est, accurate agendum.* Erat autem hæc res maxima, ut dixit in ep. 1. ad Att. ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον οὐδὲ βοείην, ex Iliad. 10. Tale & illud: *Pro magnitudine rei, celeritatem adhibens*, ep. 22. lib. 10. fam. Ideoque usus est verbo composito *advigilamus*; ubi *ad* habet vim auctivam: sicut Terent. Phor. act. 1, sc. 4: *Tanto magis te advigilare æquum est.*

Ad summum studium benevolos excitamus] ut qui nobis tantum bene volunt, incitentur ad summum studium præstandum.

Hominibus studiosis gratiosisque nostri] videtur in his verbis ordo inversus. Legendum itaque recte monuit Paullus Mannuccius, *gratiosis studiosisque nostri.* Non enim dicimus *gratiosus nostri*, sed *studiosus nostri.* Sic etiam præpostere positum fuisse constat *consul* & *censor*, ep. 21. lib. 9. fam.

Suum cuique munus describimus] assignamus, mandamus, quid quemque facere velimus & curare supra; *Ut descriptum ac dispositum suum cuique munus sit.* Onera descripta multis: pro C. Rabirio Post.

Si competitoribus judicia proponimus] id est, pœnam judiciorum; & fore, ut, si contra leges petierint, in judicium a nobis vocentur.

Si ex equestribus] locus corruptus in omnibus; quem miror non correctum fuisse; cum & mendum cognoscere facile sit, nec difficilis correctio. Est igitur legendum, *si sequestribus.* Sunt enim sequestres, apud quos pecunia deponitur a candidato; ab

ii-

iis vero populo dividitur : ideoque conjunguntur in Orat. pro Plancio: *Unam tribum delige, doce per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit.* & in eadem antea: *Sequestrem fuisse, pronunciasse, divisisse.*

Aliqua ratione] utpote minis; ut fecit jam in secunda in Verrem.

Aut nulla fiat] coercitis iis, a quibus fieri posset.

Aut nihil valeat] etiamsi fiat; cum plus poterit studium amicorum, ut in ædilitatis petitione itidem accidit: nam oppugnatus pecuniis Verris, non tamen dejici ædilitate potuit: ut in 2. orat. in Verr.

Hac sunt] clausula operis; in qua, ut extrema cum primis connectat, breviter repetit caussam, cur se ad hæc scribenda accinxerit: ipsumque opus a M. Cicerone ita corrigi petit, ut nihil omnino ei ad perfectionem desit.

Hac sunt] delectatur hujusmodi clausulis in fine librorum etiam M. Tull. ut in 3. de nat. deorum: Hæc fere dicere habui, & in lib. de Senect. & amicitia, nec non in Oratore ad Brutum: pulcherrima vero illa in 3. off. *Habes a patre munus, Marce fili:*

His tuis occupationibus] si ad præscriptum grammaticorum loquendum esset, *istis tuis* dicendum foret; quod *hic* ad primam personam, *iste* ad secundam referri doceant: sed pluris esse debet antiquorum auctoritas, qui aliter locuti sunt: ut Terent. in Andria, act. 3: A me opinionem hanc tuam esse amotam volo. & Cicero in epist. lib. 9. fam. *Equidem hos tuos Tusculanensis dies.* &: *his tuis factis sic incensus sum.* Et hic noster Paullo post; *Ad hanc tuam petitionem.* Et supra, *hoc tuo tempore. Occupationes* vero intelligit caussarum defensiones, quibus fere semper distinebatur.

Unum in locum] in principio dixerat; *sub uno adspectu ponerentur.* Et in lib. de claris oratoribus, *uno in conspectu omnia viderem.*

Pag. 235. *Qua tamen etsi*] ita legendum aliqui affirmant: licet scripti habeant *tametsi* contractum: alii etiam omittunt illud *etsi*; quorum opinio non placet. *Tamen etsi* habetur etiam ep. ult. lib. 4. fam. & ep. 17. lib. 5. ad Att.

Ut non ad omnes, qui honores] neque enim omnes sunt homines novi aut Oratores, ut M. Cicero: neque omnes tales habent competitores, quales Cicero: ideo *ad te proprie* dicit.

Tamen tu, si quid mutandum] etsi non omnes eo sunt usuri, volo tamen id omnibus probari; ideoque omni ratione emendari. Emendatoris autem triplex est munus, ut Quinctil. docet lib. 10, cap. 4, *adjicere, detrahere, mutare*: *mutare* quod minus deceat, *detrahere* quod supervacaneum sit, demum *addere* quod omissum videatur. Quæ omnia aperte hic habes. Tanguntur etiam a M. Tullio, in 3. de orat. cum dicit, quidquid aut addideris aut mutaveris aut detraxeris. *Ve-*

Velim hoc mihi dicas] ut, te monente, corrigi possit. Alias etiam emendari atque edi suos annales a fratre petiit; ut est ep. 16. lib. 2. ad Att. sumant autem hinc sibi præceptum adolescentes, atque adeo omnes, quibus curæ est ea scribere, quæ, cum in hominum manus pervenerint, legi possint, ut æquo animo ferant, sua scripta a doctioribus emendari, cum videant id præstantissimos viros factitasse; ut præter Quinctum, ipsum etiam Marcum, qui suarum orationum Aristarchum vocat Atticum: ut faciendum esse docet Horat. in Poet. & qui, quod docuit, etiam re videtur præstitisse, cum Albium Tibullum sermonum suorum judicem nominat. Sciant vero, nulla in re facilius homines amore sui decipi solere, quam in judicandis iis, quæ ex suo ingenio pepererint; & ad eruditionem plus proficere amici & docti hominis diligentem emendationem, quam diuturnum ejus studium, qui se emendatori subjicere recuset. Equidem, si quid umquam profeci, quod perexiguum esse non inficior, sed quantulumcunque illud est, profiteor, me fidelibus monitis & doctis correctionibus Francisci Morandi J. C. debere; cujus cum esset judicium peracre, & doctrina non vulgaris, tantus erat animi candor, ut dissimulare nihil posset, quod scriptori notam aliquam allaturum suspicaretur. Afficiebatur enim non secus erga aliena scripta, quam si propria fuissent: idque cum in ceteris, tum præcipue in carminibus præstabat: in quibus & scribendis & dijudicandis excellebat. Sed non est mihi propositum, hujusce viri virtutes describere; quæ & per se notæ satis sunt, & clarioribus monumentis testatæ. Volui tantum doctori optimo & amico integerrimo, meritæ etiam in hac parte laudis testimonium reddere. Ad prima redeo. Neque magnos posse in scribendo profectus illum facere, *qui turpem putet in scriptis metuatque lituram*, ut ait Horat. Neque ullos patientius reprehendi, quam qui maxime laudari merentur: ut est apud Plinium, lib. 7. epist.

Volo enim hoc commentariolum] Sciant lectores, in antiquis libris legi, *volo enim hoc mihi commentariolum*: ubi *mihi* ad ornatum insertum suspicarer; ut sæpe apud Terentium, M. Tullium, Livium: nisi imprudenter a librario inculcatum viderem, ex præcedentibus verbis, *velim hoc mihi dicas*.

Commentariolum] nomine ipso indicat, quale sit hoc opusculum; nempe in quo summatim capita quædam rerum sint comprehensa. Hoc enim valet commentarium.

Omni ratione perfectum] ita, ut aliis etiam hominibus in suis petitionibus usui esse possit. Et artificiose eo verbo opus absolvit, quo non perfectio rei solum, sed & finis significatur. Talis est finis libri de somnio Scipionis: *Ille discessit; ego somno solutus sum.* Et lib. 2. de finibus: *Finem fecimus & ambulandi & disputandi.* & in 4. de finibus, & in 2. de divinat. *Quæ cum essent*

sunt dicta, *discessimus*. Quod imitari etiam voluit, ut alia quam plurima, quisquis ille fuit, (nam fuisse Ciceronem, mihi non fit verisimile) qui libellum de consolatione nostro tempore edidit. Hoc enim fine usus est, *Jucundiorem congressum nostrum futurum intelligam*, *quam insuavis & acerbus digressus fuit*. Ac ne hoc quidem tacitum relinquam, Quinctum, suum hoc commentariolum Cretico & Spondeo pede clausisse: quem numerum, multum habere decoris in clausulis, dicunt: eoque ita delectatus est M. Tullius, ut non sententias tantum plurimas, sed plurimos etiam ex suis libris & orationibus eodem numero clauserit. Quod quoniam cuivis observare in promptu est, exemplis adducendis supersedebo.

FINIS.







CoLi
COVER BOO




CoLi
COVER BOO







